J. 5/129

6
7-a
11

6
9 11 D
37

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

17-e-19

17.3.17.

6-7 a. 11

NASCIMBAENI NASCIMBAENII FERRARIENSIS

IN M. TVLLII CICERONIS DE INVENTIONE LIBROS COMMENTARIVS,

Ad Senatum Rhaccuſinum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CVM PRIVILEGIO.

Venetijs, apud Bologninum Zalterium. 1563.

Auctoris in Momum.

Eſt facile, inquis, commentaria ſcribere, Mome.
Eſtò. Sed, docte ſcribere, non facile eſt.
Hoc ſi forte neges, illud fateare neceſſe eſt:
Ni tibi iudicium liuide liuor edat.

SENATVI RHACCVSINO

NASCIMBAENVS

NASCIMBAENIVS,

S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PERGRATA mihi eſt memoria ueſtri,ſtudiorumq; ueſtrorum erga me, patres ampliſs. nec quidquam cogito,quin mihi in mentē ueniat incredibilis humanitas, amorque ueſter erga me ſingularis. equidem ex eo tempore, quo me Rhaccuſium honeſtiss. ſtipendio conductum adhibuiſtis, memoria teneo ſtudia ueſtra nullo unquam tempore mihi defuiſſe,meq; uobis æque ſemper carum, acceptumq; fuiſſe, ac ſi ſingulis ueſtrum eſſem è uiſceribus natus. quibus rebus ita me uobis deuinctum eſſe ſentio, ut nullis unquam officiis tantæ caritati, ac beneuolentiæ reſpondere poſſe mihi uidear. uerum tamen cum ea mihi ſemper opinio fuit, eum planè barbarum, atque inhumanum, qui benè merenti ſeſe ingratum præbeat, tum ita ſum à natura iam inde à puero inſtitutus, vt cui gratiam referre non poſſim, quantam debeam, ſaltem quantam ei maximam uires tum ingenii mei, tum corporis ualeant, referendam curem. Quam ob rem ſuperiore anno cum in hac noſtra nobiliſſima, ac præclariſſima vrbe M. Tullij Ciceronis de Inuentione libros publice profiterer, quos præcipue delegeram adductus ſcholaſticorum

ſtudio, qui ex me rhetoricam cognoſcere cupiebat, multaq; in illis loca cognitu difficilia animaduertiſſem, quæ alij tum male (ut mihi quidem viſum eſt) intellexerant, vel parum diligenter interpretando explanarant, tum etiam, ut nimis fortaſſe obſcura, conſulto præterierant; ipſe experiri uolui, numquid maiorem illis, quàm alij hactenus fecerint, lucem, & ſplendorem afferre poſſem. itaque etſi uarijs negocijs diſtinebar, quæ me ab hoc conſilio reuocarent; tamen in maxima temporis anguſtia quidquid ex moleſtiſſimis occupationibus meis ocij eripere potui, illud totum in hos commentarios, gratia iuuandi ſtudioſorum ingenia, quamlibentiſſime contuli. Quid profecerim, ignoro: ipſi iudicabitis, in quorum nomine velim hic liber appareat. Non ſum tamen neſcius fore, ut hic noſter honeſtiſſimus labor in uarias reprehenſiones incurrat, hac præſertim temporum infelicitate, in quibus ξηλιμόνον (ut noſtis) πλήρει τὰ πάντα: plurimiq; ſimulac rhetorices elementa primis, quod aiunt, labris attigerint, ſe, quaſi ex Iſocratis domo, probatiſs. rhetores prodiiſſe ſomniant, & in alienis ſcriptis Ariſtarchi fieri uolunt. Sed huiuſmodi homines, ut ſunt leues, à me facile deſpicientur, ſi quando mea ſcripta uel à uobis probari, uel ex illis bonarum artium ſtudioſos aliquid uoluptatis percipere poſſe intelligam. Hanc igitur uobis noſtram induſtriam, & noſtros, quicunque ſunt, labores, ampliſs. patres, dicamus. uelim extent apud uos, quaſi pignus amoris mei, & perpetuum meæ erga uos pietatis, ac obſeruantiæ monumentum: minimum illud quidem, neque

cum humanitate ueſtra erga me ſingulari, neque cum ſummo ſplendore nobilitatis, gloriæque reipub. ueſtræ conferendum. id ipſe quoque fateor ingenue, neque ſum ita ingenio elatus, uel potius conſilii cæcus, quin me meo, quod aiunt, modulo metiar, planeque uideam nihil ex me tam officioſum erga uos, aut liberale, nihil tam magnum, aut præclarum unquam proficiſci poſſe, quod aut ſtudiis erga me ueſtris reſpondere, aut cum ſplendore dignitatis, amplitudinisq; ueſtræ comparari queat. Ceterum cum ea uos ingenii benignitate natos, eaque iudicii, atque animi magnitudine præditos eſſe cognoſcam, ut illa ipſi ueſtra grauitate digna eſſe exiſtimetis, quæ ab optimo erga uos animo fieri intelligatis, & beneficiorum ueſtrorum gratiam ab iis ſatis magnam uos accepiſſe iudicetis, quos inſigni alioqui beneficio ueſtro ornaueritis, hac optima de uobis opinione ductus, non dubitaui fore, ut has quoque meas qualeſcunque lucubrationes, libenti animo ſuſciperetis, ac boni conſuleretis. Quòd ſi (ut ſpero) aſſequar, polliceor uobis, me pro uirili accuratiſſime operam daturum, ut gloria nominis ueſtri ſcriptis aliquando illuſtretur, ac celebretur meis. ad quod me ſæpe numero inuitat, & allicit non modo incredibilis amor meus erga uos, animique propenſio, ſed ſplendor etiam nobilitatis ueſtræ fulgentiſſimus, antiquitas gentis, celebritas reipub. res à uobis præclariſſime terra, marique geſtæ: Demum plurimæ nobilium familiæ: quarum aliæ iniuria, & uiciſſitudine temporum interiere, aliæ aduerſus potentiſſimos Reges, ac principes pro

patriæ

patriæ ſalute ſtrenue dimicantes occubuerunt. Multæ adhuc extant uetuſtate temporis, rerumq; geſtarum memoria nobiliſs. Bobalii, Mentii, Gondulæ, Cabogæ, Crucii, Bonæ, Bondæ, Ceruii, Bencioli, Beneſſæ, Georgii, Bucchii, Gozii, Luccari, Gradii, Ghetaldii, Zamagnii, Pozzæ, Prodanellii, Ragninæ, Proculi, Bucignolæ, Reſtii, Palmotæ, Sorgii, uel (ut quidam uolunt) Sergii, Saracchii, Tudiſii, Martinii, Baſilii. ex quibus ferè ſingulis plurimi ingenio, doctrina, conſilioq; præſtantiſſimi, tanquam ex equo Troiano, uiri prodiere: & hoc tempore florent multi gloria uirtutis, & honoris inſignes: quorum ſingula nomina in præſentia recenſere longum, & fortaſſe etiam odioſum eſſet. Sed eorum præclara uirtus ſuo tempore ſcriptis illuſtrabitur. Interea hoc exiguum à me munus Ampliſſimi Patres, accipietis. Quod eo animi affectu à uobis probari tum opto, tum etiam ſpero, quà ipſe obſeruantia, & pietate illud uobis perpetuò dedico. Valete.

Naſcimbænus Naſcimbænius
LECTORI. S. D.

NON erat prætermittendum, lector hu maniſſime, quin te paucis admonerem, quodnam noſtrum in iis commentarijs ſcribendis conſilium fuerit. Scito igitur primum nos diligen ter curaſſe, ut omnia loca in iis de Inuentione libris cognitu difficilia, quæ à Victorino, docto alioqui homine, & antiquo interprete, uel nimia difficultate nó intellecta, uel oſcitanter prætermiſſa fuerant, ipſi perſpicua interpretatione illuſtraremus: deinde, ut quæ auctor ipſe cum ex Ariſtotele, tum ex Platone ſumpſerit, quæ plurima mihi eſſe uidebantur, adſcriptis ipſorum uerbis indicaremus. Multa quoque Ariſtotelis loca cum Ciceronis locis contulimus: quæ iis libris (ut mihi quidem ui detur) non parum lucis attulerunt. Ad hæc operam dedimus, ut in quibus ab Ariſtotele Cicero diſſentire uidebatur, hos duos grauiſs. auctores unà, quoad eius fieri poſſet, conciliaremus. non omiſimus etiam quin, quæ in iis libris falsò à Cicerone ſcripta, & præcepta uidebantur, modeſtiſſima oratione (noſtro tamen periculo) reprehenderemus. Cumq; uſu ſæpe numero ueniat, ut res eadem diuerſis nominibus efferatur (quod ſtudioſis quandoq; negotium faceſſere ſolet) quæ rhetoricæ facultatis uocabula uariis tum Græcis, tum Latinis nominibus à Ci

cerone

cerone uariis in locis expreſſa fuerunt, ſedulo admonuimus. illud etiam adiecimus, ut quæ ſua ſponte parum erant lucida (quibus rebus pleni ſunt rhetorum libri) ea appoſitiſſimis exemplis cum ex oratoribus, tum etiam ex optimis poetis lucidiſſima fierent. Quid uerò hic noſter labor bonarum artium ſtudioſis profuturus ſit, mihi omnino incertum eſt; ipſe iudicabis, & ut arbitror, ex noſtra ſententia. Vale.

INDEX RERVM, ET VERBORVM, QVAE IN HIS COMMENTARIIS CONTINENTVR.

Vbi primus numerus folium, ſecundus paginam, tertius lineam denotat.

A

ACTIO habitũ ſequitur. 27.2.37.
Actio humana quibus ex cauſſis proficiſcatur. 31.2.5.
Actiones humanæ quibus rebus conſiderentur. 74.2.19
Academici nihil affirmant. 70.2.30.
Adminicula in cauſſis quæ dicantur. 23.1.20
Ad eundem lapidem offendere prouerb. 46.1.38
Æſchinis mater quæ. 27.1.4
Ætatum diuerſarum diuerſa ſtudia. 27.2.12
Aeſchines peſſimo genere natus. 77.1.39.
Aequum, & bonum quomodo conſideratur. 97.1.20
Afrorum uitia, & uirtutes. 27.1.20.
Affectuũ genera quot. 28.1.10
Affectuum loca. 60.1.14
Agnomen, quid ſit. 76.2.36
Agnati qui dicantur. 77.1.6
Aiacis interitus. 54.2.39.
Alleuare quid ſit. 49.1.32
Alexander Pheræus. 120.1.6
Alexandri Pheræi timor. ibid.
Alexandri Pheræi interitus. 32.4.13.
Ambiguum quid ſit. 52.1.26
Amphionis, & Zethi contentio de Muſica. 55.2.36
Amicitiæ ſpecies tres. 56.2.9
Ampliatio quid ſit. 61.2.14
Amoris uis. 75.1.16
Amphictyones, qui. 97.2.32
Amphictyones unde dicantur. 97.2.33.
Amphictyonũ numerus. 97.2.35
Amphibologiæ ſpecies quot. 113.1.22.
Amicitiæ genera quot. 127.2.18
Animi triſti atque horrenda oratione recreantur. 18.1.25
Animaduerſio, & uindicta non idem. 94.2.23
Apollodorus reprehenditur. 6.2.28.
Argumentum, quid ſit. 36.2.34
Argumentatio in quot partes diſtribuatur

ſtribuatur. 42.1.34
Argumentationum genera duo Ariſtoteli. 42.1.36
Argumentum tragœdiæ, uel comœdiæ, quid ſit. 21.1.11
Argumentationes quo modo tractentur. 45.2.21.46.1.11
Argumentatio rhetorica, quid à dialectica differat. 46.2.7
Argumentandi uis in quo conſiſtat. 46.2.25
Argumentationes uario modo tractandæ ſunt. 46.2.34
Argumentatio quot modis reprehendi poſſit. 49.2.2
Argumentatio uitioſa, quot modis fiat. 52.2.3
Argumentatio communis, quæ. 52.2.50.
Argumentum uulgare quid. 52.2.12.
Argumentatio longè petita, quæ ſit. 53.1.2
Argumentatio remota, quæ dicatur. 54.1.33
Argumentationis exemplum. 46.1.2.
Ariſtoteles, & Cic. conciliantur. 21.2.26.
Ariſtoteles Iſocratis inuidia ductus. 70.2.17
Ariſtoteles rhetoricam docuit. ibidem.
Argumentnm à primo ad ultimum. 101.1.25
Archiæ poetæ epigramma. 119. A. 29.
riſtippus aurum proiecit. 128. 21.10.
Ariſtippi dictum. 128.1.14
Aſpaſia quæ fuerit. 43.1.32
Aſſumptio unde eruenda ſit. 44. 2.17
Aſſumptio quid ſit, quotque nominibus appelletur. 45.2.30
Athenienſes ſciunt, quæ recta ſunt. 94.2.32
Auctor ad Herenn. defenditur. 20.2.16
Auditores perpetuo attenti fieri debent. 16.1.29

B.

BARTH. Cavalcantius nominatur, & commendatur. 16.2 28.128.1.39.
Bonorum tria genera. 55.2.11
Budæus laudatur. 104.2.16
Breuitas quid ſit. 22.1.8

C

CAVSSARVM tria genera. 6.1.15.70.2.36.
Cauſſa quot modis probabilis fiat. 7.2.20
Cauſſarum genera tria tribus tẽporibus conſiderari. 11.1.13
Cauſſarũ tuendarũ ratio. 13.1.13
Cauſſa ex contrarijs legibus quo modo intelligenda. 14.1.13
Cauſſa propinqua, et remota quæ ſit. 54.1.33
Cauſſa quo modo cõſiſtat. 71.1.5
Cauſſa coniuncta quæ dicatur. 87.2.30.
Cauſſa cadere quid ſit. 90.2.8
Cauſſæ apud Ro. quo ordine agerentur. 90.2.28
Cauſſæ alijs cauſſis ſimiles quo ordine agerentur. 90.2.30

Cauſſæ de ui extra ordinem agebantur. 90.2.37
Cauſſæ premiorum quot. 110.1.17.
Cauſſa iudicialis quam ob rem appelletur. 110.1.37
Cauſſæ iudiciales, & deliberatiuæ aliquando miſcentur. 110.2.5
Cauſſæ demonſtratiuæ, et deliberatiuæ inter ſe implicantur. 110.2.13.
Catonis, & Naſicæ contentio in Senatu. 11.1.27
Caualcantius uide Barth. Caualcantius.
Caſſius ſeueriſſimus. 75.1.11
Calidum, & caldum qua differentia dicatur. 77.1.10
Caldus, quid ſignificet. 77.1.13
Cæcilius, quid ſignificet, & unde dicatur. 77.1.18
Caſſilinum oppidum. 124.2.18
Caſſilinenſes cui dediti. 124.2.19 & 127.2.30.
Caſſilinenſium fames. *ibidem.*
Caſſilinum oppidum ubi. *ibidem.*
Chreſphontes tragœdia cuius fuerit. 54.2.16
Ciuis ante alios patriæ pernicioſus quis ex Platone. 3.1.19
Cicero reprehenditur. 6.2.4
Cicero inique Hermagoram reprehendit. 6.2.4
Cicero, & Ariſtoteles conciliatur. 21.2.22
Cicero adoleſcens labitur. 45.1.30.
Ciceronis error. 94.2.26
Ciuilis ratio quid ſit. 4.2.31
Clodius uiolator ſacrorum. 61.2.38.
Clodius quare dicatur. 77.1.17
Confirmationis uis. 26.1.22
Corax, & Tiſias antiquiſſimi rhetores. 6.1.20
Conſtitutionum genera quot. 10.2.14.11.1.32.
Conſtitutio unde fiat. 10.2.22
Conſtitutio coniecturalis, definitiua, iuridicialis, et negotialis unde fiunt. 10.20.14
Conſtitutiones tres à Cic. probari. 11.1.2.
Conſtitutio generalis quot in partes Fabio, & Hermogeni diſtribuatur. 12.1.19
Conſtitutio omnis unde fiat. 71.1.10.
Conſtitutio principalis. 87.2.31
Conſtitutio incidens quæ dicatur. 87.2.32.
Conſtitutio incidens unde fiat. 87.2.37.
Conſtitutio negotialis quid ſit. 93.2.3.
Conſtitutio iuridicialis. 97.1.10
Conſtitutionis iuridicialis quot ſint partes. 97.1.38
Conſtitutio negotialis de re incerta eſt. 97.2.23
Conſtitutionem an genus demonſtratiuum habeat. 122.2.16
Conſtitutio quid ſit. 122.2.19
Corui mali malum ouum prouerb. 27.1.34
Comparata quæ dicatur. 32.2.3
Comparata quibus ex rebus conſiderentur. 32.2.22

Comparata, & ſimilia ex quibus deducantur. 33.2.4
Comparationes quæ dicantur. 32.2.18.
Contrariorum locus quis. 33.2.10.
Confirmatio quid ſit. 26.1.25
Confirmationis uis. 26.1.27.
Confirmatio oſſibus, & neruis cõparatur. 26.1.30
Comœdia, & tragœdia quid ſint, & ex quibus rebus conſtare debeant. 20.2.4
Cognomen quid ſit. 76.2.38
Concluſio quot modis dicatur. 45 2.34.59.1.24.
Concluſio uitioſa ex ueris propoſitionibus quandoque fit. 52.1.8
Concluſionis uitia quot fieri poſſint. 52.1.14
Concluſionis partes quot ſint. 59 1.57.
Collectio quid ſit. 63.1.27
Coniecturalis conſtitutio tribus tẽporibus tractari poteſt. 11.1.11
Coniecturæ loca quot. 72.1.23
Coniecturarum circũſtantiæ quo modo inueſtigentur. 81.2.14
Coniectura quid ſit, & unde dicatur. 121.2.21
Communium, propriorumq; locorum proprietas. 86.2.10
Coniurati cur tàm cito à Cic. occiſi. 101.2.34
Cõceſſio criminis quot nominibus appelletur, quotq; partes habeat. 106.1.3
Corn. Balbus à quo ciuitate donatus. 109.1.32
Credibile argumentum quod ſit. 149.2.341.
Crotoniatæ ubi ſint. 69.1.24
Crotone ſalubrius prouerb. 69.2 22.
Croto ferax corporum, ingeniorumq; præſtantiſſimorum. 69. 2.25
Crotoniatæ optimi athletę. ibidẽ.
Crotoniatæ in Olympico certamine uictores. 69.2.30
Crotoniatarum qui poſtremus eſt, is reliquorum Græcorum primus eſt, prouerb. ibidem.
Cupiditas unde ſit. 28.1.16

D.

DEMOSTHENES *bleſus.* 28 1.5.
Demoſth. ρ. proferre nequit. ibidẽ.
Demoſthenis diligentia in pronunciatione. ibidem
Demoſthenes quo argumento ſe defendat contra Æſchinẽ. 77.1 33.
Demoſt. & Æſchinis contentio. 98.1.23.
Demonſtratiuum genus an conſtitutiones habeat. 11.1.8
Deliberatiuũ genus principium nullum habet. 16.2.14
Deliberationis quatuor potiſſimum genera. 56.2.18
Deliberatiui generis finis. 77. 2.37.
Deliberatiui generis uaria præceptio. 124.1.19
Deliberatiui generis finis duplex. 124.1.26
Deliberatiui generis loca. 124.2 25.

25.

Deliberatiuum genus quomodo tractari debeat. 128.1.18

Deliberatiui generis oratio qualis eſſe debeat. 128.2.23

Deiotari Regis beneficia in Cæſarem. 109.1.25

Deiotari Regis animus in Cæſarem. 79.2.38

Definitionis uitia quot. 54.2.8

Definitio an idem ſit, quod deſcriptio. 88.2.9

Definitionis ſtatus. 122.1.24

Definitionis ſtatus quot nominibus appelletur. ibidem.

Definitio an inter legitimas controuerſias haberi poſſit. ibidem.

Definitionem Cic. excludit, Fabius recipit. ibidem.

Deprecatio an in iudicio tractari poſſit. 109.2.39

Defenſio conceditur in diuinis. 44 2.21.

Dictio & ſententia quid ſint, & quales eſſe debeant. 7.2.31

Dictum Pythagoræ. 27.2.23

Diſparatum quid ſit. 35.2.8

Dilemma quid ſit. 35.1.13

Dij bellant inter ſe. 54.2.26

Dignatus quid ſignificet. 111.2 19.

Digreſſio quo loco ponenda ſit Hermagoræ. 56.2.30

Digredi à cauſſa per quod liceat. ibidem.

Digreſſio an inter partes orationis ſit collocanda. ibidem.

Digreſſionis officiũ quid ſit. ibidẽ.

Dolor unde ſit. 28.1.15

E.

EDVCATIONIS *quanta ſit uis.* 27.2.8

Egeſias philoſophus. 91.2.16

Eloquentiæ duo initia. 2.2.17

Eloquentia ſapientiæ coniuncta commendatur. ibidem.

Eloquentia ſine ſapientia eſt uelu ti enſis in manu furioſi ex Platone. 3.1.22

Eloquentia ex natura initium habuit. 2.3.1.29

Enthimema quid à ſyllogiſmo differat. 4.2.20

Enthimena planè demonſtrat. ibidem.

Enthimema an idem, quod ſyllogiſmmus ſit. 46.2.21

Enumeratio quo modo fiat. 59.1 37.59.2.34.

Enumeratio quo modo ſit uarianda. 59.2.1

Epaminondas Thebanus Lacedæmonios uicit. 43.2.23

Epiſodium. 20.1 34

Epiſodia quæ dicantur. 57.1.5

Error auctoris ad Herenn. 20. 2.1.

Errata quæ dicantur. 97.1.26

Eriphyle quæ fuerit. 55.2.22

Eriphyle uirum prodidit. ibidem

Euripidis Medeam Ennius tranſtulit. 56.54.1.6

Exordiorum loca quibus ex rebus promantur. 16.2.38

Exordio quid conueniat, & diſconueniat. 18.1.30

Exordia uulgaria quæ dicantur præter cõmunem opinionem. 19 1.11

1.11.
Exordia longa quo modo euitanda. 19.1.30
Exordia nimis longa in quocunque genere improbantur. 19.1.30.
Exordia extra cauſſa probātur, quæ ad cauſſam faciunt. 19.1 31.
Exordij munera. 16.1.26
Exemplum quid ſit Ariſtoteli. 41 2.23.
Extremum maius, & minus quæ dicantur. 44.2.25

F.

FABVLA *quid ſit aduerſus au ctorem ad Herenn.* 20.2.2
Fabulæ uerisſimiles. ibidem.
Fabulæ non uerisſimiles. ibidem.
Fabula de Cerere. 26.2.25
Fabula Medeæ. ibidem.
Facultates rei agendæ quot ſint. 32.1.26.
Fœdus quoties à Romanis cum Samnitibus percuſſum. 105.1. 25.
Fœdus ſolenniter fiebat. ibidem.
Fœdera porco fiebant. 105.2.45
Fœdus unde dicatur. ibidem.
Fœciales qui. ibidem.
Finis oratoris duplex. 5.2.3
Finis, & officium oratoris coniunguntur. 5.1.35
Filij ex parentibus comendantur. 27.1.29.
Fides unde dicatur. 94.2.35
Flaminius Rempub. malè geſſit. 87.2.21
Forma mundi qualis. 7.1.18
Fortitudo quid ſit. 125.2.28
Fregellani Romanis inimici. 11.1.23.
Fregellæ à quo dirutæ. 109.2.9
Franciſcus Robortellius nominatur, & commendatur. 14.1.37
Futurum duplex. 32.1.2
Futura ex præteritis cognoſcūtur. 77.2.32.

G.

GALLORVM *uitia, & uirtutes.* 27.1.21
Germanni quibus rebus ualeant, quibusq́; uitijs uacent. 27.1.19
Gorgias quos fuerit ſecutus. 6.1. 21.
Græcorum, uitia, & uirtutes. 27.1.20.
Græcorum uanitas & perfidia. 86.1.11.

H.

HAEREDITAS *aduentitia quæ dicatur.* 94.1.7
Hermagoras in quot partes materiam diuiſit. 6.1.31
Hermagoras reprehenditur. ibidem, & 11.1.37.
Hermagoras defenditur. 6.2.3
Helenæ ſimulachrum à Zeuſide pictum. 69.1.18
Helena meretrix quare dicta. 69 2.14.
Helena Zeuſidis Romæ. 69.2.17
Hiſpanorum uitia, & uirtutes. 27.1.21.
Hippocrates ſua ſcripta damnauit. 70.2.26
Hiſtoria quid ſit, quid ue contineat. 21.1.6

Hiſtoricus

Hiſtoricus quid à poeta differat. ibidem.
Horatius ſororem necat. 100.2 23.
Horatorum, & Curiatium breuis hiſtoria. 100.2.4

I.

I MAGO, *& tranſlatio quid differant.* 37.1.37
Imperatoria, & pretoria poteſtas Græcis eadem fuit. 43.2.30
Imperatores hoſtibus quādo tradebantur à Romanis. 105.2.18
Impulſio quid contineat. 64.2.23
Infinita quæſtio à definita continetur. 6.2.23
Inuentio reliquis partibus difficilior. 10.2.8
Inductio, an enumeratio dici poſſit 42.2.36.
Inductio Ariſtoteli ualde commendatur. ibidem.
Inductio rarò ab oratoribus inducitur. 43.1.1
Inductio, & ratiocinatio quid differant, quamq; uim habeant. ibidem.
Inductione Socrates utebatur. 43 2.1.
Inductio quid ſit. 54.2.12
Indignatio quid ſit. 60.1.1
Indignationis proprium. ibidem.
Indignatio quo modo moueri poſſit ex circunſtantijs. 60.1.24
Indignationis loci quot ſint. 60.1 31.
Intentio criminis quid ſit. 71.1.6
Iniuriā inferre quid ſit. 91.1.27
Iniuria quot modis inferri poſſit. 91.1.20
Iniuria atrox quot modis æſtimari ſoleat. 91.2.21
Iocoſa ſerijs miſcere indecorum. 17.2.30.
Iracundiæ uis in quibus maxime uigeat. 75.1.28
Iſocratis domus omnibus patens. 70.2.19
Iſocrates in omni dicendi genere elegantiſſ. ibidem.
Italorum uitia & uirtutes. 27 1.22.
Iudicis officia tria. 17.1.12
Iudex quare ſedeat. 109.1.2
Iudices iurati iudicant. ibidem.
Iudices tabellas accipiunt iudicandi. ibidem.
Iudicia penes equites primum fuerunt, deinde apud ſenatores. 55.1.22.
Iudicium purum quid ſit. 91.2.8
Iudicium recuperatorium. 91.2 10.
Iudicatum quid ſit. 95.1.34
Ius triplex. 91.2.31. 94.1.25
Ius priuatum, & commune. 94 1.28.
Ius ſcriptum, & non ſcriptum. 44.1.30.
Ius conſuetudinis quid ſit. 95 1.6.
Iuris ſcripti, & conſuetudinis eadem uis, & auctoritas. 95.1.8
Iuris naturalis tria præcepta. 44 1.34.
Ius naturale in quot partes diſtribuatur. 94.2.7
Iuris ſcripti duo genera. 95.2.2

Iuridi-

Iuridicialis abſoluta quæ. 97.2.4.

Iuridicialis aſſumptiua quare dicatur. 97.2.5

Iuridicialis abſoluta quot modis fiat. 97.2.7

Iunonis Laciniæ templum. 69.1.26.

L.

LAETITIA *quid ſit.* 28.1.15

Lapidem ad eundem offendere prouerb. 46.1.37

Laudes certorum hominum eſſe debent. 6.1.26

Laus uera quæ ſit. 56.1.15

Laudatio, & uituperatio quibus ex locis tractentur. 128.1.31

Legati Romanorum à Corinthijs lotio aſperſi. 13.2.6.60.2.27

Legatorum, uiaticum quantum. 104.2.18.

Lex Leptiniana. 111.2.37

Legis officia. 112.2.27.

Legitimi ſtatus quot ſint. 112.2.35.

Legum controuerſia. 11.2.38

Lex quid ſit. 118.3.36

Legum contrariarum diſceptatio 119.2.78

Lex legi non eſt contraria. 119.2.13.

Leges euentu colliduntur. 119.2.15.

Licinius Craſſus prouinciam Galliæ citerioris à latronibus liberat. 110.2.34

Loca perſonis attributa quot ſint. 26.2.8.

Loca negotijs attributa quot ſint. 26.2.9.

Locorum ſylua Cic. an probanda. 16.2.14

Loca artis expertia quæ. 26.2.19 84.2.22.

Loca artificioſa quæ. 26.2.2. & 84.2.25.

Locorum tria potiſſimũ genera. 26.2.33.

Loca non artificioſa quot ſint. 84.2.11.

Loci indignationis quot ſint. 60.1.39.

Loci miſericordiæ quot ſint. ibidẽ.

Loca circunſtantiæ quid. 81.2.14.

Loca coniecturæ. 84.2.12

Loci proprij, & communes qui dicantur. 85.1.2

Loci communes, et proprij quo modo tractandi. 86.2.10

Locus communis in quot partes diſtribuatur. 85.1.12

Loci communes uerbis maxime ornandi. 85.1.34

Locos communes tractandi difficultas. 75.2.21

Locorum communium duo præcepta. 85.1.28

M.

MATERIA *oratoris quid.* 6.1.14.

Materia oratoris in quibus uerſetur. 6.2.38

Materiam in quot partes Hermag. diuiſerit. 6.1.33

Madius. Vide Vincentius Madius.

Manutius. Vide Paulus Manutius.

tius.

Mancinus quare hoſtibus deditus. 108.1.31

Malleolus matrē occidit. 124.1.33

Malleolus primus omnium culleo inſutus, et præcipitatus.ibidem.

Manlij Capitolini dictum. 75.1.6.

Medici officium quid. 5.2.39

Medicinæ tria genera. 6.1.9

Medea curru uehitur à draconibus tracto. 20.2.34

Medium quid ſit. 44.2.24

Mezentius contemptor Diuum quare dicatur. Virg. 61.2.34.

Mezentij facinus crudele. 62.2.38.

Menander de genere demonſtratiuo ſcripſit. 128.1.37

Metus unde ſit. 28.1.16

Minuere maieſtatem quid ſit. 88.1.28.89.1.3.

Minuendæ maieſtatis uarij modi. 88.1.37

Miſericordiæ loci quot ſint. 60.2.31.

Miſericordia in quem exercēda. 109.1.30.

Motus argumētum uitæ certum. 7.2.6.

Mores hominum uarij. 29.2.4

Mores ciuitatū, & perſonarum uarij. 77.1.24

Mundi forma qualis. 7.1.18

Mundus an ſit æternus. 31.2.24

Munerari quid ſit. 70.1.4

Mutij facinus audax. 75.2.34

Mutius quare dicatur. 74.1.10.

N.

N A T V R A *an mortalis, an æterna ſit.* 27.1.8

Narrationis tria genera. 20.1.26.

Narratio principalis quæ. 20.1.29.

Narratio incidens, ſeu digreſſoria quam ob rem fiat. 20.1.31.

Narratio remota quæ. 20.1.36.

Narratio morata quæ dicatur. 21.1.17.23.1.28.

Narrationis uirtutes quot ſint. 21.2.11.

Narrationes nec breues, nec longæ fieri debent. 21.2.15

Narrare breuiter quid. 22.1.3.

Narratio aperta quot modis fiat. 22.1.12.

Narrationis circunſtantiæ quot ſint, & quibus nominibus appellentur. 22.2.36

Narrare membratim quid ſit. 23.2.33.

Narratio de præterito eſt. 28.1.23.

Narratione quot modis præpoſtere utamur. 23.2.23

Naues roſtratæ. 106.1.21

Negotiali conſtitutioni quæ competant. 12.1.36

Negotialis conſtitutionis plures ſpecies. 12.2.1.

Negotialis conſtitutio quid ſit.

93.2.3.
Negotiali cum deliberatiuo genere affinitas quanta ſit. 93.2.13
Negotialis conſtitutio quare dicatur. 88.2.11
Negotialis à iuridiciali quomodo à Fabio diſtinguatur. 93 2.19.
Negotialis conſtitutionis plura genera. 93.2.25
Negotialis conſtitutionis praecepta unde emanent. 94.2.26
Negotialis de futuro eſt. 93.2.24
Negotialis praeteritum tempus complectitur. 93.2.33
Neceſſitas duplex. 124.2.16
Nihil abſque cauſſa unquam fit. 77.2.39.
Nihil ſub globo lunae undique abſolutum. 76.1.2

O.

OCCASIO *quid ſignificet.* 23 1.25.
Occaſio quid ſit. 82.1.15
Officium oratoris quid. 5.1.38
Officij oratoris uariae definitiones. 5.2.3
Officia oratoris quot ſint, quotque nominibus appellentur. 7 1.29.
Officia oratoris quas partes in homine imitentur. 7.2.3
Officium medici quid. 5.2.39
Olympionices qui. 119.2.24
Olympionicarum corona quales. ibidem.
Olympionicarum praemium honoris erat. ibidem.
Olympionices coronas patriae donabant. ibidem.
Olympionices quo modo in Urbem coronati reciperentur. ibidem.
Olympionicibus ſtatua erigebatur. 119.2.36
Opus oratoris quid. 6.1.18
Opinio quot modis homines decipiat. 75.2.12
Orationis facultas quot modis comparetur. 2.2.25
Oratoris officium, & finis coniunguntur. 5.1.35
Orator non ſemper perſuadet. 5.2.7.
Oratoris finis duplex. 5.2.24
Orator ſi apte dixerit, officio ſuo functus uidebitur. 5.2.32
Oratorem aliquando iocari decet. 17.2.34
Oratoris omnis uis in quibus ſita ſit. 85.2.7
Oratio ex decoro cauſſa diſponenda. 7.2.11
Oratio perſpicua, & ſplendida quid differant. 18.2.11
Oratio perſpicua, et illuſtris quae ſit. 18.2.13
Oratio, ſiue poema moratum quod dicatur. 21.1.39
Orationis genus duplex. 22.1 34.
Orationis ſplendor, & cultus nimius in exordijs euitandus. 18 2.25.
Oratio contra Ariſtogitonem an ſit Demoſthenis. 61.1.18
Ordo partitionis in confirmatione ſeruandus. 26.1.36

Ordiri ab ouo quid ſit. 70.1.28

P.

PARTITIO *quibus nominibus appelletur.* 25.1.1

Partes qualitatis, & quantitatis in oratione, & in poetica, & in humano corpore quæ ſint. 7.1.34.

Partes cauſſæ priusquam partes orationis excogitandæ. 14 1.29.

Partes orationis quo officio fungantur in oratione. 14.1.35

Paulus Manutius nominatur, & laudatur. 55.2.29

Palladium à quibus ſublatum fuerit. 62.1.3

Parentes ex filijs, & contrà laudantur, aut uituperantur. 77 1.31.

Parentes filijs Teſtamentum faciebant. 94.1.16

Pactum quid ſit. 95.1.26

Pactum ius conſuetudinis precedit. 95.1.28

Pactum legibus ſcriptis præſtat. ibidem.

Par quid ſit. 95.1.30

Parricidarum ſupplicium. 121 1.38.

Patientia quæ dicatur. 125.2 29.

Pericles, & Iſocrates cur cæteris Oratoribus præferantur. 3.1.16.

Petrus Victorius nominatur, et commendatur. 16.2.24

Perionius nominatur, & commendatur, 42.2.5

Peccatum niſi planè probatum non punitur. 91.1.9

Perſuadere proprium eſt oratoris. 5.2.23

Philoſophi Roma expulſi. 45.2 16.

Plauti locus correctus. 56.1.35

Politica, & rhetorica affinitas. 4.2.39.

Politica quæ ſubiecta ſint. 5.1.8

Poema omne, et in primis tragœdiã moratã eſſe decet. 21.1.20

Poetria quid ſit. 28.1.25

Pœna retinentis imperium præter legem apud Thebanos. 43 2.39.

Porcus fœderibus adhibebatur. 105.2.3.

Principia orationum ad qualitatem materiæ accommodanda. 16.2.11

Principia longa nimium eſſe non oportet. 21.2.16

Principia deliberatiui generis breuia, quandoq; longa. 16.2 16.

Principia iudicialis generis quid præſtent. *ibidem.*

Prætoria, & imperatoria poteſtas Græcis eadem fuit. 43.2. 30.

Prætoris auctoritas, & poteſtas. 90.1.38.

Principium duplex. 70.1.26

Probationes longas eſſe non oportet. 21.2.16

Propoſitio, et approbatio an una pars, uel duæ ſint partes. 44 1.33.45.1.8

Propoſitiones pluribus rationibus confirmantur. 44.2.12
Propoſitio uera quæ dicatur. 45.1.23.
Propoſitionis nomen Cic. nõ protulit niſi in his de inuentione libris. 45.2.23
Propoſitionis uaria nomina. ibidem.
Propoſitum quid. ibidem.
Proſyllogiſmi qui dicantur. 44 2.5.
Præſentia, & futura ex præteritis cognoſcuntur. 77.2.31
Promiſſa ſeruanda. 94.2.37
Præmij, & pœnæ quæſtio ſæpius eſt de futuro. 97.1.33
Præmium petentis pœna. 111 2.38.
Præſtituere quid ſit. 117.2.4
Præiudicia quando, & à quibus fierent. 91.1.37
Prudentia an ſit uirtus. 125. 2.6.
Probabilia in dubijs ſequenda. 113.2.17.
Primo quoque tempore quid ſignificet. 91.2.18
Pulchritudinis duo genera. 69 .2.36.
Pupillus qui dicatur. 94.1.1
Pythagoræ dictum. 27.2.22

Q.

QVIS *homines diſperſos primus congregauerit.* 3.1.33.
Quintiliani opinio aduerſus Ciceronem refellitur. 5.2.9
Q. Numitorius Pullus quis. 109.2.5.
Quæſtio infinita, & definita quid. 6.1.37.6.2.3
Quæſtionis infinitæ duo genera. 6.2.7.
Quæſtio infinita ab Apollodoro à definita non ſeparatur. 6.2.28.
Quæſtio infinita à definita ſeparanda eſt. 6.2.35
Quæſtores qui dicerentur. 104. 2.14.
Quid primum ab oratore requirendum. 10.2.10
Qualitas materiæ oratoris quæ. 6.1.17.
Quæ magis in muliere, quàm in uiro probabilia ſint, & è contrario. 27.1.15
Qui ſemel eſt improbus, in eodẽ maleficij genere ſemper improbus iudicatur. 77.2.33

R.

RATIOCINATIO *quid ſignificet.* 42.2.7
Ratiocinationis uis. 42 2.39
Ratiocinatio, & inductio quid differant, quamq; uim habeant. ibidem.
Raciocinatio quid ſit. 44.1.14
Ratiocinatio inductione potentior. 44.1.23
Ratiocinationis partes quot ſint. 44.1.26.
Ratiocinatio quot terminis conſtare debeat. 44.2.20
Ratiocinatio quæ eſſe dicatur. 74.2.36.
Ratiocinationis loci quot. 76.1 39.

Ratio

Ratio ſemper de præterito eſt. 12.1.25.
Rationi magis, quàm auctoribus credendum. 21.2.26
Rationes propoſitionũ an in ſyllogiſmo, an extra. 45.1.20
Ratio teſtibus præferenda. 86 1.7.
Rara quæ pulchra. prouerb. 111.2.17.
Repetere quid ſit. 3.1.13
Remotio criminis quid à relatione criminis differat. 12.2.23
Relatio criminis quo modo fiat. 100.5.36.
Relatio criminis quot nominibus appelletur. ibidem.
Regis nomen ſanctum. 61.2.24
Recuperatores iudices qui dicerentur. 95.2.11
Redemptores qui. 106.1.12
Rerum expetendarum genera quot. 124.1.28
Remota quæ dicantur. 84.2.5
Reprehenſio quot modis fiat. 49 1.31.
Rhetorica ciuilia negocia complectitur. 4.2.36
Rhetoricæ, & policitæ affinitas. 4.2.89.
Rhetorica quid ſit Ariſtoteli. 5.1.26.
Rhetorica ad dialecticam, & philoſophiæ inſtitutionem refertur. ibidem.
Rhetorices præcepta quis primus docuit. 70.1.38
Rhetorices inuẽtor incertus. 70 2.1.
Rhetorica quis primus profeſſus fuerit. 70.2.4
Rhetoricam quis primus ſcripſit. ibidem.
Roſa non è ſquilla naſcit ur. prouerb. 27.1.33
Robortellius. Vide Franciſcus Robortellius.

S.

SAPIENTIS *eſt in rebus difficillimis nihil affirmare.* 70.2. 29.
Sæpe, & multum. 3.1.7
Scipionis Africani iudicium. 51.1.21.
Scripti, & ſententiæ controuerſia. 113.1.8.116.2.38
Scripti appellatione quid intelligendum ſit. 112.2.30
Senſus hominis an ſemper ueri ſint. 7.1.13
Senſus quot ſint. 36.2.2
Sententia quid ſit, & qualis. 7.2.29.
Signa patrati facinoris. 31.1.25
Signa adulteræ mulieris. 81.2. 31.
Signa neceſſaria, & leuia. 36 2.12.
Solis magnitudo quãta. 7.1.20
Similitudines quæ. 33.1.27
Socrates, & alij philoſophi aurum abiecerunt. 50.1.14
Sorites quid ſit. 101.1.26
Status à quo fiat. 12.1.1
Status principales, & acceſſorij qui. 13.2.12
Status comparationis quot nominibus appelletur. 98.1.10

Status

Status ratiocinationis qui, & quot nominibus appelletur. 121.1.16.
Statua quam ob cauſſam hominibus erigerentur. 119.2.38
Statuæ uictorum in ſacris certaminibus quo modo appellentur. 120.1.3
Syllogiſmi conuertibiles quo modo fiant. 11.2.24
Sylua locorum communis, & ſeparata. 72.1.19
Syllogiſmus quot ex partibus conſtat. 44.1.29
Syphacis defectio à populo Ro. 109.1.36.
Syphacis fœdus cum Carthaginienſibus. 109.1.36
Syphacis captiuitas. 109.1.38
Syphax à quo fuerit in triumpho perductus. 109.1.39
Syphax quam ob rem Romanis bellum intulerit. 109.2.16

T.

TABELLAE *iudicum abſolutoria, & condemnatoria.* 109 1.3.
Teſtibus an ſemper credēdum. 86.1.7.
Teſtamenti formula. 117.1.17
Teſtium inducendorum ratio. 117.2.12.
Tempus an definiri poſſit, & quid ſit uarijs philoſophis. 31 2.1.
Tempus quid ſit. 31.2.21
Tempore præſenti philoſophi careant. 31.2.37
Tempus præſens, & magis præſens rhetores habent. 31.2.39
Thebæ duæ, & à quibus conditæ. 55.1.34
Thebæ centum portas habuit. 55.1.38.
Thebæ ab Alexandro diruta, 55.2.2.
Theophraſtus rhetoricam ſcripſit. 70.2.12
Tiſias, & Corax antiquiſs. rhetores: 6.1.21
Tiſias primus rhetoricam docuit. 70.1.37
Timon quis. 61.2.30
Timonis odium, & inhumanitas. *ibidem.*
Tiberij Cæſaris uaria nomina. 77.1.16.
Topi qui dicantur. 37.2.29
Translatiua conſtitutio an inter generales conſtitutiones reponi debeat. 11.1.1
Translatiua conſtitutionis Hermag. inuentor fuit. 13.1.21
Translatiua conſtitutio quot ex rebus fiat. 90.1.15
Tragœdia, & comœdia quid ſint, & ex quibus rebus conſtare debeant. 20.2.4
Translatio, & imago quid differant. 27.1.37
Trophei erigendi mos apud quos 97.2.29.
Tropheū uictoriæ ſignum. *ibidē.*
Trophea ex qua materia fierent. *ibidem.*
Triumphus cui decernebatur. 110.2.37.
Torquatus filium necat. 89.1.9

Verres

V.

Verres *unde dicatur*. 27.1.3.
Verba dilucida quæ ſint. 22.1.32.
Veritas an ex tormentis eliciatur. 86.1.17
Victorinus reprehenditur. 16.1.38.
Victorius, Vide Petrus Victorius.
Vincentius Madius nominatur, & commendatur. 14.1.37.
Virgilij locus optime declaratur. 33.1.7.
Virgilij uerſus aliter, atque uulgo ſolent, exponuntur. 18.2.16 25.1.27.
Vis armata. 91.1.14
Vis non armata. 91.1.16
Vis exturbatiua. *Ibidem*.
Vis quotidiana. *Ibidem*
Vindicta, & animaduerſio diſtinguuntur. 94.2.23
Victorini error. 95.1.10
Virtus quid ſit. 125.1.35
Virtutis definitio. *ibidem*.
Virtutis partes. 123.2.3
Virutes unde proficiſcãtur. *ibidẽ*.
Virtutes morales quæ ſint, eorũq; finis. 126.2.7
Virtutes morales quam ob rem uirtutes dicantur. 125.2.13
Virtutum duo genera. 25.2.15
Virtutis uis duplex. 125.2.16
Vnus non omnia egregie perſcribere poteſt. 70.1.9.
Voluntas magis, quàm factum æſtimatur. 106.2.27
Utile ab honeſto non ſegregatur. 71.2.38.
Vitia quæ uirtutes mentiuntur. 125.2.31.
Vlyſſes habitu mendici Troiam ingreſſus. 127.2.35

Z.

Zevsis *Helenam pinxit Crotoniatis*. 69.1.16
Zeuſis à quibus fuerit conductus. *ibidem*. & 69.2.2
Zeuſidis præſtantia in pingendo. 69.2.6.
Zeuſidis Helena meretrix cur uocata. 69.2.13
Zeuſis qualem Helenam dixerit ſe pinxiſſe. 69.2.18
Zeuſis cur in pingendo Helenæ ſimulacro non unam, ſed quinque delegerit uirgines. 69.2.39

FINIS.

Errata animaduerſione digniora.

1.1.14.	*ratio, tum*	*ratione, tum*
3.1.6.	*bipartitam*	*bipertitam. Sic tripertitam, quadripertitam, quinquepertitam ſemper.*
5.1.1.	κἶτα	καὶ τὰ
2.	ἐργὸν	ἔργον
10.2.37.	δυναμὶν	δύναμιν
11.2.4.	*conſtitutionem*	*conſtitutione*
13.2.32.	ῥητου	ῥητοῦ
14.1.25.	αἴτων	αἴτιον
26.	συνέχον	σύνεχον
16.2.31.	ἀνφίδοξον	ἀμφίδοξον
17.2.34.	τίς γελοίοις χαίρον	τοῖς γελοίοις χαίρων
18.2.14.	*hypoteſibus*	*hypotypoſibus*
33.	πιτανὸν	πιθανὸν
ibidem.	τομὐ αντίον	τ' ουναντίον
34.	καθὰ πὲρ	καθάπερ
21.1.34.	σύγεγον	σοῦ γέγον'
23.1.13.	πονιρία	πονηρία
29.	*puos*	*quos*
31.	ἔσαὶ δὲ τῦτο ἀνφδῶμεν	ἔσαι δὲ τοῦτο ἄν εἰδῶμεν
32.1.3.	μετολίγον μέλον	μετ' ὀλίγον μέλλον
34.2.39.	αλλ' ὕτως ὡ ημεῖς λέγομεν. λαμβάνετε	ἀλλ' ὕτως ὡς ἡμεῖς λέγομεν. λαμβάνεται
ibidem.	αναγκαίων, ὅς ἡμεις	ἀναγκαίων, ὡς ἡμεῖς
36.2.16.	*Iudicatam*	*Iudicatum*
73.2.19.	*Callidium*	*Caldum*
77.2.4.	κατὰ φηφίσαθε	καταψηφίσαθε
5.	πετρίων	μετρίων
109.1.3.	*condemnationis*	*condemnationiſq;*
114.2.32.	*proprius*	*propius*
124.2.3.	*ex ijs*	*ijs*
19.	*Caſſilienſes*	*Caſſilinenſes. & ſic ſemper.*
125.2.7.	*ambigunt*	*ambigant*

M. TVLLII CICERONIS
DE INVENTIONE
LIBER I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SAEPE, & multum hoc mecum cogitaui, boni ne, an mali plus attulerit hominibus, & ciuitatibus copia dicendi, ac ſummum eloquentiæ ſtudium. Nam & cum noſtræ Reip. detrimenta conſidero, & maximarum ciuitatum ueteres animo calamitates colligo; non minimam uideo per diſertiſsimos homines inuectam eſſe partem incommodorum. Cum autem res ab noſtra memoria, propter uetuſtatem, remotas ex literarum monumentis repetere inſtituo; multas urbes conſtitutas, plurima bella reſtincta, firmiſsimas ſocietates, ſanctiſsimas amicitias intelligo cum animi ratio, tum facilius eloquentia comparatas. Ac me quidem diu cogitantem ratio ipſa in hanc potiſsimum ſententiam ducit, ut exiſtimem ſapientiam ſine eloquentia parum prodeſſe ciuitatibus, eloquentiam uerò ſine ſapientia nimium obeſſe plerunque, prodeſſe nunquam. Quare ſi quis omiſsis rectiſsimis, atque honeſtiſsimis ſtudiis rationis, & officii, conſumit omnem operam in exercitatione dicendi; is inutilis ſibi, pernicioſus patriæ ciuis alitur: qui uerò ita ſeſe armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriæ, ſed pro his pugnare poſsit; is mihi uir & ſuis, & publicis rationibus utiliſsimus, atque amiciſsimus ciuis fore uidetur. Ac ſi uolumus huius rei, quæ uocatur eloquentia, ſiue artis, ſiue ſtudii, ſiue exercitationis cuiuſdam, ſiue facultatis à natura profectæ conſiderare principium; reperiemus id ex honeſtiſsimis cauſis natum: atque optimis rationibus profectum. Nam fuit quoddam tempus, cum in agris homines paſſim beſtiarum more uagabantur, & ſibi uictu ferino uitam propagabant: nec ratione animi quicquam, ſed pleraque uiribus corporis adminiſtrabant. Nondum diuinæ religionis, non humani officii ratio colebatur: nemo nuptias uiderat legitimas: non certos quiſquam inſpexerat liberos: non ius æquabile quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem, atque inſci-

tiam, cæca, ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad ſe explendam, uiribus corporis abutebatur pernicioſiſsimis ſatellitibus. Quo tempore quidam magnus uidelicet uir, & ſapiens cognouit, quæ materia eſſet, & quanta ad maximas res opportunitas animis ineſſet hominum, ſi quis eam poſſet elicere, & præcipiendo meliorem reddere: qui diſperſos homines in agris, & in tectis ſiluestribus abditos, ratione quadam compulit in unum locum, & congregauit: & eos in unamquanque rem inducens utilem, atque honeſtam, primò propter inſolentiam reclamantes, deinde propter rationem, atque orationem ſtudioſius audientes, ex feris, & immanibus mites reddidit, & manſuetos. Ac mihi quidem uidetur, hoc nec tacita, nec inops dicendi ſapientia perficere potuiſſe, ut homines à conſuetudine ſubito conuerteret, & ad diuerſas rationes uitæ traduceret. Age uerò, urbibus conſtitutis, ut fidem colere, & iuſtitiam retinere diſcerent, & aliis parere ſua uoluntate conſueſcerent; ac non modo labores excipiendos communis commodi cauſa, ſed etiam uitam amittendam exiſtimarent, qui tandem fieri potuit, niſi homines ea, quæ ratione inueniſſent, eloquentia perſuadere potuiſſent? Profectò nemo niſi graui, ac ſuaui commotus oratione, cum uiribus plurimum poſſet, ad ius uoluiſſet ſine ui deſcendere: ut inter quos poſſet excellere, cum iis ſe pateretur æquari, & ſua uoluntate à iucundiſsima conſuetudine recederet, quæ præſertim iam naturæ uim obtineret propter uetuſtatem. Ac primò quidem ſic & nata, & progreſſa longius eloquentia uidetur: & item poſtea maximis in rebus pacis, & belli cum ſummis hominum utilitatibus eſſe uerſata. Poſtquam uerò commoditas quædam praua uirtutis imitatrix, ſine ratione officii dicendi copiam conſecuta eſt; tum ingenio freta malitia, peruertere urbeis, & uitas hominum labefactare aſſueuit. Atque huius quoque exordium mali, quoniam principium boni diximus, explicemus. Veriſimillimum mihi uidetur quodam tempore, neque in publicis rebus infantes, & inſipientes homines ſolitos eſſe uerſari, nec uerò ad priuatas cauſas magnos, ac diſertos homines accedere: ſed cũ à ſummis uiris maximæ res adminiſtrarẽtur, arbitror alios fuiſſe nõ incallidos homines, qui ad paruas cõtrouerſias priuatorũ accederent. Quibus in controuerſiis cũ ſæpe à mendacio contra uerum homines ſtare conſueſcerent; dicendi aſsiduitas aluit audaciam, ut neceſſariò ſuperiores illi propter iniurias ciuium

uium reſiſtere audacibus, & opitulari ſuis quiſque neceſſariis co geretur. Itaque cum in dicendo ſæpe par, nonnunquam etiam ſuperior uiſus eſſet is, qui omiſſo ſtudio ſapientiæ, nihil ſibi præter eloquentiam comparaſſet; fiebat, ut & multitudinis, & ſuo iudicio dignus, qui remp. gereret, uideretur. Hinc nimirum non iniuria, cum ad gubernacula reip. temerarii, atque audaces homines acceſſerant, maxima, ac miſerrima naufragia fiebant. Quibus rebus tantum odii, atque inuidiæ ſuſcepit eloquentia, ut homines ingenioſiſsimi, quaſi ex aliqua turbida tempeſtate in portum; ſic ex ſeditioſa, ac tumultuoſa uita ſe in ſtudium aliquod traderent quietum. Quare mihi uidentur poſtea cetera ſtudia recta, atque honeſta per otium concelebrata ab optimis enituiſſe: hoc uerò à pleriſque eorum deſertum obſoleuiſſe eo tempore, quo multò uehementius erat retinendum, & ſtudioſius adaugendum. Nam quo indignius rem honeſtiſsimam, & rectiſſimam uiolabat ſtultorum, & improborum temeritas, & audacia ſummo cum Reip. detrimento, eò ſtudioſius & illis reſiſtendum fuit, & Reip. conſulendum. Quod noſtrum illum non fugit Catonem, neque Lælium, neque horum (ut uere dicam) diſcipulum Africanum, neque Gracchos Africani nepotes: quibus in hominibus erat ſumma uirtus, & ſumma uirtute amplificata auctoritas, & quæ his rebus ornamento, & reipub. præſidio eſſet, eloquentia. Quare meo quidem animo nihilo minus eloquentiæ ſtudendum eſt, etſi ea quidam & priuatim, & publice peruerſe abutuntur, ſed eò quidem uehementius, ne mali magno cum detrimento bonorum, & communi omnium pernicie plurimum poſsint: cum præſertim hoc unum ſit, quod ad omnes res & priuatas, & publicas maxime pertineat: hoc tuta, hoc honeſta, hoc illuſtris, hoc eodem uita iucunda fiat. Nam hinc ad rempub. plurima commoda ueniunt; ſi moderatrix omnium rerum præſto eſt ſapientia: hinc ad ipſos, qui eam adepti ſunt, laus, honor, dignitas confluit: hinc amicis quoque eorum certiſsimum, ac tutiſsimum præſidium comparatur. Ac mihi quidem uidentur homines, cum multis rebus humiliores, & infirmiores ſint, hac re maxime beſtiis præſtare, quòd loqui poſſunt. Quare præclarum mihi quiddam uidetur adeptus is, qui qua re homines beſtiis præſtent, ea in re hominibus ipſis antecellat. Hoc ſi forte non natura modo, neque exercitatione conficitur, uerum etiam artificio quodam comparatur; non alienum

eſt uidere, quæ dicunt ii, qui quædam eius rei præcepta nobis re liquerunt. Sed antequam de præceptis oratoriis dicamus; uidetur dicendum de genere ipſius artis, de officio, de fine, de materia, de partibus. Nam his rebus cognitis, facilius, & expeditius uniuſcuiuſque animus ipſam rationem, ac uiam artis conſiderare poterit.

NASCIMBAENI
NASCIMBAENII
IN PRIMVM M. TVLLII CICERONIS DE INVENTIONE LIBRVM COMMENTARIVS.

SAEPE, *et multum mecum cogitaui*] *Variæ in hoc proœmio quæſtiones tractantur, quas Græci θέσεις appellant: ſed illa in primis, iungendam eſſe eloquentiæ ſapientiam. Nam cum ſola ſapientia reipub. parum prodeſt, tum ſola eloquentia nunquam prodeſt: obeſt plerunque. deinde cum duo ſint eloquentiæ initia, alterum originis, actionis alterum; quo primum tempore agere aliquid illa cœperit, oſtendit. quæ quandiu admixta ſapientiæ fuit, profuiſſe uiſa eſt. ubi uerò neglecta ſapientia praui, ac temerarij homines ſola innixi eloquentia ad rempub. gerendam acceſſerunt, maxima illius naufragia fuere. Sed ne quis forte dicendi facultatem ob id deteſtandam eſſe obijciat, quòd plurima, maximaq́; attulerit rebuspub. incommoda, προληπτικῶς occupat eloquentiæ dandam eſſe operam, quæ ſapientiæ coniuncta ſit: cuius utilitatem, atque honeſtatem eleganter, copioseq́; demonſtrat. cumq́; orationis facultas partim natura, partim exercitatione, atque arte comparetur, & ars reliquis difficilior, magisq́; neceſſaria ſit, quædam rhetoricæ artis præcepta ad Græcorum imitationem ſe daturum pollicetur, ſi prius de genere ipſius artis, de officio, de fine, de materia, de partibus dixerit. Nam iis rebus cognitis, facilius, expeditiusq́; eloquentiæ documenta intelligi poſſe exiſtimat. proœmium deliberatiui generis eſt, eiusq́; præcipua quæſtio eſt, iungendam eſſe cum eloquentia ſapientiam: præterea tribus illis ornatum eſt uirtutibus, quæ omnibus principijs adhiberi ſolent. dociles primum*

mum Cicero auditores facit, cum quid eloquentia ſit, oſtendit. attentionem aucupatur, cum de ratione dicendi, orationiſq́; facultate tanquam de re maxima ſe dicturum pollicetur. poſtremò beneuolentiam ſibi conciliat, cum quanta ſit eloquentiæ utilitas, uſuſq́; demonſtrat. ¶ Sæpe, & multum mecum cogitaui boni'ne, an mali plus attulerit hominibus eloquentia] πρόθεσις ἐστ, quæ ἀπορίαν bipartitam habet. hunc locum præclarè explicat Victorinus. ego uerò tantum habeo quod dicam, ſæpe, & multum hic perinde dictum eſſe, atque ab Horatio in Epiſt. ſæpe, & diu. ſic enim inquit.

» *Ut proficiſcentem docui te ſæpe, diuq́;.*

¶ Copia dicendi] eloquentiæ definitione docilem auditorem facit. ¶ Nam & cum noſtræ reip. detrimenta conſidero] κατασκευὴ bimembris: quæ bipartita propoſitioni reſpondet. ¶ Repetere inſtituo] altè, & ab ouo, quod dicitur, inueſtigare incipio. ¶ Ac me quidem] ex ſuperiori ratione colligit, iungendam eſſe eloquentiæ ſapientiam. Locus iſte ex Phedro Platonis ſumptus eſſe uidetur: ubi Pericles, & Iſocrates ceteris ob id anteferuntur oratoribus, quòd eloquentiam cum ſapientia iunxerunt. Eandem quoque ſententiam probat Ariſt. in rhet. ad Alex. ¶ Pernicioſius patriæ ciuis alitur] hic locus ex Gorgia Platonis deſumptus eſt. ibi enim, qui non ueritatem, ac iuſtitiam, ſed coniecturam, more Tiſiæ, & Gorgiæ, imperitæ duntaxat multitudini probabilem ſequitur, hunc Plato tanquam ciuem ante alios patriæ pernicioſum deteſtatur: perinde quaſi eloquentia ſine ſapientia ſit ueluti enſis acutus in manibus furioſi. ¶ Siue artis, ſiue ſtudij] non ignorat Cicero de eloquentia, arteq́; dicendi non omnes idem ſentire. qua de re ſi quis plura deſiderat, adeat Quinctilianum in tertio libro: qui omnium ferè rhetorum ſententias ab huius artis principe, atque auctore uſque ad Ciceronẽ in unum locum conduxit. hanc uerò opinionum uarietatem uidetur Cicero ex Platonis Gorgia potiſſimum didiciſſe. ¶ Principium] non originis (nam ex natura initium habuiſſe uidetur) ſed actionis, cum primum prodeſſe cœperit. quod tamen non ſatis probat Quinctilianus. ¶ Nam fuit quoddam tempus] hanc eandem ſententiam uerbis planè mutatis extollit in oratione pro P. Sext.. ¶ Quidam magnus uidelicet uir, & ſapiens] eloquentia ſimul & ſapientia præditus. quis autem hic fuerit, uarij uaria ſentiunt. alij Amphionem, quidam Orpheum, nonnulli Saturnum, plurimi Mercurium putant. Unde Horatius in primo Carm.

» *Mercuri facunde nepos Atlantis,*
» *Qui feros cultus hominum recentum*
» *Voce formaſti catus.* *¶ Nec inops] rectè inops: nam eloquentia*

tiæ auxilio eget. ¶ *Age uerò*] *ſuperiorem propoſitionem amplificat, ac ſapientiæ uires κατὰ μείωσιν extenuat ab impoſſibili, ideſt, ἀπὸ τοῦ δυνατοῦ.* ¶ *Ac primo quidem*] ἐπίλογος. *breuiter eloquentiæ beneficia colligit.* ¶ *Poſtquam*] *uiam ſternit ad cauſſam incommodorum oſtendendam: quæ per homines eloquentiſſimos in reſpublicas inuecta fuerunt.* *Atque huius quoque*] μετάβασις *quæ attentionis locum habet.* ¶ *Veriſimillimum*] *quando, & quam ob rem obeſſe cœperit eloquentia.* ¶ *Hoc uerò à pleriſque eorum*] *factum redarguit ſapientum: qui ſummo in periculo rempub. deſeruerunt. deſignat Lacedæmonios, & Athenienſes.* ¶ *Quod noſtrum illum*] *breuis commendatio Romanorum: qui dicacibus hominibus non facile, ut Græci, rempub. conceſſerunt.* ¶ *Noſtrum*] *Romanum.* ¶ *Catonem*] *Cenſorinum.* ¶ *Lælium*] *qui apud Ciceronem cum Catone diſputat de ſenectute.* ¶ *Africanum*] *minorem.* ¶ *Gracchos fratres*] *Tib. & C.* ¶ *Africani nepotes*] *ex Cornelia filia: quæ Tib. Gracchorum patri nupſit. Cicero infra, & Plutarch. in uita.* ¶ *Quare meo quidem animo*] προληπτικῶς *occupat, ſtudendum eſſe eloquentiæ, rationesq́; deducit ex locis deliberatiui generis.* ¶ *Ne mali magno*] *cauſſa ab utili deducta: per quam ſibi quoque beneuolentiam aucupatur.* ¶ *Hoc tuta, hoc honeſta*] *amplificat ab utili, & honeſto, & locum exornat iteratione.* ¶ *Ac mihi quidem*] *altera ratio ab honeſto: quæ eloquentiæ poteſtatem amplificat.* ¶ *Hoc ſi fortè*] *locum ſapit à facultate ex eo, quod fieri nequit. ideſt* ἀπὸ τοῦ ἀδυνατοῦ: *quibusq́; rebus eloquentia comparari poſſit, oſtenditur.* ¶ *Non alienum eſt uidere*] *locus attentionis.* ¶ *Sed antequam*] *renouat attentionem, & ſummam rerum ante præceptionem artis dicendarum breui oratione perſtringit.* ¶ *De genere artis*] *quid, qualis, quantaq́; ſit ars, facultasq́; dicendi.*

Civilis quædam ratio eſt, quæ multis, & magnis ex rebus conſtat. eius quædam magna, & ampla pars eſt artificioſa eloquentia, quam rhetoricam uocant. Nam neque cum iis ſentimus, qui ciuilem ſcientiam eloquentia non putant indigere; & ab iis, qui eam putant omnem rhetoris ui, & artificio contineri, magnopere diſſentimus. Quare hanc oratoriam facultatem in eo genere ponemus, ut eam ciuilis ſcientiæ partem eſſe dicamus. Officium autem eius facultatis uidetur eſſe, dicere apposite ad perſuaſionem. Finis, perſuadere dictione. Inter officium autem, & finem hoc intereſt, quòd in officio quid fieri, in fine quid officio conueniat, conſideratur: ut medici officium dicimus eſſe, curare ad ſanandum appoſite: finem, ſanare curatione. Item oratoris quid officium, & quid finem eſſe dicamus,

camus, intelligemus, cum id, quod facere debet, officium eſſe dicemus: illud, cuius cauſa facere debet, finem appellabimus. Materiam artis eam dicimus, in qua omnis ars, & ea facultas, quæ conficitur ex arte, uerſatur: ut ſi medicinæ materiam dicamus morbos, ac uulnera, quòd in his omnis medicina uerſetur. item quibus in rebus uerſatur ars, & facultas oratoria, eas res materiam artis rhetoricæ nominamus. Has autem res alii plures, alii pauciores exiſtimauerunt. Nam Gorgias Leontinus antiquiſsimus ferè rhetor, omnibus de rebus oratorem optime poſſe dicere exiſtimauit. Hic infinitam, & immenſam huic artificio materiam ſubiicere uidetur. Ariſtoteles autem, qui huic arti plurima adiumenta, atque ornamenta ſubminiſtrauit, tribus in generibus rerum uerſari rhetoris officium putauit, demonſtratiuo, deliberatiuo, iudiciali. Demonſtratiuum eſt, quod tribuitur in alicuius certæ perſonæ laudem, aut uituperationem. Deliberatiuum eſt, quod poſitum in diſceptatione, uel conſulatione ciuili, habet in ſe ſententiæ dictionem. Iudiciale eſt, quod poſitum in iudicio, habet in ſe accuſationem, & defenſionem: aut petitionem, & recuſationem. Et, quemadmodum noſtra quidem fert opinio, oratoris ars, & facultas in hac materia tripartita uerſari exiſtimanda eſt. Nam Hermagoras quidem, nec quid dicat attendere, nec quid polliceatur, intelligere uidetur: qui oratoris materiam in cauſſam, & in quæſtionem diuidit. Cauſſam eſſe dicit rem, quæ habeat in ſe controuerſiam in dicendo poſitam cum perſonarum certarum interpoſitione: quam nos quoque oratori dicimus eſſe attributam. nam ei tres partes, quas ante diximus, ſupponimus, iudicialem, deliberatiuam, demonſtratiuam. Quæſtionem autem eam appellat, quæ habeat in ſe controuerſiam in dicendo poſitam, ſine certarum perſonarum interpoſitione, ad hunc modum: ut, Quid ſit bonum præter honeſtatem. Veri'ne ſint ſenſus. Quæ ſit mundi forma. Quæ ſit Solis magnitudo. Quas quæſtiones procul ab oratoris officio remotas, facile omnes intelligere exiſtimamus. Nam quibus in rebus ſumma ingenia philoſophorum plurimo cum labore conſumpta intelligimus, eas ſicut aliquas paruas res oratori attribuere, magna amentia uidetur. Quòd ſi magnam in his Hermagoras habuiſſet facultatem, ſtudio, & diſciplina comparatam, uideretur fretus ſua ſcientia, falſum quoddam conſtituiſſe de oratoris officio, & non

quid

quid ars, ſed quid ipſe poſſet, expoſuiſſe: nunc uerò ea uis eſt in homine, ut ei multò rhetoricam citius quis ademerit, quàm philoſophiam conceſſerit. Neque eò dico, quòd eius ars, quam edidit, mihi mendoſiſsime ſcripta uideatur. (Nam ſatis in ea uidetur ex antiquis artibus ingenioſe, & diligenter electas res collocaſſe, & non nihil ipſe quoque noui protuliſſe). Verum oratori minimum eſt de arte loqui, quod hic fecit: multò maximum ex arte dicere, quod eum minime potuiſſe, omnes uidemus. Quare materia quidem nobis rhetoricæ uidetur ea, quam Ariſtoteli uiſam eſſe diximus. Partes autem hæ ſunt, quas plerique dixerunt, inuentio, diſpoſitio, elocutio, memoria, pronuntiatio. Inuentio eſt excogitatio rerum uerarum, aut ueriſimilium, quæ cauſam probabilem reddant. Diſpoſitio eſt rerum inuentarum in ordinem diſtributio. Elocutio eſt idoneorum uerborum, & ſententiarum ad inuentionem accommodatio. Memoria eſt firma animi rerum, ac uerborum ad inuentionem perceptio. Pronuntiatio eſt ex rerum, ac uerborum dignitate, uocis, & corporis moderatio. Nũc his rebus breuiter conſtitutis, eas rationes, quibus oſtendere poſsimus genus, & officium, & finem huius artis, aliud in tempus differemus. Nam & multorum uerborum indigent, & non tantopere ad artis deſcriptionem, & præcepta tradenda pertinent. Eum autem, qui artem rhetoricam ſcribat, de duabus reliquis rebus, de materia artis, ac partibus ſcribere oportere exiſtimamus. Ac mihi quidem uidetur coniunctè agendum de materia, ac partibus. Quare inuentio, quæ princeps eſt omnium partium, potiſſimũ in omni cauſarum genere, qualis debeat eſſe, cõſideretur.

CIVILIS *quædam ratio eſt, quæ multis, & magnis ex rebus conſtat*] *præſtare incipit, quæ ſuperius pollicitus fuerat, ſe primum de genere artis dicturum: ideſt quid ſit ars, ſiue facultas rhetorica: quam explosis, fugatiſq; infinitis propè iam rhetorum definitionibus partem rationis, ideſt ſcientiæ, ſeu ſapientiæ ciuilis appellat. & profectò ualde mihi hæc uidetur huic arti quadrare definitio: nam etſi omnia dicendo perſuaſibilia orator complecti poſſe uidetur (quemadmodum Ariſtoteles in rhet. oſtendit: qui δυναμιν, ideſt uim, ſiue poteſtatem dicendi quid in unaquaque re poſſit eſſe perſuaſibile, rhetoricen appellat) tamen negotia ciuilia præſertim complectitur, non omnia quidem, ſed quæ in quæſtionibus, liteq; conſiſtunt; ob idq; Ariſt. in poet. ubi de ſententia uerba facit rhetoricen, & politicen coniunctè protulit. Sic enim ait.* Τρίτον δὲ ἡ διά- "

νοια τοῦτο δὲ ἐςὶ τὸ λέγειν δύνασθαι τὰ ἐνόντα, καὶ τὰ ἁρμόττοντα ὅπερ ἐπὶ τῶν λόγων τῆς πολιτικῆς, καὶ ῥητορικῆς ἔργον ἐςιν. i. tertio loco ſententia eſt. huius autẽ uis, ac poteſtas eſt explicare, quæ rebus inſunt, & quæ rebus conueniunt; id quod in ſoluta oratione facultatis ciuilis, atq; rhetoricæ propriũ munus eſt. Sciẽtia ciuilis, ideſt politica, omnia quidẽ negocia, quæ inter ciues geruntur, quæue reip. neceſſaria ſunt, complectitur; ueruntamen non omnia ſunt rhetoricæ facultatis munera. Ariſtoteles in primo de arte rhet. multa recenſet ciuili ſcientiæ ſubiecta: quæ à rhetorica facultate aliena eſſe docet. Sic enim ait. (latinè dicam, ut plures intelligant) Vtile uero eſt ad componendas leges non ſolum perdiſcere, quæ reipub. inſtitutorumq; forma expedierit ætate maiorum, ſed etiam noſſe, quæ apud alias quoque nationes expediat, & quæ quibus locis congruere, & conuenire uideantur. ex iis liquidò patet ferendis legibus peregrinationes; quibus multarum nationum inſtituta, legesq; accipi poſſunt, neceſſarias eſſe. in conſilijs uerò, deliberationibus ue rerum geſtarum notitiam plurimum ualere. poſtremò ſubdit, ἅπαντα δὲ ταῦτα πολιτικῆς, ἀλλ᾽ οὐ ῥητορικῆς ἔργον ἐςὶ. id eſt. omnia autem hæc ciuilis ſcientiæ ſunt, non rhetoricæ munera. ¶ Eius quadam magna, & ampla pars eſt artificioſa eloquentia: quam rhetoricam uocant] id ipſum confirmare uidetur Cicero ipſe in ſecundo de Orat. Vbi multa oratori ſubiecta colligit: quæ in ea ciuilis ſcientiæ parte uerſantur: quæ in quæſtionibus, uti iam diximus, liteq; conſiſtunt. eſt hic etiam obſeruandum, Ciceronem apertè fateri, rhetoricam eſſe artem, cum eam artificioſam eloquentiam appellet. Sed lege Quint. in tertio Cap. quid ſit rhetorica; ¶ Nam neq;] eorum ſententiam refellit: qui eloquentiam à ciuili ſcientia remotã uolunt, quiq; eam omnem abſq; eloquentia tractari poſſe negant. Ariſtoteles in primo de arte rhet. libro, rhetoricam facultatem ciuilis ſcientiæ; ſiue mauis negocij ciuilis nomine meritò appellari memorat, ob id, quia non ad dialecticam tantum, uerum etiam ad philoſophiæ inſtitutionem, quæ de affectibus, & perturbationibus animi tractat, refertur. ¶ Vi, & artificio] Ariſtotelis, Platoniſq; definitionem unà paucis complectitur. Alter enim δύναμιν, ideſt uim quandam eſſe ait, qua quid probabile ſit, uti diximus, perſpici poteſt: alter uerò artem ſermone flexanimam appellat. ſcite igitur iſta duo coniunxit. ui, & artificio. ¶ Officium autem eius facultatis uidetur eſſe dicere appoſitè ad perſuaſionem: finis, perſuadere dictione] rectè ſanè officij, & finis definitionem coniungit: nam cum omnia officia ad finem ſpectent, alterum abſq; altero rectè definiri non poteſt. eadem met ratione officium oratoris ab Ariſtotele definitur in principio ferè primi libri de arte rhetorica, cum ait. non uideri oratoris neceſſarium munus, atque officium perſuadere, ſed inuenire, & colligere ea, quæ in quæ-

que re apta ſunt, & appoſita ad perſuadendum. Sed de officio, & de fine oratoris magna eſt inter eruditos contentio, totq́; ferè ſententiæ, quot uiri. Cicero finem oratoris ait eſſe perſuadere dictione. Fabius Quintilianus, et qui ab eo ſunt, paſſis uelis in Tullium feruntur. quidam etiam, ſi Dijs placet, officium eſſe finem,& finem officium eſſe obſtinatè contendunt: rationem aſſignant, quòd & pecunia, meretricum blanditiæ, gratia, dignitas, auctoritas, artes, diſciplinæq́; aliæ perſuadent: nec oratores ſemper rectè, apteq́; dicendo perſuadere poſſunt. atque ideo non eſſe perſuadere idoneum finem, ſed bene dicere. Quorum ego rationibus, atque argumentis pro uirili enitar reſpondere, operamq́; dare, ut & Fabij argumenta penitus corruant, & nullus amplius reliquis aduerſarijs argumentandi, uel potius obloquendi locus relinquatur. Quod igitur Fabius ait, pecuniam, formam, cæteraq́; id genus perſuadere; non rectè perſuaſionis naturam, uimq́; percipere mihi uidetur: non enim uideo, quàm facilè poſſint, quæ muta ſunt, perſuadere: nec re uera perſuadent; ſed animos hominum alliciunt utilitatis cupiditate, aut uoluptatis. quas hercle captiones diligenter à M. Tullio uitatas fuiſſe animaduerti eo ipſo uerbo, quod addidit, dictione. Iam uerò illud affirmare finem ſummum eſſe bene dicere, neſcio quàm rectè ſit definitum. Nam ſi finis eſt omnibus in rebus, ad quem (ut in ethicis Ariſtoteles copioſe differit) omnia referuntur, cuius gratia reliqua fiunt, nec ultra datur progreſſus; certè ultimus finis eſſe non poteſt bene dicere: cum nemo abnuat; bene dicendi finem eſſe perſuadere. nam quo conſilio conatur orator bene dicere, niſi ut perſuadeat? Quod ſi non in foro oratorem, ſed in ſcholis declamatorem conſideres, qui nullo iudice fictam cauſſam agat; nemini dubium eſt, eius finem eſſe benedicere: at ubi in foro coràm iudicibus res agitur, ueraque cauſſa eſt, tentandiq́; ſunt iudicum animi, & permouendi, cumq́; aduerſario confligendum; quis non uidet eius actionis finem eſſe perſuadere? ad illud uerò, quòd non ſemper perſuadeat orator, ex poſterioribus multi pluribus reſponderunt: ſed ante alios optimè paucis Ariſtoteles. cum in primo de arte rhetorica ait, non eſſe oratoris neceſſarium munus, atque officium perſuadere, ſed apte dicere ad perſuaſionem: nam etſi non perſuadet, modo aptè dicat, ſuo tamen non caret fine. quòd mathematici, opificesq́; perſuadent, fatemur id quidem, ſed negamus artificioſa dictione: quæ propria eſt oratoris. ergo rectè Cicero ait finem oratoris eſſe perſuadere dictione: ſed nec perperàm fortaſſe Quintilianus: qui eum finem, qui in rebus, non qui in euentu poſitus eſt, conſiderauit. ¶ Vt medici officium dicimus eſſe curare appoſite ad ſanandum] ſimilitudinem adiungit ab arte medica ſumptam: perindeq́; ait oratoris eſſe apte dicere ad perſuaſionem, atque medici offi-

cium eſt curare apposite ad ſanandum. et eſt locus ex Ariſtotele ſumptus in principio ferè primi libri de arte rhet. nam de officio oratoris uerba faciens Ariſtoteles, eademmet ſimilitudine utitur. obſeruandum eſt etiam uerbum curare, quod medici proprium eſt: nam multi cantu, uel pręſentia numinum, uel, ſi Dijs placet, carminibus quoque ęgrotos ſanant.

¶ Materiam artis dicimus] declarato fine, & officio oratoris materiam definiendam aggreditur, utiturq́ communi omnium artium definitione, & perſtat in ſimilitudine à re medica ſumpta. ¶ Morbos, ac uulnera] duobus uerbis tria medicinę genera complectitur; de quibus Corn. Celſus, & Galenus in primis meminerunt. altera διαιτητικὴ, altera φαρμακευτικὴ, tertia χειρουργικὴ appellatur. prima uictu, altera pharmacis, tertia manibus curat. ergo morbos ad διαιτητικὴν, καὶ φαρμακευτικὴν, Vulnera uerò ad χειρουργικὴν referuntur. ¶ Has autem res alij plures] materiam oratoris eas res eſſe docuit, in quibus ars ipſa uerſatur: has autem res alij plures, alij pauciores eſſe dixerunt. Vicit tamen Ariſtotelis opinio, ut infra dicetur, qui tria duntaxat cauſarum genera, id eſt triplicem oratoris materiam fecit, demonſtratiuam, deliberatiuam, iudicialem: non enim oratio materia oratoris eſt, ſed opus, ſicuti ſtatuam opus ſtatuarij eſſe dicimus. Cicero in partit. Fab. in 2. cap. ult. ¶ Antiquiſſimus ferè rhetor] ferè addidit, quia alij ipſo antiquiores extiterunt Corax, & Tiſias; quos Gorgias ſecutus eſt, Plato in Phędro, item alij. ¶ Demonſtratiuo] hoc genus Cicero in partit. exornationẽ appellat; ἐπιδεικτικὸν gręcè, aliàs ἐγκωμιαστικὸν à meliori parte appellatur. ¶ Deliberatiuo] id συμβουλευτικὸν Gręci uocant; Ariſtoteles uero δημηγορητικὸν, id eſt (ut uertit Fabius) concionale. ¶ Iudiciali] hoc δικανικὸν appellant Gręci. ¶ Quod tribuitur in alicuius certę perſonę laudem] optime certę perſonę dixit: non enim incerta perſona laudatur, aut uituperatur, ſed cuius uita, & mores optime fuerint explorati. ¶ Habet in ſe accuſationem, & defenſionem] hoc ad iudiciales, quas alij capitales nominãt; quod uerò ſequitur petitionem, & recuſationem, ad ciuiles cauſſas referri debet. ¶ Nam Hermagoras quidem nec quid dicat attendere, nec quid polliceatur intelligere uidetur: qui oratoris materiam in cauſſam, & in quęſtionem diuidat] Hermagorę opinionem refellendam aggreditur: qui omnẽ oratoris materiam in cauſſam, & quęſtionem diuiſit: ſed quàm honeſta reprehenſio ſit; non facile eſt iudicare, ijs pręſertim, qui ipſius Hermagorę ſcriptis carent. aut enim Hermagoras cauſſam, primum illud genus, ſiue generis caput, quod triplicem materiam demonſtratiuam, deliberatiuam, iudicialem complectitur: aut definitam quęſtionem oratoris propriam, quam Gręci ὑπόθεσιν uocant, intelligit. Si per cauſſam pręcipuum, illud genus accipiendum eſt, uti Cicero ſen-

tire uidetur, profectò errauit Hermagoras: nam ad hoc, ut inquit Cicero, tria illa cauſſarum genera, & queſtiones, tota denique oratoris materia referuntur. Sin de queſtione ſingulari, ideſt indefinita ſenſit Hermagoras (ut ego quidem exiſtimo) Cicero adoleſcens, liberè dicam, inique reprehendit Hermagoram: qui nulla dignus eſſe reprehenſione uidetur: nam re uera omnis lis, & controuerſia forenſis, omniſq; oratoris materia in duobus quæſtionum generibus poſita eſt, infinita, & definita. definitam quæſtionem, cauſſam; infinitam uerò, queſtionem, non ſine aliqua tamen erroris labe, ut infra dicendum eſt, appellauit. Quòd autem Hermagoras cauſſam, definitam quæſtionem, ideſt ὑπόθεσιν intelligat; id ex ipſius Hermagoræ definitione perſpicue ſatis percipi poteſt: nam eſſe ait rem, quæ habet in ſe controuerſiam in dicendo poſitam cum perſonarum certarum interpoſitione. & Cicero ipſe in partitionibus, & in Topicis quæſtionem hãc modo cauſſam, modo controuerſiam, interdum definitam, uti diximus, quæſtionem uocat. quæ autem ſequitur quæſtio generalis, ſiue infinita, quam ait habere controuerſiam in dicendo poſitam ſine certarum perſonarum interpoſitione, ea eſt, quæ Hermagoræ lapſum continet: nam cum propoſiti, ideſt infinitæ quæſtionis (ſic eam appellat Cicero in partitionibus) duo ſint genera, cognitionis alterum, cuius finis eſt ſcientia; alterum actionis, quod in actione, & negocio uerſatur, Hermagoras, quod cognitionis eſt, oratori ſubiecit, cum illud ab omni ſit oratoris officio alienum. Quod uerò actionis erat, oratoriq; conueniens, de eo ne uerbum quidem fecit. id in cauſſa fuiſſe arbitror, quia infinitum in definito eſſe, id eſt, θέσιν ab ὑποθέσει contineri uidit: nam huiuſmodi interdum eſt controuerſia, ut abſque conſultatione, id eſt, generali quæſtione tractari non poſſit. in cauſſa pro Milone, cum plane probari non poſſet Clodium à Milone iure occiſum, reuocata hypotheſi ad theſim Cicero probare cœpit; hominem quandoque indicta cauſſa iure poſſe occidi. quam ob rem exiſtimauit Apollodorus infinitam quæſtionem à definita non ſeparandam, idemq; eſſe, utrum Horeſtes ſit necandus, an de parricida ſupplicium ſumendum ſit. cuius ſententia ab eruditis non eſt recepta: nam ſæpe propter perſonam aliud iudicatur, vt inquit Auguſtinus in rhet. quàm remota perſona iudicari ſoleat. quod & iure conſulti libro digeſtorum 48. probare uidentur, cum militem grauius puniri iubeant, qui ſæpe deſerat caſtra, quàm qui ex neceſſitate aliquando. quanquam igitur definita quæſtio quandoq; infinitam ſuo gremio continet, altera tamen ab altera ſciungi debet. Cumq; infinitarum quæſtionum altera in ſcientia, & cognitione rerum præſertim naturalium, altera in actione negocijſq; ciuilibus uerſetur, in quibus tota oratoris materia poſita eſt, de illa ſilendum, de hac ſeparatim loquendum fuerat. hinc ergo omnis

nis pendet error Hermagoræ. ¶ Quæſtionem autem eam appellat, quæ ha
beat in ſe controuerſiam indicendo poſitam ſine certarum perſonarum in-
terpoſitione, ad hunc modum: ecquid ſit bonum præter honeſtatem, et cæt.]
optima ſanè definitio: nam re uera definita quæſtio hoc ab infinita diſtat,
quòd hæc circunſtantias, perſonam in primis, interpoſitas habet. ut an iure
Clodium occiderit Milo, an Catoni uxor ducenda ſit. illa uerò nullis circun
ſtantijs diſcernitur; ut an homo interdum iure necari poſſit; an uxor ducen
da ſit; utrum ædificandum, utrum nauigandum ſit. Sed exempla Herma-
goræ quæſtioni rhetoricæ non conueniunt: nam è medio philoſophorum fonte
petita, uix ſummo philoſophorum ingenio tractari poſſunt. ¶ An ſit bonum
præter honeſtatem] ex dogmate Stoicorum: qui bonum quidquam præter
honeſtum eſſe negant. ¶ Veri ne ſint ſenſus] quinque ſunt hominis ſenſus. Vi
ſus, auditus, odoratus, guſtatus, tactus. Quæri igitur inter philoſophos ſolet,
utrum ueri ſint nec ne ſenſus. quidam aiunt ſemper eſſe ueros, alij ue-
rò negant: & profectò ſemper ueri non ſunt; nam quod dulce eſt corrupto
guſtui quandoque amarum uidebitur, & e contrario. item quod tangitur
aliud interdum eſt, aliud eſſe uidetur. de reliquis quoque idem dici poteſt.
¶ Quæ ſit forma mundi] an globoſa, ut Stoici, an turbinata, ut alij, an
rotunda, adeas Ariſtotelem in 2. de cælo, & mun. & Plutarchum in li-
bro de Placitis philoſophorum. ¶ Quæ ſit ſolis magnitudo] an tantus ſit,
quantus uidetur, ut ſentit Heraclitus, & Epicurus. nec perperàm fortaſ-
ſe: nam etſi oculorum ſenſus fallit in opaco corpore, haud tamen in lucido
fallere poteſt. Sed aliter Ariſtoteles: cui philoſophorum uulgus tantopere
tribuit, ut eius auctoritatem diuinæ ſæpius auctoritati præferant. ¶ Quòd
ſi magnam in his] acerbè inuehitur in Hermagoram: eiusq́; inſcitiam
planè accuſat. ¶ De oratoris officio] quod non in phyſicis quæſtionibus,
ſed in ciuilibus controuerſiis uerſatur. ¶ Neque eò dico] feſtiua ἐπανόρθωσις
cum irriſione, ¶ Quare materia quidem] concludit ex ſententia Ariſto
telis triplicem eſſe materiam oratoris. ¶ Partes autem hæ ſunt] Græcis
τὰ ἔργα. i. officia. ita ab auctore ad Heren. & Quintiliano nominantur.
Cicero in 2. de Orat. membra elocutionis, hic uerò partes oratoris appel-
lat: aut quia partes idem ſunt, quod officia: unde dicimus mea partes ſunt,
ideſt meum officium eſt. aut re uera partes ſunt, ſed qualitatis. Nam par
tes in oratione, & in poemate perinde ſunt, atque in humano corpore. in
corpore humano qualitatis, quantitatisq́; partes exiſtunt. qualitatis ſunt
oſſa, nerui, caro, color, ſpiritus, motus: quantitatis uerò caput, humeri, bra
chia, pedes, crura. in poemate præſertim in tragœdia qualitatis partes ſunt:
fabula, mores, dictio, ſententia, apparatus, et melodia. quãtitatis ſunt: Prolo
gus, Epiſodiũ, Choricũ, et Exodus. In oratione, ſiue in oratore qualitatis par

tes

res ſunt: inuentio, collocatio, elocutio, memoria, pronunciatio. quantitatis, exordium, narratio, partitio, probatio, confirmatio, concluſio: de quibus infra dicetur. igitur ſi partes qualitatis oratoris cum partib. humani corporis, aut poematis comparentur, inuentio inſtar eſt oſſium; diſpoſitio neruos imitatur, elocutio carnem, cutem, & colorem: memoria ſpiritus uice fungitur: quibus omnibus accedit pronunciatio ueluti motus quidam uitalis: nullum enim eſt uitæ certius argumentum, quàm motus. Vnde & flumina uiua dicuntur, & argentum uiuum; contra mortua, quæ torpent, languentq́. Si cum partibus poematis conferantur, inuentio ſimilis erit fabulæ: quæ totius poematis ſummam complectitur. diſpoſitio morum uim habet, ſi quidem ex decoro cauſſæ diſponenda oratio eſt; cuius narrationem (ut inquit Ariſtoteles) moratam eſſe oportet; elocutio dictioni: & ſententiæ optime quadrat; memoria & pronunciatio cum apparatu & melopeia egregie conueniunt. nam vt illa ſcænam, ita hæc orationem exornant. ¶ Inuentio, diſpoſitio, elocutio] ad ſcribendam orationem ſatis ſunt hæc tria; ad agendam uero reliqua etiam requiruntur, memoria, & pronunciatio. ¶ Inuentio eſt excogitatio rerum uerarum, aut ueriſimilium] duplex eſt argumenti genus, neceſſarium, probabile. Dialecticus, & orator, quod probabile eſt, potiſſimum ſequitur. ¶ Quæ cauſſam probabilem reddant] id omnis cauſſa ſeu uera, ſeu falſa requirit, ut probabilis ſit. ſit autem ueriſimilis cauſſa illis ſeptem circunſtantijs: quæ omnibus fere notiſſimæ ſunt: de quibus infra pluribus dicemus. ¶ Diſpoſitio eſt] quid diſpoſitio ſit declarat: de qua mihi quoque ſilendum eſſe arbitror, ne alteram ipſe rhetoricam ſcribere uidear. de illa copioſe auctor ad Heren. in tertio libro: & Fabius in nono; ſed & Cicero cum alibi, tum maxime in partitionibus egregie meminerunt. ¶ Elocutio eſt idoneorum uerborum, et ſententiarum] λέξεις, καὶ διανοίας, id eſt dictiones, & ſententias intelligit: de quibus Ariſtoteles in rhet. & in poetica, & Cicero in II. *de Oratore, & in part. orat. dictiones latinæ, propriæ, aut non duriter tranſlatæ, ſententiæ uerò, id eſt quod animo ſentimus, quos conceptus uocamus, graues eſſe debent: ad quas dictio, & oratio accommodanda eſt: nam dictio eſt, quæ uerbis rerum ſenſa explicat, ſunt qui uerba, & ſententias dictiones ſimplices, & coniunctas intelligant: quas latinas, ab omniq́ barbariæ uitio alienas eſſe decet. ¶ Ex rerum, & uerborum dignitate uocis, & corporis moderatio] quia uti uerba rebus, ita uocis uarietas, & corporis geſtus orationi aptanda eſt. utq́ res, & uerba idonea eſſe, ſic actio, & pronunciatio cum quadam uenuſtate fieri oportet. ¶ Ac mihi quidem uidetur coniunctè agendum de materia, & partibus] rectè. nam officia oratoris uerſantur in materia.*

OMNIS res, quæ habet in ſe poſitam in dictione, aut diſceptatione

ptatione aliquam controuerſiam, aut facti, aut nominis, aut ge neris, aut actionis continet quæſtionem. Eam igitur quæſtionē, ex qua cauſſa naſcitur, conſtitutionem appellamus. Conſtitutio, eſt prima conflictio cauſſarum, ex depulſione intentionis pro fecta, hoc modo. Feciſti, non feci, aut iure feci. Cum facti controuerſia eſt, quoniam coniecturis cauſa firmatur, conſtitutio coniecturalis appellatur. Cum autem nominis, quia uis uocabu li definienda uerbis eſt, conſtitutio definitiua nominatur. Cum uero qualis ſit res quæritur, quia & de ui, & de genere negotii cō trouerſia eſt, conſtitutio generalis uocatur. At cum cauſa ex eo pendet, quòd non aut is agere uidetur, quem oportet, aut non cum eo, qui cum oportet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua pœna oportet, translatiua dicitur conſtitutio: quia actio translationis, & commutationis indigere uidetur. Atque harum aliquam in omne cauſæ genus incidere neceſ ſe eſt. Nam in quam non inciderit, in ea nihil eſſe poterit contro uerſiæ. Quare eam nec cauſam quidem conuenit putari. Ac facti quidem controuerſia, in omnia tempora poteſt diſtribui. Nā quid factum ſit, poteſt quæri, hoc modo. Occiderit'ne Aiacem Vlyſſes. Et quid fiat, hoc modo. Bono'ne animo ſint erga Pop. Rom. Fregellani. Et quid futurum ſit, hoc modo. Si Carthaginem reliquerimus incolumen, num quid ſit incommodi ad Rēpublicam peruenturum. Nominis controuerſia eſt, cum de ſacto conuenit, & quæritur id, quod factum eſt, quo nomine appel letur. Quo in genere neceſſe eſt ideo nominis eſſe controuerſiā, non quòd de re ipſa non conueniat; non quòd de facto non conſtet; ſed quòd id, quod factum ſit, aliud alii uideatur eſſe: & idcir co alius alio nomine id appellet. Quare in huiuſmodi generibus definienda res erit uerbis, & breuiter deſcribenda: ut ſi quis ſacrum ex priuato ſurripuerit; utrum fur, an ſacrilegus ſit iudicandus. Nam id cum quæritur, neceſſe erit definire utrunque, quid ſit fur, quid ſacrilegus, & ſua deſcriptione oſtendere alio nomine illam rem, de qua agitur, appellari oportere, atque aduerſarii di cunt. Generis eſt controuerſia, cum & quid factum ſit, conuenit, & quo id factum nomine appellari oporteat, conſtat: & tamen quantum, & cuiuſmodi, & omnino quale ſit, quæritur, hoc modo. Iuſtum, an iniuſtum: utile, an inutile: & omnia, in quibus quale ſit id, quod factum eſt, quæritur: ſine ulla nominis con trouerſia. Huic generi Hermagoras partes quatuor ſuppoſuit,

deli-

deliberatiuam, demonſtratiuam, iuridicialem, negotialē. Quod eius, ut nos putamus, non mediocre peccatum reprehendendū uidetur: uerùm breui, ne aut ſi taciti præterierimus, ſine cauſa non ſecuti eum putemur; aut ſi diutius in hoc conſtiterimus, moram, atque impedimentum reliquis præceptis intuliſſe uideamur. Si deliberatio, & demonſtratio genera ſunt cauſſarum, non poſſunt rectè partes alicuius generis cauſſæ putari. Eadem enim res alii genus eſſe, alii pars poteſt. eidem genus eſſe, & pars non poteſt. Deliberatio autem, & demonſtratio, genera ſunt cauſſarum. Nam aut nullum cauſſæ genus eſt, aut iudiciale ſolum, aut & iudiciale, & demonſtratiuum, & deliberatiuum. Nullum dicere cauſſæ eſſe genus, cum cauſſas eſſe multas dicat, & in eas præcepta det, amentia eſt. Vnum autem iudiciale ſolùm eſſe qui poteſt? cum deliberatio, & demonſtratio, neque ipſæ ſimiles inter ſe ſint, & ab iudiciali genere plurimum diſsideant, & ſuum quæque finē habeat, quò referri debeat. Relinquitur ergo, ut omnia tria genera ſint cauſſarum. Deliberatio igitur, & demonſtratio non poſſunt rectè partes alicuius generis cauſſæ putari. Male igitur eas generalis conſtitutionis partes eſſe dixit. Quòd ſi generis cauſſæ partes non poſſunt rectè putari, multò minus rectè partis cauſſæ partes putabuntur. Pars autem cauſſæ conſtitutio eſt omnis. Non enim cauſſa ad cōſtitutionē, ſed conſtitutio ad cauſſam accōmodatur: ſed demonſtratio, & deliberatio generis cauſſæ partes non poſſunt rectè putari, quòd ipſa ſunt genera. Multò igitur minus rectè partis eius, quod hic dicit, partes putabuntur. Deinde ſi conſtitutio, & ipſa, & pars conſtitutionis eius quælibet, intentionis depulſio eſt; quæ intentionis depulſio non eſt, ea nec conſtitutio, nec pars coſtitutionis eſt. At ſi quæ intentionis depulſio non eſt, ea nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt; demonſtratio, & deliberatio, neque conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt. Si igitur conſtitutio, & ipſa, & pars eius intentionis depulſio eſt; deliberatio, & demonſtratio, neque conſtitutio, neque pars conſtitutionis eſt. Placet autem ipſi intentionis eſſe depulſionem. Placeat igitur oportet, non eſſe conſtitutionem, nec partem conſtitutionis. Atque hoc eodem urgebitur, ſiue conſtitutionem primam cauſæ accuſatoris confirmationem dixerit, ſiue defenſoris primam deprecationem. Nam eum eadem omnia incommoda ſequentur. Deinde coniecturalis cauſſa non poteſt ſimul ex eadem parte, eodem in genere & coniecturalis eſſe, & definitiua.

Rurſus

Rurſus nec definitiua cauſa poteſt ſimul ex eadem parte eodem in genere & definitiua eſſe, & translatiua. Et omnino nulla conſtitutio, nec pars conſtitutionis poteſt ſimul & ſuam habere, & alterius in ſe uim continere: ideo quòd unaquæque ex ſe, & ex ſua natura ſimpliciter conſideratur. Altera aſſumpta, numerus conſtitutionum duplicatur, non uis conſtitutionis augetur. At deliberatiua cauſa ſimul ex eadem parte, eodem in genere & coniecturalem, & generalem, & definitiuam, & translatiuam ſolet habere conſtitutionem, & unam aliquam, & plures nõnunquam: ergo ipſa nec conſtitutio eſt, nec pars conſtitutionis. Idem in demoſtratione ſolet uſu euenire. Genera igitur, ut ante diximus, hæc cauſſarum putanda ſunt, non partes alicuius conſtitutionis. Hæc ergo conſtitutio, quam generalem nominamus, partes nobis uidetur duas habere, iuridicialem, & negotialem. Iuridicialis eſt, in qua æqui, & recti natura, aut præmii, aut pœnæ ratio quæritur. Negotialis eſt, in qua quid iuris ex ciuili more, & æquitate ſit, conſideratur: cui diligentiæ praeeſſe apud nos iuriſcõſulti exiſtimantur. Ac iuridicialis quidem ipſa in duas diſtribuitur partes, abſolutam, & aſſumptiuam. Abſoluta eſt, quæ ipſa in ſe continet iuris, & iniuriæ quæſtionem. Aſſumptiua eſt, quæ ipſa ex ſe nihil firmi dat ad recuſationem: foris autem aliquid defenſionis aſſumit. Eius partes ſunt quatuor, conceſſio, remotio criminis, relatio criminis, comparatio. Conceſſio eſt, cum reus non id, quod factum eſt, defendit; ſed ut ignoſcatur, poſtulat. Hæc in duas partes diuiditur, purgationem, & deprecationem. Purgatio eſt, cum factum conceditur, culpa remouetur. Hæc partes habet tres, imprudentiam, caſum, neceſsitatem. Deprecatio eſt, cum & peccaſſe, & conſultò peccaſſe reus ſe confitetur, & tamen, ut ignoſcatur, poſtulat: quod genus perraro poteſt accidere. Remotio criminis eſt, cum id crimen, quod infertur, abs ſe, & à ſua culpa, ui, & poteſtate in alium reus remouere conatur. Id dupliciter fieri poterit, ſi aut cauſſa, aut factum in alium transferetur. Cauſſa transfertur, cum aliena dicitur ui, & poteſtate factum. Factum autem, cum alius aut debuiſſe, aut potuiſſe facere dicitur. Relatio criminis eſt, quod ideo iure factum dicitur, quòd aliquis ante iniuria laceſsierit. Comparatio eſt, cum aliud aliquod factũ rectum, aut utile contenditur: quod ut fieret; illud, quod arguitur, dicitur eſſe commiſſum. In quarta conſtitutione, quam tranſlatiuam nominamus, eius conſtitutionis eſt controuerſia, cum

aut quem, aut qui'cum, aut quomodo, aut apud quos, aut quo iure, aut quo tempore agere oporteat, quæritur, aut omnino aliquid de commutatione, aut infirmatione actionis agitur. Huius conſtitutionis Hermagoras inuentor eſſe exiſtimatur: non quò non uſi ſint ea ueteres oratores ſæpe multi; ſed quia non animaduerterint artis ſcriptores eam ſuperiores, nec retulerint in numerum conſtitutionum. Poſt autem ab hoc inuentam multi reprehenderunt: quos non tam imprudentia falli putamus (res enim perſpicua eſt) quàm inuidia, atq; obtrectatione quadam impediri. Et conſtitutiones quidem, & earum partes expoſuimus. exēpla autem cuiuſque generis tunc commodius expoſituri uidemur, cum in unumquodque eorum argumentorum copiam dabimus. Nam argumentandi ratio dilucidior erit, cum & ad genus, & ad exemplum cauſſæ ſtatim poterit accommodari. Conſtitutione cauſſæ reperta, ſtatim placet conſiderare, utrum cauſſa ſit ſimplex, an coniuncta: & ſi coniuncta erit; utrum ſit ex pluribus quæſtionibus iuncta, an ex aliqua comparatione. Simplex eſt, quæ abſolutam in ſe continet unam quæſtionem, hoc modo. Corinthiis bellum indicamus, an non. Coniuncta ex pluribus quæſtionibus, in qua plura quæruntur hoc pacto. Vtrum Carthago diruatur, an carthaginiēſibus reddatur, an eò colonia deducatur. Ex comparatione, in qua per contentionem, utrum potius, aut quid potiſsimum ſit, quæritur, ad hunc modum. Vtrum exercitus in Macedoniam contra Philippum mittatur, qui ſociis ſit auxilio, an teneatur in Italia, ut quammaximæ cōtra Anibalem copiæ ſint. Deinde conſiderandum eſt, an in ratione, an in ſcripto ſit controuerſia. Nam ſcripti controuerſia eſt ea, quæ ex ſcriptionis genere naſcitur. Eius autem genera, quæ ſunt ſeparata à conſtitutionibus, quinque ſunt. Nam tum uerba ipſa uidētur cum ſententia ſcriptoris diſsidere; tum inter ſe duæ leges, aut plures diſcrepare; tum id, quod ſcriptum eſt, duas, aut plures res ſignificare; tum ex eo, quod ſcriptum eſt, aliud quoq;, quod non ſcriptum eſt, inueniri; tum uis uerbi quaſi in diffinitiua conſtitutione, in quo poſita ſit, quæri. Quare primum genus de ſcripto, & ſententia, ſecūdum ex contrariis legibus, tertium ambiguum, quartū ratiocinatiuum, quintum diſſinitiuum nominamus. Ratio autem eſt, cum omnis quæſtio non in ſcriptione, ſed in aliqua argumentatione conſiſtit. At tum conſiderato genere cauſæ, & cognita conſtitutione, cum ſimplex'ne, an coniuncta ſit intellexeris,

xeris, & ſcripti, an rationis habeat controuerſiam uideris; deinceps erit uidendum, quæ quæſtio, quæ ratio, quæ iudicatio, quod firmamentum cauſæ ſit, quæ omnia à coniunctione proficiſcãtur oportet. Quæſtio eſt ea, quæ ex conflictione cauſſarum gignitur controuerſia, hoc modo. Non iure feciſti. Iure feci. Cauſſarum autem hæc eſt conflictio, in qua conſtitutio conſtat. Ex ea igitur naſcitur controuerſia, quam quæſtionem dicimus, hoc modo. Iure'ne fecerit. Ratio eſt ea, quæ continet cauſſam: quæ ſi ſublata ſit, nihil in cauſſa controuerſiæ relinquetur, hoc modo, ut docendi cauſſa in facili, & peruulgato exemplo conſiſtamus. Oreſtes ſi accuſetur matricidii, niſi hoc dicat, Iure feci, illa enim patrem meum occiderat; nón habet defenſionem: qua ſublata, omnis quoque controuerſia ſublata ſit. Ergo eius cauſſæ ratio eſt, quòd illa Agamemnonem occiderit. Iudicatio eſt, quæ ex infirmatione, & confirmatione rationis naſcitur controuerſia. Nam ſit ea nobis expoſita ratio, quam paulò ante expoſuimus. Illa enim, inquit, patrem occiderat. At non', inquit aduerſarius, abs te filio matrem necari oportuit. potuit enim ſine tuo ſcelere illius factum puniri. Ex hac deductione rationis illa ſumma naſcitur controuerſia, quam iudicationem appellamus. Ea eſt huiuſmodi. Rectum'ne fuerit ab Oreſte matrem occidi, cum illa Oreſtis patrem occidiſſet. Firmamentum eſt firmiſsima argumentatio defenſoris, & aptiſsima ad iudicationem: ut ſi uelit Oreſtes dicere, eiuſmodi animum matris ſuæ fuiſſe in patrem ſuum, in ſeipſum, in ſorores, in regnum, in famam generis, & familiæ, ut ab ea pœnas liberi ſui potiſsimum petere debuerint. Et in cæteris quidem conſtitutionibus ad hunc modum iudicationes reperiuntur: in coniecturali autem conſtitutione, quia ratio non eſt (factum enim non conceditur) non poteſt ex deductione rationis naſci iudicatio. Quare neceſſe eſt, eandem eſſe quæſtionem, & iudicationem: ut, factum eſt, factum non eſt, factum ne ſit. Quot autem in cauſa conſtitutiones, aut earum partes erunt, totidem neceſſe erit quæſtiones, rationes, iudicationes, firmamenta reperiri. His omnibus in cauſſa repertis, tunc deniq; ſingulæ partes totius cauſſæ cõſiderandæ ſunt. Nam nõ ut quidq; dicendum primum, ita primum animaduertendum uidetur: ideo quòd illa, quæ prima dicuntur; ſi uehementer uelis congruere, & cohærere cum cauſſa, ex eis ducas oportet, quæ poſt dicẽda ſunt. Quare cũ iudicatio, & ea, quæ ad iudicationem oportet inueniri argumen

ta, diligenter erunt artificio reperta, cura & cogitatione pertractata; tum deniq; ordinandæ ſunt cæteræ partes orationis. Hæ partes ſex eſſe omnino nobis uidentur, exordium, narratio, partitio, confirmatio, reprehenſio, concluſio. Nunc, quoniam exordium princeps omnium eſſe debet, nos quoq; primum in ratione exordiendi præcepta dabimus.

OMNIS *res, quæ habet in ſe poſitam*] *Iam præcepta artis aggreditur: & à prima oratoris parte, nempe ab inuentione, quæ reliquis partibus longe difficilior eſt, auſpicatur: cuius quidem mihi uidetur diuerſe tradi à Cicerone præcepta: nam in partitionibus orat. argumentorum loca, quibus fides ſit, primo requirēda docet: quæ præcipiēdi ratio ex Ariſtotele ſumpta eſſe uidetur: hic uerò conſtitutiones, ſiue cauſſarum ſtatus in inuentione primum inueſtigandas eſſe admonet. Sed parum refert, utrum prius, aut poſterius, argumentandi ratio detur, modo recte, & opportune detur. quatuor igitur conſtitutionum genera proponit, coniecturalem, definitiuā, generalem, tranſlatiuam: ſed de translatiua, quam ipſe actionis appellat, magna inter rhetores contentio eſt, an inter præcipuas, generalesq; conſtitutiones collocari debeat. quæ de re inferius pleniori oratione diſſeremus.* ¶ *Conſtitutio eſt prima cōflictio cauſſarū ex depulſione intentionis profecta*] *optime ex depulſione intentionis, ne illorum ſententiā probare uideatur, qui ex ſola intentione, aut ex ſola depulſione fieri ſtatum putabāt: quos ceu parum elocutos Fab. Quintilianus in tertio libro redarguit. ergo ex intentione, quàm* κατάφασιν, *& depulſione, quàm Græci* ἀπόφασιν *uocat, oritur conſtitutio. Ut occidiſti Aiacem, non occidi. ex hac intentione, & depulſione naſcitur hæc conſtitutio. utrum occiderit.* ¶ *Cum facti controuerſia eſt*] *coniecturalem ex facti inficiatione fieri oſtendit. propterea quidam inficialem, nonnulli ſubſtantialem, quia* περὶ τῆς οὐσίας *id eſt de ſubſtantia rei quæritur, Græci* στοχαστικὴν *ſiue* στοχασμὸν *appellant.* ¶ *Cum autem nominis*] ὁριστικὴ *Græcis dicitur. Theodorus auctore Fortunatiano hunc ſtatum* περὶ τῆς ἰδιότητος, *id eſt de proprietate appellauit. alij uerò* περὶ τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑτέρου. *id eſt de eodem, & altero.* ¶ *Cum uerò qualis ſit res quæritur*] *hæc conſtitutio duas partes complectitur, negocialem, & iuridicialem. Cicero generalem uocat, & cauſſam aſſignat: quia & de ui, & de genere negocij controuerſia eſt. an Græce* γενικὸν *dici poſſit, iudicent alij: perſpicuum autem eſt negocialem conſtitutionem à Græcis* πραγματικὴν, *iuridicialem uerò* δικαιολογικὴν *appellari.* ¶ *De ui, & de genere controuerſia eſt*] *quantum, qualeue ſit negotium quæritur. Uis enim quantitatem, ſiue* δυναμὶν, *hoc eſt poteſtatem: genus uerò qualitatem facti reſpicit.* ¶ *At cum cauſſa*] *quarta conſtitutio, quam translatiuam nominant. Cicero actionis, Græci* μετάληψιν *appellant.*

appellant. Virum uero in generalibus conſtitutionibus haberi poſſit, paulò inferius docebimus. certum eſt alibi à Cicerone tres tantum conſtitutiones probari, an ſit, quid ſit, quale ſit. iam uero tranſlatiuam probat, quatuorq́; modis fieri declarat, à perſona, à loco, à tempore, à re. ¶ Quòd non is agere] hoc ad perſonam referendum eſt. ¶ Aut non apud quos] locum deſignat. ¶ Quo tempore] tempus. ¶ Qua lege, crimine, pœna] ad rem omnia referenda ſunt. ¶ Atque harum aliquam in omne cauſſæ genus incidere neceſſe eſt] ergo & demonſtratiuum genus conſtitutionem habet. id quidem multis in locis innuit Cicero: ſed alij negant, & iure fortaſſe. Cæterum in ſecundo libro hac de re diligentiſſime diſputabimus. ¶ Ac facti quidem controuerſia] coniecturalis conſtitutio tribus temporibus tractari poſſe monet, præſenti, præterito, futuro, quod exemplis declarat. Ariſtoteles in rhet. et Cicero in partitionibus, tria tempora tribus cauſſarum generibus præſenti, præterito, futuro annexa eſſe memorant. in iudicijs de præterito tantum, in deliberationibus de futuro, in demonſtrationibus de præſenti quæritur. quæ cum ita ſint, coniecturalis conſtitutio tribus generibus conuenire uidetur: ergo & demonſtratiuo generi. quod profectò uerum eſſet, ſi quando demonſtratio controuerſiã haberet. Sed in homine laudando id uſu non uenit, quod in ſuaſionibus, diſſuaſionibusq́; contingere ſolet. ¶ Occiderit ne Aiacē Vlyſſes] coniectura hac de præterito eſt, & ad genus iudiciale refertur. ¶ Bono'ne animo ſint Fregellani] de præſenti, & (ut Victorinus ſentire uidetur) ad demonſtratiuũ genus referēda eſt: nam qui de hac re, inquit, diſceptaret, ab eo Fragellani deſcribendi eſſent, qui Romanis ſemper inimici iudicati fuerint. Sed hæc deſcriptio generi quoque deliberatiuo congruere poſſe uidetur: de Fregellanis Liuius libro 9. ab Vrb. Strabo in 5. Florus, atque alij. ¶ Et quid futurum ſit] ad deliberatiuum genus. ¶ Si Carthaginem relique rimus] ad Catonis, & Naſicæ contentionem alludit, quæ in Senatu de tollenda, aut relinquenda Carthagine habita eſt. ¶ Quantum, & cuiuſmodi, & omnino quale ſit quæritur] hinc planè perſpici poteſt, quid ſibi uelit Cicero ſuperius, cum de eademmet conſtitutione uerba faciens ait: quia & de ui, & de genere negotij controuerſia eſt: quod profectò niſi de quantitate, & qualitate facti non eſt intelligendum. quibus uerbis occulte Cæcilij, & Theodori ſententiam probare uidetur: qui (ut Fabius refert) non hos tantum ſtatus fecerunt: an ſit, quid ſit, quale ſit, ſed et quantũ ſit addiderunt. Ariſt. quoque in rhet. an ſit, quid, quale, quantum, & quàm multum ſit, quærendum putat. ¶ Huic Hermagoras generi partes quatuor ſuppoſuit, deliberatiuam, demonſtratiuam, iudicialem, negotialem] ad opinionem Hermagoræ refellendam ſe accingit, deliberationem, & demõſtrationē haud rectè ſub qualitate poſitas eſſe. ¶ Si deliberatio, & demonſtratio genera ſunt cauſſarum

rum] quatuor argumentationibus peccatum Hermagoræ diluendum aggreditur, quæ ab uno dilẽmate, tanquam ex aliquo fonte proficiſci uidentur, hoc modo. aut illa putat Hermagoras genera eſſe, aut non. Si genera eſſe autumat, malè ſub conſtitutionem qualitatis, quæ pars eſt generis, ea collocauit. Si genera eſſe negat, probo, inquit Cicero, eſſe genera. prima argumentatio ſyllogiſmus eſt, cuius partibus annexæ ſunt probationes: ex eoq́; genere eſt, quod longè petitum argumentum, id eſt à quæſtione ualde remotum dicitur. Nam quæſtio eſt, deliberationem, & demõſtrationem male ab Hermagora ſub qualitate collocari. longè autem à quæſtione Cicero incipit argumentari: nam primum genera cauſſarum eſſe docet, poſtremò ad quæſtionem reuertitur, cum ait. male igitur eas generalis conſtitutionis partes eſſe dixit. ¶ Si deliberatio] πρότασις eſt. ¶ Eadem enim res] κατασκευὴ, id eſt ratio propoſitionis. ¶ Deliberatio autem] λῆμμα id eſt aſſumptio. ¶ Nam aut nullum] ratio aſſumptionis. ¶ Relinquitur ergo] concluſio, quæ ex aſſumptionis probatione pendet: quam ſtatim ſequitur generalis concluſio per complexionem, ubi ait. deliberatio igitur. ¶ Quòd ſi generis] alter ſyllogiſmus à ſpecie deductus (nam ſuperior à genere fuit) cuius propoſitio ratione caret. quia perſpicuæ propoſitioni ratio minime neceſſaria fuit. ¶ Non enim cauſſa] hanc non propoſitionis rationem, ſed incidẽtem ſyllogiſmi quæſtionem Victorinus appellat. ¶ Deinde ſi conſtitutio] tertia argumentatio à definitione conſtitutionis deducta: quam colligit à primo ad ſecundum, à ſecundo ad tertium, à primo ad tertium. ſpecies ſoritis eſſe uidetur. ſanè difficilis eſt, artificioſaq́; argumentatio, & ex earum genere, quas logici conuertibiles ſyllogiſmos appellant. atqui cum propoſitiones, ſiue enunciationes in conficiendis ſyllogiſmis diſpari ratione conuertantur, illa in primis conuerſio celebratur, quæ facit eaſdem enunciationis particulas indefinitas eſſe, negatione ſilicet de loco migrante: nam particulæ indefinitæ fiunt hoc modo. homo, non homo: conſtitutio, non conſtitutio: depulſio, non depulſio. cum igitur Cicero dixiſſet, ſi conſtitutio, & ipſa pars conſtitutionis quælibet intentionis depulſio eſt, uolens rectè conuertere, negationes adhibuit. hoc modo. quæ intentionis depulſio non eſt, ea nec conſtitutio eſt, nec pars conſtitutionis. quod perinde eſt, ac ſi dicas. omnis homo eſt animal, omne non animal eſt non homo: nam ſi uerum eſt, omnis homo eſt animal, & uerum eſt, omne non animal eſt non homo. ¶ Atque hoc eodem urgebitur, ſiue conſtitutionem primam cauſſæ accuſatoris confirmationem dixerit, ſiue defenſoris primam deprecationem] res, inquit, ad idem inconueniens deducetur, ſiue etiam Hermagoras dixerit uel à reo, uel ab actore conſtitutionem fieri. hoc ideo Cicero dixiſſe uidetur, quia crediderunt nonnulli ſtatum eſſe primam eius, cum quo agitur, deprecationem. Vnde rurſus alia quæſtio eſt,

eſt, an ſtatum is ſemper faciat, qui reſpondet. cui rei precipuè repugnat Cornelius Celſus apud Quintilianum, inquiens, non à depulſione ſumi, ſed ab eo, qui propoſitionem ſuam confirmet, id eſt ab accuſatore. exempli gratia. Si hominem occiſum reus neget, ſtatus ab accuſatore naſcitur: quia is factum probare uelit. Si uerò iure occiſum reus dicit, translata probationis neceſſitate idem à reo fiet. quod utrum uerum, aut falſum ſit, haud mihi in præſentia quærendum eſt. hoc unum ſcio, Fabium huic ſententiæ ſubſcribere noluiſſe. Siue ergo dixerit Hermagoras, ſtatum eſſe aut primam accuſatoris confirmationem, aut primam defenſoris deprecationem, idem ſequetur abſurdum. nam ita quoq; in eum argumentari poterimus, ſi conſtitutio & ipſa, & pars conſtitutionis eius quælibet eſt prima accuſatoris confirmatio, aut prima defenſoris deprecatio, quæ non eſt prima aut accuſatoris confirmatio, aut defenſoris deprecatio, nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt, deliberatio, & demonſtratio, &c. ¶ Deinde coniecturalis] quarta eſt argumentatio: quæ nihil ferè difficultatis habet. ¶ Genera ergo] ex ſuperioribus colligit demonſtrationē, ac deliberationem genera eſſe cauſſarum, ideoq; generali conſtitutioni non ſubijcienda. ¶ Hæc ergo conſtitutio: quam generalem nominamus, partes nobis uidetur duas habere, iuridicialem, & negotialem] rectius fortaſſe Fabius, & Hermogenes: qui hanc generalem conſtitutionem in rationalem, & legitimam diſtribuerunt. rationalem rurſus in duas partes. aut enim de re iam facta, aut de facienda quæritur. Si de facta, iuridicialis: ſi de facienda, negotialis. ¶ Aut præmij, aut pœnæ ratio] quia obijci poterat, inquit Victorinus, pœnam, & præmium de futuro eſſe, ergo ſub iuridicialem, in qua de præterito tantum quæritur, cadere non poſſe, ſolo uerbo obiectionem refellit, quia ratio dixit: nam ratio ſemper de præterito eſt. itaq; præmium, & pœna etiam de præterito eſt. nam poſt ſupplicium de aliquo iniuſtè ſumptum, poteſt quis in iudicium uocari. ut de Verre apud Ciceronem: qui ciues Ro. in crucem egit. hæc Victorinus argutè quidem, & doctè. Sed & altera ratio eſt, quòd iuridicialis conſtitutio, eiuſq; partes, etſi præteritum tempus recipiunt propriè, ad deliberatiuum tamen genus, & ad negotialem ſtatum retorqueri poſſunt. nam in ſtatu negotiali de rebus ipſis quæritur (ut ſentit Fabius) remoto perſonarum complexu: & faciendum ne ſit quippiā, an non inueſtigatur. quod Cicero appoſitione præmij, & pœnæ, quibuſdam indicare uidetur. attamen in 2. lib. de præmij, & pœnæ ratione, tanquam de membris iuridicialis conſtitutionis locutus fuiſſe uidetur. ¶ Negotialis eſt] in hac conſtitutione quæritur faciendum ne ſit quicquam, an non. ac deliberatiuum genus, futurumq; tempus ſpectat. Cicero in 2. libro exemplum adducit de pupillo hærede relicto: qui antequàm in ſuam tutelam ueniret, mortuus eſt. de quo ſuo loco pluribus dicemus.

dicemus. atqui ſunt plures negotialis conſtitutionis ſpecies, quas omnes in præſentia recenſere me piget. adeas Fortunatianum in primo libro rhet. ¶ Ex ciuili more] Negotialis ſtatus magis præſcribit, quid agendum ſit, quàm agat. iudiciumq́ aliquando præcedit, quaſi iudicijs agendis ſit præiudicium quoddam. nam ante quàm iudicium de Verre ullum conſtitutum fuiſſet, præiudicium illud fuit, de conſtituendo accuſatore, uter accuſare deberet Cicero, an Cæcilius. ¶ Et æquitate] rectè. nam iuris, æquitatisq́ partibus (uti in 2. libro declarabitur) & ipſa defenditur. ¶ Ac iuridicialis quidem ipſa in duas diſtribuitur partes, abſolutam, & aſſumptiuam] in iuridiciali (quam ex re iam facta proficiſci diximus) aut reus feciſſe quippiam turpe, & uetitum fatetur; aut uetitum negat. Si negat uetitum, uerum naturali iure ſibi conceſſum dicat, iuridicialis eſt abſoluta: quam Græci κατ' ἀντίληψιν uocant. Si uerò rem turpem feciſſe confiteatur, aſſumptiua eſt, hæc Græcis κατ' ἀντίστασις dicitur. altera ſua ſponte ſe defendit: propterea ait Cicero, quod in ſe iuris, & iniuriæ quæſtionem continet. quot uerò modis, in 2. dicemus. altera extrinſecus auxilium implorat. quamobrem ait, quòd ex ſe nihil dat firmi ad recuſationem. quod uerò aſſumit ex re extranea adiumenti, id aut ex comparatione, aut ex relatione, aut ex remotione criminis, aut ex conceſſione per purgationem aſſumit. ¶ Hæc partes habet tres: imprudentiam, caſum, neceſſitatem] nonnulli quartam addiderunt obliuionem. exempli gratia. ſacerdos omnibus calẽdis ſacrum non fecit. petitur ad pœnam. hic enim aliter defendi non poteſt, niſi memoria id ſibi dixerit excidiſſe. ¶ Remotio criminis] hæc differt à relatione criminis: nam in relatione, in eum culpam reijcimus, qui paſſus eſt. at in remotione non in eum, qui paſſus eſt, ſed in alium, uel in aliud crimen transfertur. uideto exempla in 2. libro. ¶ Vi, & poteſtate] alterius. vi, quia coegit: poteſtate, quia cogere potuit. ¶ Si autem cauſſa, aut factum transfertur] quo modo factum transfertur, ſi iuridicialis conſtitutio facti confeſſionem continet? Sed factum ita à ſe remouet reus, ut minimè à ſe factum neget. in 2. libro iuuenis confitetur ſe porcum tenuiſſe ui, & poteſtate Mancini, ſiue alterius Imperatoris coactus, attamen fœdus ſe percuſſiſſe negat. ¶ Cum aliud aliquod factum] à reo. ¶ Quod ut fieret illud, quod arguitur] exempli gratia. hoſtes cum ex acie in mœnia ciuitatis irruerent, Imperator murum deiecit; hoſtes fugerunt. accuſatur læſæ reipub. ſe defendit comparatione. &, ut hoſtes fugaret, reiq́ pub. prodeſſet, murum deieciſſe contendit. ¶ In quarta conſtitutione, quam trãslatiuam nominamus) Translatiuam quatuor modis fieri ſuperius dictum eſt. à perſona, à loco, à tempore, à re, quæ omnia Cicero hic quoq; repetere uidetur. Sed quo modo ex ijs circunſtantijs translatio fieri poſſit, declarandum eſt. à perſona igitur uel accu-

ſatoris,

ſatoris,uel rei, ut ſi infamem agere poſſe negemus: uel uirum fortem accuſari. à re, ut ſi filius patrem affectatæ tyrannidis accuſaret,cum lex filijs actionem uetet in parentes niſi clementiæ. à tempore,ut ſi olim potuiſſe, nunc non poſſe quempiam dicamus. à loco,cum alibi agere poſſe, non ubi cauſſam actor intenderit,inſiſtamus. ¶ Quos non tam imprudentia falli putamus] translatiuam conſtitutionem de numero conſtitutionum tollendam eſſe, cum alijs multis argumentis probari poteſt,tum hoc in primis,quòd à controuerſia facti ſeiuncta eſt: neq; enim unquam rem ipſam, ſed modũ, actionemq́, conſiderat,ut nihil de re poſſit ex ea iudicari. accedit eò, quòd in reliquis, quos de arte,libris, perſcripſit Cicero,inter præcipuas conſtitutiones non retulit: ſed an ſit,quid ſit, quale ſit,duntaxat quærendum admonuit. iam uerò mordicus inter conſtitutiones eam collocandam eſſe contendit; cuius opinionem alij quoq; ſecuti ſunt: huncq́, tuendarum cauſſarum ordinem, atq; rationem eſſe autumant,ut reus primum,ſi poteſt,feciſſe neget: ſin minus, proximum eſt,ut Fabius ait,dicat ſe non feciſſe,quod obijciatur. tertio (quæ defenſio honeſtiſſima eſt) rectè feciſſe contendat. quæ ſi deficiant,una ſupereſt ſalus, aliquo iuris adiumento elabendi à crimine. quod fit per translationem. ¶ Non quòd non uſi ſint ea oratores ſæpe ueteres] Ariſtotelem, & Iſocratem in primis deſignat. Fabius Quint. de una conſtitutione uerba faciens,ſemina,inquit,quadã translationis citra nomen ipſum apud Ariſt. reperimus: ſed nomen primus Hermagoras reperit. & profectò multis in locis quatuor quæſtionum genera Ariſtoteles attingit in rhet. ad Theodecten. quorum nomina nullibi tamen unquam expreſſit. in rhetoricis uerò ad Alex. ubi de genere iudiciali uerba facit,trium tantummodo conſtitutionum meminit,hunc ferè in modum. Defendendi autem ſpecies tribus præceptis conſtat. aut enim defenſori oſtendendum eſt, ſe nihil eorum,quorum accuſatur, patrauiſſe; aut ſi cogatur fateri,enitendum eſt,vt geſtum à ſe negocium,& legitimum,& iuſtum,& honeſtum,& reipublicæ uſui eſſe oſtendat. Si hoc nequit,aut in fortunam, aut in imprudentiam geſta negocia conferens,operam dabit,ut ſibi ignoſcatur. Quibus uerbis & coniecturalis,et iuridicialis,& illa,quæ ex iuridiciali dependet,conceſſio per purgationem deſignari uidetur: translatiuæ uero nulla prorſus mentio fit. itaq; fit,ut ſi quandoq; incidit,non tanquam principale negocium tractetur,ſed tanquam aliqua fuga,uel prorogatio iudicij. Nam quanquam in ipſum iudicium,ut inquit Cicero in partit. hoc translationis genus ſæpe dilabatur, tamen ante iudicium tractari ſolet,de quo quidem genere cum diſceptatum fuerit, remanet tamen integrum illius rei iudicium, de quo controuerſia habenda eſt. exempli gratia. Si de accuſatore Verris cõſtituendo agatur, antequam crimina Verris audiantur, remanet adhuc integra in Verrem accuſatio,

D neq;

neque ob diuinationem, aut aliquod aliud præiudiciũ, tollitur iudicium principale, aut controuerſia in reum futura. ¶ Et conſtitutiones quidem] epilogus eorum, quæ hactenus de inuentione tractauit. ¶ Conſtitutione reperta] pergit oſtendere, quid repertis conſtitutionibus quærendum ſit. ¶ Corinthijs bellum indicamus, an non] id in conſultationem poſitum eſt in Senatu, utrum Corinthijs, propter legatos lotio aſperſos, indicendum eſſet bellum, an non. ¶ Vtrum Carthago diruatur, aut Carthaginienſibus reddatur, an eò coloniam deducatur] rurſus ad Catonis, & Naſicæ contentionem alludit. ſanè quæſtiones iſtæ deliberatiui generis ſunt: quod non ſimplices modò, uerum etiam coniunctas cauſſas habet. Sed & in iudiciali genere plura quæri, pluresq́; quæſtiones incidere ſolent. ſanè hoc perſpicuum eſt, quaſdam iudiciales cauſſas plures ſtatus poſſe recipere: è quibus unus præcipuus, principalisq́; ſit, neceſſe eſt. alij, qui fortè accidunt cauſſæ, acceſſorij, ſiue incidentes appellantur. quorum proprium eſt præcipuum confirmare. hos autem cognoſcere haud difficile eſt, ſi illud in primis obſeruauerimus, quid ſit, quod comprehendat, & quod comprehendatur. qui enim alterum in ſe habuerit, is erit principalis. in oratione pro Milone iuridicialis coniecturalem continet. ¶ Deinde conſiderandum eſt in ratione, an in ſcripto ſit controuerſia] hæc an inter conſtitutiones, ſiue partes conſtitutionum haberi debeant; uarij uaria ſentiunt. nonnulli affirmant eſſe ſtatus: quidam quæſtiones legitimas uocant. Cicero hæc à conſtitutionibus, earum partibus ſegregat, quaſi incidentes, & acceſſorias: quia omnino à facti controuerſia ſeiunctæ eſſe uidentur. Fabius in tertio libro cum ſtatus in rationales, & legitimos diſtribuiſſet, legitimos ex rationalibus fieri, eorumq́; ueluti ſimulacra interdum ſimplicia, quandoque mixta eſſe docuit. nam controuerſia ſcripti, & uoluntatis procul dubio aut qualitate, aut coniectura continetur. Syllogiſmus, ſiue ratiocinatio maxime qualitatis eſt. & legis contraria: quæ yſdem, quibus ſcriptum, & ſententia, conſtat: et ambiguum ſemper coniectura explicatur. finitio quoque utrique generi, quodq́; rerum, quodq́; ſcripti contemplatione conſtat, communis eſt. Hos igitur Cicero recenſet, ſiue ſtatus, ſiue quæſtiones. Scriptum, & ſententiam, contrarias leges, ambiguum, definitionem, ratiocinationem. hæc Græci ῥητοῦ καὶ διανοίας, ἀντινομίας, ἀμφιβολίας, ὁρικοῦ, συλλογισμοῦ στάσεις uocant. ¶ Quæ ex ſcriptionis genere] de quocunque ſcripti genere intelligendum eſt. lege, teſtamento. Senatuſconſulto, plebiſcito, pacto, idq́; genus alijs. ¶ Nam tum uerba ipſa uidentur cum ſententia ſcriptoris diſſidere] ineptum hercle eſt exemplum auctoris ad Heren. in primo libro de ſcripto, et ſententia: magis recepta ſunt Ciceronis in 2. libro, & aliorum exempla. hoc uerò appoſitiſſimum eſt. lege cautum eſt, ut ſi exul præter principis uoluntatem in urbem redierit, capite puniatur.

niatur. quid ſi redeat, ut principem de inſidijs admoneat? hic ſcriptoris uoluntas cum ſcripto contendit. ¶ Tum inter ſe duæ leges, aut plures diſcrepare] nulla legum contrariarum pugna, ut inquit Fabius, niſi ex euentu, et occaſione aliqua: nam fieri poteſt duas exiſtere leges eadem de re diuerſa ſentientes, quarum tamen altera alterius poteſtatem, ſi ſeparatim conſiderentur, non tollat, neque infirmet. uerum ſi unà quaſi haſtis cōcurrant, earum interpretatio colliditur, ut cui potius obtemperandum ſit, appareat. Verbi cauſſa. lex eſt, ut, qui uirgini uitium obtulerit, eius caput uirgo petere poſſit. & altera lex, ut qui uirginem rapuerit, eius nuptias uirgo petere poſſit. quidam una nocte duas uirgines uitiauit, altera caput, altera matrimoniū flagitat. hic leges ſeparatæ non mutuò pugnant. Sed coniunctæ confligunt, cui magis adhærendum ſit. ¶ Tum ex eo quod ſcriptum] ratiocinationem deſignat: quam alij collectionem, Græci συλλογισμὸν appellant. fit cum aliquid abſque, certa lege in iudicium uenit; cumq́, ex uno, quod ſcriptum eſt, aliud quoque, quod ſcriptum non eſt, argumentatione colligitur. exemplum eſt appoſitiſſimum apud auctorem ad Heren. & apud Ciceronem in 2. de Malleolo matricida. ibi pluribus diſſeremus. ¶ Tum uis uerbi quaſi in definitiua] definitionem intelligit, non illam principalem. quæ inter conſtitutiones refertur, ſed legitimam. non enim de facto, unde orta eſt cauſſa, ſed de ſcripti tantum definitione quæritur, de qua in 2. pleniori oratione dicemus. ¶ Ratio eſt] quia dixerat conſiderandum eſſe, utrum in ſcripto, an in ratione eſſet controuerſia, declaratis partibus ſcripti, iam rationem aggreditur. Quod controuerſiæ genus ideo ratio appellatur, quia non ſcripti auctoritate nititur, ſed argumentando rei cauſſam, et rationem oſtendit. ¶ Quæ quæſtio] Græci ζήτημα uocant. ¶ Quæ ratio] τὸ αἴτιον. ¶ Quæ indicatio] τὸ κρινόμενον. ¶ Quòd firmamentum] συνέχον. Sic ideo appellatur, quòd uel accuſationem aduerſarij, uel defenſionem rei confirmet. ſed his de rebus legito in partitionibus, & in top. propè finem. ¶ Nam non, ut quidquid dicendum primum eſt, ita primum animaduertendum uidetur] partes cauſſæ, & argumenta ad cauſſam idonea prius excogitanda eſſe monet, quàm partes orationis in ſuum ordinem dirigantur. quam ob rem Ariſtoteles antequam de orationis partibus ageret, ſiluam argumentorum, atque adeo totam rhetorices ſuppellectilem ſcribendo complexus eſt. ¶ Tum denique ordinandæ ſunt partes orationis] quantitatis partes intelligit: quas illico recenſet orator. exordium, narrationem, &c. quæ in oratione eo funguntur munere officij, quo in tragœdijs prologus, epiſodium, exodus, choricum; de quibus Ariſt. in poetica: ibiq́, Vincentius Madius, & Franciſcus Robortellius interpretes doctiſſime, ut omnia ſolent, diſputarunt. ¶ Hæ partes ſex omnino nobis uidentur] in partitionibus quatuor tantummodo col-

ligit: ad rem docendam duas: narrationem, confirmationem: ad animos impellendos itidem duas: exordium,& perorationem. Sed ſingulas de partibus orationis opiniones non attinet hic referre. hac de re tamen ſi quis plura uelit, adeat Fabium in quarto libro.

Exordivm eſt oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem: quod eueniet, ſi eum beneuolum, attentum, docilem fecerit. Quare qui bene exordiri cauſſam uolet, eum neceſſe eſt genus ſuæ cauſſæ diligenter ante cognoſcere. Genera cauſſarum quinque ſunt. Honeſtum, admirabile, humile, anceps, obſcurum. Honeſtum genus eſt, cui ſtatim ſine oratione noſtra auditoris fauet animus. Admirabile, à quo alienatus eſt animus eorum, qui audituri ſunt. Humile, quod negligitur ab auditore, & non magnopere attendendum uidetur. Anceps, in quo aut iudicatio dubia eſt, aut cauſſa & honeſtatis, & turpitudinis particeps, ut beneuolentiam pariat, & offenſionem. Obſcurum, in quo aut tardi auditores ſunt, aut difficilioribus ad cognoſcendum negotiis cauſſa implicita eſt. Quare, cum tam diuerſa ſint genera cauſſarum, exordiri quoque diſpari ratione in unoquoq; genere neceſſe eſt. Igitur exordium in duas partes diuiditur, in principium, & inſinuationem. Principium eſt oratio perſpicue, & protinus perficiens auditorem beneuolum, aut docilem, aut attentum. Inſinuatio eſt oratio quadam diſsimulatione, & circuitione obſcure ſubiens auditoris animum. In admirabili genere cauſſæ, ſi non omnino infeſti auditores erunt; principio beneuolentiam comparare licebit: ſin erunt uehementer abalienati; confugere neceſſe erit ad inſinuationem. Nam ab iratis ſi perſpicuè pax, & beneuolentia petitur, non modò ea non inuenitur, ſed augetur, atque inflammatur odium. In humili autem genere cauſſæ, contemptionis tollendæ cauſa, neceſſe erit attentum efficere auditorem. Anceps genus cauſſæ, ſi dubiam iudicationem habebit, ab ipſa iudicatione exordiendum eſt: ſin autem partem turpitudinis, & partem honeſtatis habebit; beneuolentiam captare oportebit: ut in genus honeſtum cauſſa tranſlata uideatur. cum autem erit honeſtũ cauſsæ genus, uel præteriri principium poterit; & ſi commodum fuerit, aut à narratione incipiemus, aut à lege, aut ab aliqua firmiſsima ratione noſtræ dictionis: uel ſi uti principio placebit, beneuolentiæ partibus utendum eſt, ut id, quod eſt, augeatur. In obſcuro autem cauſſæ genere, per principium dociles auditores efficere oportebit. Nunc quoniam quas

res

res exordio cōficere oporteat, dictum eſt; reliquum eſt, ut oſten datur, quibus quæque res rationibus confici poſsit. Beneuolentia quatuor ex locis comparatur: ab noſtra, ab aduerſariorum, ab iudicum perſona, à cauſsa. Ab noſtra, ſi de noſtris factis, & officiis ſine arrogantia dicemus: ſi crimina illata, & aliquas minus honeſtas ſuſpiciones iniectas diluemus: ſi, quæ incommoda acciderint, aut quæ inſtent difficultates, proferemus: ſi prece, & obſecratione humili, ac ſupplici utemur. Ab aduerſariorum autem, ſi eos aut in odium, aut in inuidiam, aut in contemptionem adducemus. In odium ducentur, ſi quid eorum ſpurce, ſuperbe, crudeliter, malitioſe factum proferetur. In inuidiam, ſi uis eorum, potentia, diuitiæ, cognatio, pecuniæ proferentur, atq; eorum uſus arrogans, & intolerabilis, ut his rebus magis uideātur, quàm cauſæ ſuæ, confidere. In cōtemptionem adducentur, ſi eorum inertia, negligentia, ignauia, deſidioſum ſtudium, & luxurioſum otium proferetur. Ab auditorum perſona beneuolentia captabitur, ſi res ab his fortiter, ſapienter, manſuete geſtæ proferentur, ut ne qua aſſentatio nimia ſignificetur: & ſi de his quàm honeſta exiſtimatio. quantaq́; eorum iudicii, & auctoritatis expectatio ſit, oſtendetur. Ab rebus ipſis, ſi cauſſam noſtram laudando extollemus, aduerſariorum cauſſam per contemptionem deprimemus. Attentos autem faciemus, ſi demonſtrabimus ea, quæ dicturi erimus, magna, noua, incredibilia eſſe, aut ad omnes, aut ad eos, qui audiunt, aut ad aliquos illuſtres homines, aut ad deos immortales, aut ad ſummam reipub. pertinere: & ſi pollicebimur nos breui noſtram cauſſam demonſtraturos, atque exponemus iudicationem, aut iudicationes, ſi plures erunt. Dociles audituros faciemus, ſi apertè, & breuiter ſummam cauſſæ exponemus, hoc eſt, in quo conſiſtat controuerſia. Nam & cum docilem uelis facere, ſimul attentum facias oportet. Nam is maxime docilis eſt, qui attentiſsime eſt paratus audire. Nunc, inſinuationes quemadmodum tractari conueniat, deinceps dicendum uidetur. Inſinuatione igitur utendum eſt, cum admirabile genus cauſſæ eſt, hoc eſt, ut ante diximus, cum animus auditoris infeſtus eſt. Id autem tribus ex cauſis fit maxime: ſi aut ineſt in ipſa cauſſa quædam turpitudo, aut ſi ab iis, qui ante dixerunt, iam quiddam auditori perſuaſum uidetur, aut ſi eo tempore locus dicendi datur, cum iam illi, quos audire oportet, defeſsi ſunt audiendo. Nam ex hac quoque re non minus, quàm ex primis duabus

bus

bus in oratione nonnunquam animus auditoris offenditur. Si cauſæ turpitudo contrahet offenſionem, aut pro eo homine, in quo offenditur, alium hominem, qui diligitur, interponi oportet: aut pro re, in qua offenditur, aliam rem, quæ probatur, aut pro re hominem, aut pro homine rem, ut ab eo, quod odit, ad id, quod diligit, auditoris animus traducatur, & diſsimulare id te de ſenſurum, quod exiſtimeris defenſurus. Deinde, cum iam mitior factus erit auditor, ingredi pedetentim in defenſionem, & dicere ea, quæ indignantur aduerſarii, tibi quoque indigna uideri. Deinde, cum lenieris eum, qui audiet; demonſtrare, nihil eorum ad te pertinere: & negare, te quicquam de aduerſariis eſſe dicturum, neque hoc, neque illud, ut neque aperte lædas eos, qui diliguntur, & tamen id obſcure faciens, quoad poſsis, alienes ab eis auditorum uoluntatem, & aliquorum iudicium ſimili de re, aut auctoritatem proferre imitatione dignam. Deinde, aut eandem, aut conſimilem, aut maiorem, aut minorem agi rem in præſentia demonſtrare. Sin oratio aduerſariorum fidem uidebitur auditoribus feciſſe, idq; ei, qui intelligit, quibus rebus fides fiat, facile erit cognitu, oportet aut de eo, quod aduerſarii ſibi firmiſsimum putarint, & maxime ii, qui audierint, probarint, primum te dicturum polliceri, aut ab aduerſarii dicto exordiri, & ab eo potiſsimum, quod ille nuperrime dixerit: aut dubitationę uti quid primum dicas, aut cui potiſsimum loco reſpondeas, cum admiratione. Nam auditor cum eum, quem aduerſarii perturbatum putant oratione, uidet animo firmiſsimo contradicere paratum, plerũque ſe potius temere aſſenſiſſe, quàm illum ſine cauſſa confidere arbitratur. Sin auditoris ſtudium defatigatio abalienauit à cauſa, te breuius, quàm paratus fueris, eſſe dicturũ commodum eſt polliceri, non imitaturum aduerſarium. Sin res dabit, non inutile eſt ab aliqua re noua, aut ridicula incipere, aut ex tẽpore, quæ nata ſit, quod genus, ſtrepitum, acclamationem, aut iam parata, quæ uel apologum, uel fabulam, uel aliquam contineat irriſionem: aut ſi rei dignitas adimet iocandi facultatem, aliquid triſte, nouum, horribile, ſtatim non incommodum eſt iniicere. Nam ut cibi ſatietas, & faſtidium, aut ſubamara aliqua re releuatur, aut dulci mitigatur; ſic animus defeſſus audiendo, aut admiratione integratur, aut riſu renouatur. Ac ſeparatim quidem, quæ de principio, & de inſinuatione dicenda uidebãtur, hæc ferè ſunt. Nunc quiddam breuiter, & communiter de utroque

præci

præcipiendum uidetur. Exordium ſentētiarum,& grauitatis plurimum debet habere,& omnino omnia, quæ pertinēt ad dignitatem,continere in ſe, propterea quòd id optime faciendum eſt, quod oratorem auditori maxime commendat. Splendoris,& feſtiuitatis,& concinnitudinis minimum,propterea quòd ex his ſuſpitio quædam apparationis, atq; artificioſæ diligentiæ naſcitur, quæ maxime orationi fidem,oratori adimit auctoritatem. Vitia uerò hæc ſunt certiſsima exordiorum,quæ ſummopere uitare oportebit,uulgare,commune,commutabile,longum,ſeparatum, translatum,contra præcepta. Vulgare eſt, quod in plures cauſſas poteſt accommodari,ut conuenire uideatur. Commune eſt, quod nihilo minus in hāc quàm in contrariam partem cauſſæ,poteſt conuenire. Commutabile,quod ab aduerſario poteſt leuiter mutatum ex contraria parte dici. Longum eſt, quod pluribus uerbis, aut ſententiis ultra, quàm ſatis eſt, producitur. Separatum,quod non ex ipſa cauſa dictum eſt, nec ſicut aliquod membrum annexum orationi. Translatum eſt, quod aliud conficit, quàm cauſſæ genus poſtulat: ut ſi quis docilem facit auditorem, cum beneuolētiam cauſſa deſideret: aut ſi principio utatur, cum inſinuationem res poſtulat. Contra præcepta eſt,quod nihil eorum efficit, quorum cauſſa de exordiis præcepta traduntur: hoc eſt,quod eum,qui audit,neque beneuolum,neque attentum, neque docilem efficit, aut, quo profectò nihil peius eſt, ut contra ſit, facit. Ac de exordio quidem ſatis dictum eſt.

EXORDIVM *eſt oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionē] principij munus maxime neceſſarium, ac præcipuum eſſe docuit Ariſt. finem oſtendere, cuius gratia oratio ſit inſtituta. ¶ Quod eueniet, ſi beneuolum, docilem, & attentum confecerit] hæc per totam actionem, uel ipſo Cic. admonente in 2. de Orat. fieri oportet: præſertim cum ceteris partibus minus quiſque ſemper intentus, & maiori tedio eſſe, quàm principio uideatur. quin etiam eos irridet Ariſt. in 3. rhet. qui attentos magis in exordio, quàm in reliquis partibus efficiendos eſſe auditores monent, cum ibi omnes attentiſſime audiant. quam ob rem reliquis etiam orationis partibus, ſi expediat, et cauſſa poſtulet, admonendos eſſe iudices ait, ut diligenter, & attente audiant. quod Cicero ubique diligenter obſeruare uidetur. præſertim ubi cauſſa poſtulat. Sed exordium eiuſmodi eſt, ut neceſſariò tribus iis muneribus animi auditorum ſemper præparandi eſſe uideantur. ¶ Genera cauſſarum ſunt quinque] locus iſte plurimis negotium faceſſit, Victorino in primis: qui ſaxum hoc ſurſum, ac deorſum diu uoluens, nihil proficit.*

ficit. ego uerò, quidquid alij dixerint, de qualitate materiæ intelligendam arbitror. Nam quemadmodum ſtatuarius ſimulacri effingendi materiam nactus, exempli cauſſa, aurum, ebur, lignum, marmor, aliaq́; id genus, unde ſtatuæ fiunt, ipſius materiæ qualitatem conſiderat, an dura, an fragilis, an ſolida ſit, ad eamq́; qualitatem idonea ſibi inſtrumenta comparat, & in effingendo diuerſa materiæ, qualitatisq́; ſimulacro diuerſa ratione uim, facultateḿq; artis exercet; ita quoq; orator primū genus cauſſæ, quæ orationis materia eſt, deinde qualis ſit ipſa cauſſa, an turpis, an honeſta, an humilis, an dubia, aut etiam admirabilis, ſecum ipſe reputat, ut ad qualitatem cauſſæ idoneum orationis exordium paret. neque illud ſilentio inuoluendum arbitror, principia orationum non ad qualitatem materiæ ſolum, uerum etiam ad materiam ſimpliciter quandoque eſſe accomodanda. in iudiciali genere procœmia (ut auctor eſt Ariſtoteles) idem præſtant, quod præfationes in fabulis, aut in heroico carmine prologus. deliberatiuum genus ex ſua natura (ut ipſemet Ariſt. docet) nullum principium habet. quia, ut inquit Fabius, conciliatus eſt ei quiſque, quem conſulit. Sed ſi quando in eo genere principio utimur, ex iudiciali genere quambreuiſſime deduci debet, quod ad beneuolentiam conciliandam faciat. ita ſentit ex Ariſtotele Cic. ſed Fabius affirmat & in Senatu, & in concione procœmia ad beneuolentiam comparandam poſſe deduci longa, quale illud eſſe uidetur Ciceronis procœmium in Ser. Rullum ad populum. ita enim ratio requirit aliquando: cui paret ars, vt optima duci. in exornatione uerò, id eſt in demonſtratiuo genere, ubi ſumma delectatio quæritur, prolixiora eſſe debent procœmia. cuius rei inter alios Cic. in part. & Petrus Victorius multi ſtudij, eruditionisq́; uir, in Commentarijs, quos doctiſſime, elegantiſſimeq́; in libros Ariſt. de arte rhet. ſcripſit, affatim meminit. Sed de uaria procœmiorum ratione, & quo modo ſingulis cauſſarum generibus accommodari debeant, diligentius omnium & copioſius Barth. Caualcantius pertractauit in libris de arte rhet. quos Etruſce quidem, ſed elegantiſſime atque doctiſſime compoſuit. ¶ Honeſtum] ἔνδοξον Græci. ¶ Admirabile] hoc additum eſt à Cicerone: Græci παράδοξον appellant. ¶ Humili] ἄδοξον. ¶ Anceps] ἀμφίδοξον. ¶ Obſcurum] σκοτινόδοξον, ſiue δυσπαρακόλουθον. ¶ Anceps, in quo aut iudicatio dubia eſt] licet omnes iudicationes dubiæ uideantur, tamen de iuridiciali iudicatione intelligendum eſt. ubi & ratio defenſoris, & confirmatio accuſatoris, unde κρινόμενον oritur, iudicari poteſt: quarum utraque probabilis eſſe uidetur. Nam dubium dicitur, cuius utraque pars probari poteſt. ¶ Igitur exordium in duas partes diuiditur, in principium, et in inſinuationem] egregie Fabius Quint. in quarto libro exordiorum loca nobis tradere uidetur. quorum alia ex perſonis, non nulla ex cauſſa, quædam uerò ex ijs,

quæ

quæ extra cauſſam fiunt, eruenda eſſe docet. Quæ promi poſſunt ex cauſſa manifeſta, ſunt cognita cuiuſque controuerſiæ natura, & conditione. perſonis applicantur propinquitates, amicitiæ, regiones, ciuitates. ad cauſſam extra pertinet tempus, unde exordium pro Cælio, locus, unde pro Deiotaro, habitus fori, unde pro Milone, opinio, unde exordiũ diuinationi de accuſatore in Verrem conſtituendo, fama, uulgi, expectatio iudiciorum, & ſimilia. atque hæc quidem omnia licet extra cauſſam deducta ſint, ad cauſſam tamen ut faciant, uidendum eſt. hic multa exempla, quæ ad exordij rationẽ faciunt, conſulto prætereo, tum quia interpretes auctoris ad Herenn. multa congeſſerunt, tum quia infinita prope iam cũ ex Cicerone, tum ex Virgilio facillime deduci poſſunt. ¶ *Ab auditorum perſona beneuolentia captabitur, ſi res ab his fortiter, ſapienter, manſuete geſta proferentur*] *tria potiſſimum hic iudicis officia breuiter colligit. fortitudinem animi, ſapientiã, mãſuetudinem. fortiter ergo ſine timore, nulla habita ratione dignitatis, aut gradus hominis, ſed ſolam iuſtitiæ æquitatem intuendo. hoc enim modo neque gratia, neque muneribus, neque humano timore unquam adduci poſſunt iudices, ut aliquid præter ius, faſq́; admittere uelint. Sapienter uerò, ſine errore iuris, manſuete cum conſilio, abſque iracundia, ſed æquitate iuris: neque enim decet reo iudicem iraſci, ſed, ut inquit Cic. in off. ſuas leges imitari debet, quæ non iracundia, ſed æquitate, & iuſtitia reos puniunt. à fortitudine animi auditorum beniuolentiam colligit Cicero in oratione pro Roſc. Am. cum ait. Te quoque magnopere M. Fanni quæſo, ut qualem te iam antea populo Ro. præbuiſti, cũ huic idem quæſtioni iudex præeſſes, talem te nobis, & populo Romano hoc tempore impertias. & in oratione pro Milone L. Domitij prætoris magnitudinem animi extollens inquit. ex conſularibus te creauit potiſſimum: dederas enim, quàm contemneres populares inſanias, iam ab adoleſcentia documenta maxima. & in oratione poſt reditum ſuum in Senatu habita locus eſt perquam egregius à magnitudine animi: ubi de P. Lentulo, deq́; alijs uerba facit: à quibus ipſe, & auctoritas populi Ro. abſque ullo timore defenſa eſt. A ſapientia, & iuſtitia, nec non à maturitate conſilij, quæ manſuetos, pacatosq́; efficit iudicium animos. Gn. Pompei beneuolentiam ſibi conciliat in oratione pro Milone ijs uerbis. Sed me recreat, & reficit, Gn. Pompei ſapientiſſimi, & iuſtiſſimi uiri conſilium: qui profecto nec iuſtitiæ ſuæ putaret eſſe, quem reum ſententijs iudicum tradidiſſet, eundem telis militum dedere; nec ſapientiæ, temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publica armare.* ¶ *Atentos autem*] *idem fere Ariſt. docet in 3. rhet. atque illud etiam adiungit, non ſemper utile eſſe attentũ habere iudicem. quam ob rẽ nõ nulli ſæpe riſu aliquo ad remittendã iudicis animi intentionem utuntur, quæ & Cicero ipſe, cum de inſinuatio-*

ne agit, preclare demonſtrat. loci attentionis cum alibi apud Cic. plures, tum maximè duo preclari, alter in procemio orationis pro C. Rabirio, alter pro L. Flacco. ¶ Dociles faciemus auditores, ſi apertè, & breuiter ſummam cauſſæ exponemus] Ariſt. in rhet. dociles ab eo potiſſimum fieri iudices putat: qui preſtare poſſit, ut uir æquus, & probus eſſe uideatur. qua in re maximum certe præſidium eſt, ſed pro uiro forti, & bono non ſemper agimus. hoc ergo facilius, illud difficilius factu eſſe uidetur: hoc ſemper, illud rarò fieri poteſt. Cicero. in fine procemiorum ſummam cauſſæ iudicibus proponere ſolet. quod cuique legenti facile patere poteſt. ¶ Nūc inſinuationes] alteram exordij partem, quam per inſinuationem fieri dixit, deſcribendam aggreditur. perſpicuus eſt contextus. ¶ Si cauſſæ turpitudo contrahet offenſionē, aut pro eo homines, in quo offenduur, alium, qui diligitur, interponi oportet.] ut apud Virgilium Turnus in 12. Æn.

» *miſeri te ſi qua parentis,*
» *Tangere cura poteſt, oro, fuit & tibi talis*
» *Anchiſes genitor, Dauni miſere ſenecta.*

¶ Aut pro re rem, aut pro homine rem, aut pro re hominem] homines, de quorum capite agitur in iudicio, aut male ipſi audiunt, aut facinus, quod ad miſerint: ſi res male audit, ad hominē, ſi bene audit, cōfugiendū eſt. aut ſi res turpis eſt, quæ in iudiciū uenit, ad aliā rē, quæ turpitudine careat, & præclara ſit, cōfugiendū eſt. Vt ſi accuſetur Manlius Capitolinus, quòd tyrannidem affectauerit, preclarū illud facinus, omiſſa tyrannidis commemoratione, adduci poterit, quod in fugandis ab arce Senonibus Gallis pro patria ſalute geſſit. Fabius duo tantum eſſe in cauſſa turpi dixit, ad quæ refugiamus, ut cum turpitudine cauſſæ laboremus, perſona ſubueniat: cum perſona, cauſſa. Sed alio quoque defenſionis genere Ciceronem uſum fuiſſe, cum uel cauſſa, uel perſona offendit, animaduerti. cuius rei principium orationis pro A. Cluentio. & pro C. Rabirio apertiſſima nobis ſuppeditabit exempla. ¶ Aut ſi rei dignitas adimet iocandi facultatem] τὸ πρέπον in agendis cauſſis ſeruandum eſſe iudicium facit. perinde quaſi dixerit indecorum eſſe, ac præter oratoris grauitatem, dignitatemq́; cauſſæ iocoſa ſerijs, leuia grauibus immiſcere. Quod Iſocrates ad Demonicum uel in communibus colloquijs fugiendum ijs uerbis admonuit. Μηδὲ περὶ τὰ γελοῖα σπούδαζων, μηδὲ περὶ τὰ σπουδαῖα τοῖς γελοίοις χαίρων. *id tamen non obſtat, quin interdum iocari, aliquid ue ridiculum dicere poſſimus: quo infenſos nobis auditorum animos concilie mus. propterea Cicero in 2. de Oratore. Sæpe (inquit) ſententioſe ridicula dicuntur. & Demoſthenes cum pro Ariſtide dicturus eſſet, perſuaſiq́; ab ijs, qui contra dixerant, ſic iudices forent, ut penè ſilentium imperarent, eos rogauit, ut ſibi copiam facerent dicendi pauca extra cauſſam: qua re à iudicibus*

cibus impetrata, fabulam lepidiſſimam, de umbra Aſini, quæ in prouerbium abijt, enarrare cœpit. Adoleſcens (inquit) æſtiuo tempore Megara profecturus conduxit aſinum. circa meridiem autem in maximo ardore ſolis eorum uterque ſubire umbram aſini uoluit, atque alter alterum prohibuit, hic ſe locaſſe aſinum, non umbram dicens: is uerò, qui conduxerat, ſe omnem habere poteſtatem. his dictis cum iudices riſu penè emori cerneret; ita ne inquit, de aſini umbra uultis audire, de grauibus autem rebus diſſerentem non uultis? ex Plutarcho hæc in uita Demoſth. quam iuuenis edidit. ¶ Deinde demonſtrare nihil eorum ad te pertinere] locus à remotione criminis eſſe uidetur. ¶ Deinde aut eandem, aut conſimilem, aut maiorem] locus à comparatione. hæc ita illotis, quod aiunt, pedibus abſque exẽplorum appoſitione pertranſeo: quia et alij exempla tradiderunt, & facillime cum ex Cicerone, tum ex alijs quoque probatiſſimis auctoribus peti poſſunt. ¶ Aut dubitatione uti quid primum dicas] quaſi rerum mole, argumentorumq́ multitudine obrutus, nõ aduerſarij, ſed tuorũ. hãc dubitationem Græci ἀπορίαν uocant, qua Dido utitur apud Virgilium in 4. Æn. cum ait:

» *Quæ quibus anteferam? id eſt. quid prius, quiáue poſterius dicam? Græcè fortaſſe melius. τὶ πρῶτον καὶ τὶ ὕστατον. ¶ Sin res dabit, non inutile eſt ab aliqua re noua, aut ridicula incipere] qualem ſupra de Demoſthene narrauimus. ¶ Aut ſi rei dignitas adimet iocandi facultatem, aliquid triſte, nouum, horribile, ſtatim non incommodum eſt inijcere] non quia placide, ac libenter audiantur; ſed quia excitant acres motus: ſubit enim animum non ſolum miſeratio earum perſonarum, quæ nominantur, uerum etiam totius humani generis: quòd dolemus, grauiterq́, ac moleſtè ferimus tantis miſerijs, calamitatibusq́ obnoxium eſſe. itaq; fit, ut non ſolum feſtiua, iocoſaq́ oratione, ſed triſti etiam, atque horrenda rerum commemoratione auditorum animi recreentur; ſicut, ſtomachus re modò dulci, modo amara refici, releuariq́ ſolet. ¶ Exordium ſententiarum, & grauitatis plurimum habere] à ſpecie ad genus tranſitionem facit, & quid principio, inſinuationiq́ conueniat, communiter præcipit. primum autem quid in exordio faciendum, deinde à quo abſtinendum ſit, admonet. grauitatis, dignitatisq́ plurimum, minimum feſtiuitatis, ac ornamenti habere debet. Nam altero ſtudium nobis auditorum cõparamus; altero artificij ſuſpicionem tollimus. atque, ut uno uerbo dicam, uerecundæ, minimeq́ fucatæ mulieri exordium ſimile ſit oportet: nam ut matrona ideo bene olere, quòd nihil olet, ita exordium, quòd ornamenta negligit, ornatius eſſe uidetur. Quam ob rem Cicero ipſe in orat. ad Brutum, principia, inquit, uerecunda, non elatis intenſa uerbis, ſed acuta ſententijs, uel ad offenſionem aduerſarij, uel ad commendationem ſui. ¶ Et omnino omnia, quæ pertinent ad dignitatem, continere*

in ſe] ut ſint pondera in uerbis, id eſt lecta uerba : quæ magnitudini rerum reſpondeant. ut ſi de Manlio Capitolino dicas, non ſatis eſt tenuiter dicere. Manlius tyrannus eſt, ſiue tyrannidem affectat. Sed augenda eſt nequitia facti. hoc modo. Manlium libido inuaſit occupandi regni, & reipub. in ſeruitutem redigendæ. re quiritur etiam, ut ſententiæ aptæ ſint communi uitæ. ne ſint prodigioſæ, aut nouæ, uel ſtoicæ, uel epicureæ: qualis fuit, qua Epicurus ille philoſophus, cum apud Fabritium ageret, uſus eſt; omnia uoluptatis gratia eſſe facienda. ¶ Quod oratorem auditori maximè commendat.] hoc efficit in primis grauitas orationis. ¶ Splendoris, & feſtiuitatis, & concinnitudinis minimum] hoc orationis genus Ciceroni in partitionibus illuſtre, ac ſplendidum appellatur. à quo etiam admonemur, hoc genus plus eſſe perſpicuo: ſemperq; efficiendum, ut ſit perſpicua oratio. Sed ut ſit ſplendida, & illuſtris, non ſemper neceſſarium eſt. Splendida autem oratio eſt, quæ ornata metaphoris, hypoteſibus, & amplificationibus. Græcis λαμπρὸς dicitur. huius generis infinita propè iam reperiri poſſunt apud Ciceronem exempla. Sed ne poetæ quidem, atque in primis Virgilius, iis carent exemplis. tale enim eſt illud ex primo Æn.

» Reſtitit Æneas, claraq; in luce refulſit
Os, humeroſq; Deo ſimilis. *Hactenus ſatis perſpicue dictum fuerat. ſed ut eandem orationem illuſtraret, rurſus erupit in ipſam formam. & ait.*
» Namq; ipſa decoram
» Cæſariem nato genitrix, lumenq; iuuentæ
» Purpureum, & lætos oculis adflarat honores.
deinde quo magis, magiſq; ſplendeſceret oratio ſimilitudinem addidit.
» Quale manus addunt ebori decus, & cet. *Huiuſmodi igitur ſplendor, nimiuſq; cultus in exordiis euitandus eſt, rationem ſuggerit in textu Cicero. ¶ Propterea quòd ex iis ſuſpicio quædam] Ariſtoteles in 3. rhet. unde locus iſte proculdubio ſumptus eſt (quanquam de omnibus orationis partibus communiter loquitur) diſſimulandum eſſe ait oratori orationis ornatum, ne ficta, aut conquiſita appareat oratio: nam qui orationis artificium, & quaſi uela eloquentiæ pandunt, ii uelle iudicibus inſidias tendere uidentur. uerba Ariſtotelis hoc habent* διὸ δεῖ λανθάνειν ποιοῦντας, καὶ μὴ δοκεῖν λέγειν πεπλασμένως ἀλλὰ πεφυκότως. τοῦτο γὰρ πιτανὸν, ἐκεῖνο δὲ τομὺ αντίον. ὥσπερ γὰρ, πρὸς ἐπιβουλεύοντα διαβάλλονται καθὰ πὲρ πρὸς τοὺς οἴνους τοὺς μεμιγμένους, καὶ οἷον ἡ θεοδόρου φωνὴ πέπονθε πρὸς τὴν τῶν ἄλλων ὑποκριτῶν. *id eſt, latere, & diſſimulari debet ornatus: uti ne conficta, conquiſitaq; oratio uideatur: ſed obuia, ſed innata, & ſponte, illaborateq; ſuppetens: nam hoc probabilem, illud uerò contrarium facit. qui enim omnes dicendi artes aperiunt, & ornatum orationis exponunt, tanquam uidentur attentare fidem iudicis, et inſidiari.*

proinde à iudicibus cauentur, probanturq́; ut uina miſcellanea, & fuctitia. tantumq́; intereſt hoc, an illo modo agatur, quantum Theodorus à reliquis actoribus differre exiſtimatus eſt. Nam uox Theodori ſua eius, qui diceret, ceterorum alienæ uidebantur eſſe. ¶ Vitia uerò hæc ſunt certiſſima exordiorum] quæ in exordiendis cauſſis uitia uitanda ſint, monet. ¶ Vulgare eſt, quod in plures cauſſas] Cicero in diuinatione innuere uidetur fuiſſe quædam antiquis principiorum genera in omnes ferè cauſſas accommodata: quibus aut à Deorum inuocatione initium erat, ut Iouem Opt. Max. inuoco; aut à reprehenſione ſuperioris temporis, ut vellem, ſi fieri poſſet, iudices. quæ quidem principia ex eorum genere eſſe, quæ uulgaria nuncupantur, Aſconius citato hoc Ciceronis loco iudicium facit. Ego uerò crediderim, non ob uulgaria dici, quòd clauſulam hanc tantum communem habuerint; Iouem ego Opt. Max. inuoco; aut uellem, ſi fieri poſſet: uerum quia fortè ita erant compoſita, ut integra omnibus cauſſis quadrare poſſe uiderentur. nam ſi ob clauſulam tantum uitioſa dici poſſent procemia, profectò non nulla Demoſthenis, & Ciceronis principia, quæ à Deorum inuocatione initium ſuſcipiunt, uitio non carerent. Nam Cicero in ea oratione, qua populo Ro. gratias agit de reditu ſuo, à Deorum inuocatione auſpicatur. Quod precatus, inquit, à Ioue Opt. Max. ceterisq́; Dijs immortalibus ſum Quirites. item Demoſthenes in oratione περὶ τῦ ςεφάνυ; πρῶτον μὲν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι θεοῖς εὔχομαι πᾶσι, ϗ πάσαις. et cet. hæc fuit antiquorum conſuetudo: ad quam alludens Virgilius in ſept. Æn. ita ait.

» *Præfatus Diuos ſolio rex in re infit ab alto.*

quã ob rẽ & Homerus a Deorũ inuocatione quandoq; orationẽ auſpicatur.

». κέκλυτέ μευ πάντές τε θεοί, πᾶσαί τε θέαιναι. *id eſt.*

» *Dijq́; Deæq́; meis omnes attendite uotis.* *Hunc priſcorum antiquorũ morem iure conſulti recentiores inter initia ſuorum conſiliorum, & tabelliones in ſcribendis teſtamentis paſſim obſeruant. ¶ Longum eſt] Demonſtratiua materia (cuius uti ſupra diximus, propria eſt delectatio] longa expoſtulat exordia. attamen quæ nimis longa ſunt, in quocunque genere improbari ſolent. ¶ Separatum, quod non ex ipſa cauſſa ductum eſt] Non damnat hic Cicero principia à rebus extra cauſſam ſumpta (nam plura inde, ut ſupra dictum eſt, quàm ex cauſſa ipſa promi ſolent) ſed quæ ad cauſſam nihil faciunt. ut ſi tu, cum quis repetundarum reus tibi defendendus eſſet, ex homicidij criminibus exordium peteres. propterea ſubdit. nec ſicut aliquod membrum annexum orationi. nam ea, quæ habuit exordia, prò Milone, pro Deiotaro, in Verrem, aliaq́; multa à rebus quidem extra cauſſam ſunt, ſed tam belle ad cauſſam faciunt, uti ex uiſceribus illius educta eſſe uideantur.*

NAR-

NARRATIO eſt rerum geſtarum, aut ut geſtarum expoſitio. Narrationum tria ſunt genera. Vnum genus eſt, in quo ipſa cauſſa, & omnis ratio controuerſiæ continetur. Alterum, in quo digreſsio aliqua extra cauſſam, aut criminationis, aut ſimilitudinis, aut delectationis non alienæ ab eo negotio, quo de agitur, aut amplificationis cauſſa interponitur. Tertium genus eſt remotum à ciuilibus cauſsis, quod delectationis cauſſa non inutili cum exercitatione dicitur, & ſcribitur. Eius partes ſunt duæ, quarum altera in negotiis, altera in perſonis maxime uerſatur. Ea, quæ in negotiorum expoſitione poſita eſt, tres habet partes, fabulam, hiſtoriam, argumentum. Fabula eſt, in qua nec ueræ, nec uerisimiles res continentur: cuiuſmodi eſt. Angues ingentes alites iuncti iugo. Hiſtoria eſt geſta res ab ætatis noſtræ memoria remota. quod genus. Appius indixit Carthaginienſibus bellum. Argumentum eſt ficta res, quæ tamen fieri potuit. Huiuſmodi apud Terent.

» Nam is, poſtquam exceſsit ex ephebis Soſia.

Illa autem narratio, quæ uerſatur in perſonis, eiuſmodi eſt, ut in ea ſimul cum rebus ipſis perſonarum ſermones, & animi perſpici poſsint, hoc modo.

» Venit ad me ſæpe clamitans. Quid agis Mitio?
» Cur perdis adoleſcentem nobis? cur amat?
» Cur potat? cur tu his rebus ſumptus ſuggeris?
» Veſtitu nimio indulges, nimium ineptus es.
» Nimium ipſe durus eſt, præter æquum, & bonum.

Hoc in genere narrationis multa debet ineſſe feſtiuitas confecta ex rerum uarietate, animorum diſsimilitudine, grauitate, lenitate, ſpe, metu, ſuſpicione, deſiderio, diſsimulatione, errore, miſericordia, fortunæ commutatione, inſperato incommodo, ſubita lætitia, iucundo exitu rerum. Verum hæc ex iis, quæ poſtea de elocutione præcipientur, ornamenta ſumuntur. Nunc de narratione ea, quæ cauſſæ continet expoſitionem, dicendum uidetur. Oportet igitur eam tres habere res, ut breuis, ut aperta, ut probabilis ſit. Breuis erit, ſi unde neceſſe eſt, inde initium ſumetur, & non ab ultimo repetetur: & ſi cuius rei ſatis erit ſummam dixiſſe, eius partes non dicentur. nam ſæpe ſatis eſt, quod factum ſit dicere, non ut enarres, quemadmodum ſit factum: & ſi nō longius, quàm quod ſcitu opus eſt, in narrando procedetur: & ſi nullam in rem aliam tranſibitur, & ſi ita dicetur, ut nōnunquam ex eo,

eo, quod dictum ſit, id, quod dictũ non ſit, intelligatur: & ſi non modo id, quod obeſt, uerum etiam id, quod nec obeſt, nec adiuuat, præteribitur: & ſi ſemel unumquodque dicetur, & ſi non ab eo, in quo proxime deſitum erit, deinceps incipietur. Ac multos imitatio decipit breuitatis, ut cum ſe breues putent eſſe, longiſſimi ſint: cum dent operam, ut res multas breuiter dicant, non ut omnino paucas res dicant, & non plures, quàm neceſſe ſit. Nam pleriſq; breuiter dicere uidetur, qui ita dicit. Acceſsi ad ædes. puerum euocaui. reſpondit. Quæſiui dominum. domi negauit eſſe. Hic tametſi tot res breuius non potuit dicere: tamen quia ſatis fuit dixiſſe, domi negauit eſſe, ſit rerum multitudine longus. Quare hoc quoque in genere uitanda eſt breuitatis imitatio, & non minus rerum non neceſſariarum, quàm uerborum multitudine ſuperſedendum eſt. Aperta autem narratio poterit eſſe, ſi ut quodque primum geſtum erit, ita primum exponetur, & rerum, ac temporum ordo ſeruabitur, ut ita narrentur, ut geſtæ res erunt, aut ut potuiſſe geri uidebuntur. Hic erit conſiderandũ, ne quid perturbate, nequid contorte dicatur, ne quam in aliam rem tranſeatur, ne ab ultimo repetatur, ne ad extremum prodeatur, nequid, quod ad rem pertineat, prætereatur: & omnino quæ præcepta de breuitate ſunt, hoc quoque in genere ſunt conſeruanda. Nam ſæpe res parum eſt intellecta longitudine magis, quàm obſcuritate narrationis. Ac uerbis quoque dilucidis utendum eſt, quo de genère dicendũ eſt in præceptis elocutionis.

NARRATIO *eſt rerum geſtarum*] *Narrationem definit primum, deinde in tria genera diuidit, ciuile, digreſſorium, remotum, quorum duo ad cauſſas forenſes pertinent, ciuile, digreſſorium, alterum principale eſt, alterum incidens; &, ut uocant, acceſſorium. hoc ἔκβασιν, illud διήγησιν Græci uocant. principalis narratio, quam ciuilem nominamus, illa eſt, quæ negotiorum ciuilium, ut geſta ſunt, uel ut geri potuiſſe uidentur, expoſitionem continet. incidens uerò, id eſt digreſſoria intercurrit quandoque uel criminationis, uel delectationis, uel apparationis gratia: quæ, etſi extra cauſſam eſt, ad cauſſam tamen pertinet. hoc narrationis, ſiue orationis genus Ariſtoteli in poetica epiſodium appellatur. quod & omnibus orationum generibus commune eſt: nam non oratores tantum, ſed hiſtorici quoque, et poetæ ſæpe à ſuo inſtituto digrediuntur. Remotum uerò narrationis genus à forenſi negotio alienum eſt. eo uel ad hiſtoriam, uel ad fabulam, uel ad fabularum argumentum explicandum, uel deniq; ad uarios hominum mores effingendos, utimur. ¶ Fabula eſt, in qua nec uera, nec ueriſimiles res continentur*]

nentur] non aliter ferè auctor ad Heren. fabulam definiuit. utq́; rem magis perſpicuam redderet, inſipienter addidit, ut ea, quæ tragœdijs traditæ ſunt. quaſi uerò quæ tragœdijs continentur, ueriſimilia non ſint, quanquam ſæpe à ueritate aliena ſunt. Quod ſi poeſis imitatio eſt, uti Ariſt. in poet. ſentire uidetur, tragœdiaq́; humanas actiones, atque illas quidem illuſtriores, comœdia uerò humiliores imitetur; tragœdia, & comœdia res ueriſimiles contineat neceſſe eſt, & ex rebus inter ſe ueriſimiliter cohærentibus conſtet, oportet. huiuſmodi ſunt Sophoclis, Euripidisq́; tragœdiæ, Menandri, & Terentij comœdiæ. quæ uerò belluinos mores, actionesq́; imitantur, uti Ariſtophanis comœdiæ: in quibus ranas, equos, ueſpas, aliaq́; bruta animantia loquētia inducit, uel quæ Deos, Deasq́; in arbores, aliamq́; formam à ueritate abhorrentem conuerſas continent, uti de Daphne in laurum conuerſa, de Ioue in cycnum; huiuſmodi fabulæ neque ueræ, neq; ueriſimiles exiſtunt. Recte igitur Cicero cum fabulam nec ueram, nec ueriſimilem definiſſet, nullam aut tragœdiæ, aut comœdiæ mentionem fecit, ſed exemplum rei appoſitum ſubiecit: ad quod fortaſſe etiam reſpexit auct. ad Heren. cum dixerit, ut ea, quæ tragœdijs traditæ ſunt. quaſi innuerit non omnia, quæ tragœdijs continentur, ſed quædam ſingularia, ut hoc ipſum eſt, quod hoc in loco de Medea, & de ſerpentibus currui iunctis dicitur. quod ſi ita eſt, facile defendi poterit auctor ille grauiſſimus. nam tragœdiæ ex rebus ueriſimilibus communiter conſtare quidem debent, ſed illis quandoq; etiam incredibilia admiſcentur. ¶ Angues ingentes alites iugo iuncti] hoc non eſt ueriſimile, neque ulla imagine ueritatem repræſentat. nam quis eſt ita animi cæcus, uel conſilij expers, qui crederet ſerpentes iungi potuiſſe, ut currum traherent? quod tamen à Cerere factum fuiſſe poetæ fictis fabulis memoriæ prodiderunt. Ouidius in 4. de Faſtis.

» Eſt ſpecus exeſi ſtructura pumicis aſper,
» Non homini regio, non adeunda feræ.
» Quo ſimul ac uenit, frenatos curribus angues
» Iunxit, & æquoreas ſicca pererrat aquas.

hic autem uerſus iambicus ſenarius eſt, ex aliquo poeta uetuſtiſſimo deſumptus, &, ut arbitror, ex Ennio: qui cum non Cereris, ſed Medeæ tragœdiam ſcripſerit, facile conijcio de Medea potius, quàm de Cerere intelligendum eſſe. Nam Medea apud Euripidem, cuius fabulam in Latinum Ennius tranſtulit, cum liberos ſuos necaſſet, currum conſcēdens à draconibus allatis tractũ, quem à ſole acceperat, Athenas transfugit, ibiq́; Ægeo Pandionis filio nupſit. de curru Medeæ meminit Euripides in tragœdia eius nominis propè finem, ijs uerſibus.

» Τοῖον δ᾽ ὄχημα πατρὸς ἥλιος πατὴρ

» Δίδωσιν ἡμῖν ἔρυμα πολεμίας χερός. *id eſt.*

» *Talem currum patris ſol pater*

» *Dat nobis propugnaculum hoſtilis manus.* *fabulam copioſe deſcribit Ouid. in 7. Metamorph.* ¶ *Hiſtoria eſt geſta res*] *hiſtoria res ueras continet; & quidquid Seruius grammaticus dixerit, à noſtra memoria remotas. quid hiſtoricus à poeta differat, Ariſtoteles in poetica docuit. hic quæ facta fuerint, ille uerò, ut fieri etiam potuerint, narrat.* ¶ *Appius indixit Carthaginienſibus bellum*] *Appius Claudius cos. primus (ut Liuius in proœmio primi libri de bello Macedon. & Aſiat. & Florus in epit.) bellum Carthaginienſibus intulit. hoc fuit primum bellum punicum: quod nauibus geſtum eſt.* ¶ *Argumentum eſt ficta res*] *argumentum eſt breuis collectio uel tragœdiæ, uel comœdiæ, uel poematis huiuſmodi: quæ licet res fictas contineant, tamen ſint ueriſimiles, oportet. propterea quòd humanas actiones imitantur. ideo ſequitur. quæ tamen fieri potuit. & Terentij poetæ adducit exemplum ex Andria.* ¶ *Illa autem narratio, quæ uerſatur in perſonis, eiuſmodi eſt, ut in ea ſimul cum rebus ipſis perſonarum ſermones, & animi perſpici poſſint*] *alteram remotæ narrationis partem aggreditur: quæ in perſonarum animis, moribusq́; deſcribendis, declarandisq́; poſita eſt. Hæc pars cum aliorum, tum maxime poetarum eſt: quæ morata dici poteſt. Sane omne poema moratum eſſe decet. Sed in primis tragœdia: quæ affectibus, perturbationibusq́; abundat. eſt autem mos (uti ab Ariſtotele deſcribitur in poetica) qui animorum mores declarat.* ἔστι δὲ ἦθος μὲν, *inquit,* τὸ τοιοῦτον, ὃ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν. *infinita quædam apud poetas extant exempla: quibus animi hominum, ſermonesq́; perſpici poſſunt. Sed præclare Ariſtophanes moratos heri, atque ſerui ſermones exprimit in Pluto. Nam Chremylus herus cum dixiſſet.* τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἐστὶ πάντων πλησμονή. *id eſt aliorum omnium ſatietas eſt. idq́; explicans diceret. amoris, muſicæ, honoris, &c. Carion ſeruus ſingula ſingulis obyciens, panis bellariorum, id eſt* ἄρτου τραγημάτων, *placentarum, caricarumq́; ſatietatem fieri reſpondebat. quo quidem ſermone quales nam ſint utriuſq; mores, animiq́; propenſiones, facile intelligi poteſt; ſerui nempe ad gulam, heri autem ad gloriam, & honorem animus procliuis eſſe uidetur. verſus Ariſtophanis ita habent.*

» χρ. ὧν οὐδὲ μεστὸς οὐγέγον᾽ οὐδεὶς πώποτε.
» τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἐστὶ πάντων πλησμονή.
» ἔρωτος. καρ. ἄρτων. χρ. μουσικῆς. καρ. τραγημάτων.
» χρ. τιμῆς. καρ. πλακούντων. χρ. ἀνδραγαθίας. καρ. ἰσχάδων.
» χρ. φιλοτιμίας. καρ. μάζης. χρ. στρατηγίας. καρ. φακῆς.

Illa igitur oratio, ſiue poema moratum eſſe dicitur, cum uel actio, uel ſermo,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

qualis animi habitus, & electio exiſtat, planum facit. ut illa apud Terentium in Adelphis uehemens Demeæ in Mitionem fratrem reprehenſio: cuius in præſentia mentionem facit Cicero. inde enim rigor, et auſteritas perſonæ obiurgantis oſtenditur. et quia uaria ſunt hominum genera, uarij quoque ſint illorum mores, atque animi propenſiones, neceſſe eſt. itaque ſubdit Cicero, debere in huiuſmodi narrationibus multam ineſſe feſtiuitatem ex rerum uarietate confectam. ut animorum diſſimilitudinem, grauitatem, lenitatem, & reliqua: quæ omnia ex comicis, tragicis, ne non ex epicis poetis facile cognoſci poſſunt. ¶ Nunc de narratione ea, quæ cauſſæ continet expoſitionem, dicendum uidetur. oportet igitur eam tres habere res, ut breuis, ut aperta, ut probabilis ſit] tres hic ponit uirtutes narrationis, quæ propria oratoris eſt. ut breuis, ut aperta, ut probabilis ſit. breuis quidem, ut libenter audiatur: aperta, ut intelligatur: probabilis, ut probetur. Ariſt. in 3. de arte rhet. eos irridet, qui quaſi lege præſcripta breuẽ eſſe narrationem uolunt. & fortaſſe Iſocratem, eiuſq; diſcipulos perſtringit. at nec breues, nec longas fieri narrationes iubet. ſicuti nec longa nimium principia, nec longas probationes eſſe oportet. Ut enim in corporibus ea magnitudo requiritur, quæ oculis, & mente arripi commode poſſit; ita & in oratione, alijsq; in ſcriptis eam longitudinem eſſe decet, quam facile memoria complecti poſſimus. itaq; nonnulli Ciceronem, quòd præter Ariſtotelis ſentẽtiam de breuitate narrationis ſcripſerit, recte præcepiſſe negant. quaſi uerò, præter quod Ariſt. ſentiat, nihil ſit dicendum. ſanè Ariſtoteles, ut obiter dicam, præclaro iudicio, doctrinaq; ſingulari uir fuit: & an quiſquam cum eo conferendus ſit, ignoro. uerum quanto ille maiori ſapientia, atq; ingenio excultus fuit, tanto illi, meo quidem iudicio, inſipientiores habendi ſunt, qui Ariſtotelis auctoritate magis, quàm probabili ratione nituntur. Sed, ut ad integrum redeamus, utriuſque ſententia haud tantum inter ſe pugnare uidetur, quin leui negotio ambo conciliari poſſint. Non enim Ariſtoteles breuitatem narrationis damnare uidetur, ſed quoſdam ſugillat, qui ſe tunc optime narrare putabant, cum celeriter, & compendio narraſſent. itaq; quaſi lege præſcripta breuem narrationem eſſe oportere dicebant. id ita eſſe facile iudicabunt, qui Ariſtotelis locum libro ſuperius citato æqua lance perpenderint. Cicero breuem quidem narrationem eſſe oportere docet: ſed ita, ut oratori nullam breuitatis legem præſcribere uideatur. neque id ſemit, ſemper compendio, breuiterq; narrandum eſſe (aliter enim ipſe in ſuis orationibus plerunque facit) ſed oratori partim præſcribit, quæ neceſſario in narrationis breuitate fieri debeant, partim admonet, quæ fugere debeat, qui breuitatis ſtudioſiſſimus fuerit. ipſe quoque Ariſtoteles in rhet. ad Alexandrum tres eaſdem nobis narrationis uirtutes proponit, ut breuis, ut dilucida,

lucida, ut ſit probabilis. nullam tamen breuitatis legem, uti diximus, oratori præſcribere uidetur. ſed ipſum admonet, quid facere debeat, ſi breuis in narrando eſſe uelit. ita enim ferè ait. Breuiter narrare poterimus, ſi tum ex negotijs, tum ex nominibus ea remouerimus, quæ non ſint dictu neceſſaria, & ea ſolum complectemur, ſine quibus obſcura reddetur oratio. & breuiter quidem hoc modo exponemus. hæc eadem fere præcepta tradit Cicero in hoc de breuitate narrationis loco. ¶ Ac multos decipit imitatio breuitatis] nam multa breuiter, & pauca prolixe dicere poſſumus. breuitas uerò eſt, nihil aliud, niſi res ipſis tantummodo uerbis neceſſarijs expedita. ¶ Aperta autem narratio] apertam narrationem auctor ad Heren. dilucidam, alibi Cicero perſpicuam appellat, in topicis euidentem nominat. Græcis σαφὴς dicitur. apertam igitur duplici ratione eſſe poſſe demonſtrat, re, & uerbis: re, ſi naturalis diſponendi negotij ratio ſeruabitur: ut quod primum geſtum fuerit, primum exponatur. cui ſententiæ non omnes accedunt: ſed potius (ut inquit Fabius) ut expedit, et cauſſa poſtulat, narrandum exiſtimant. tamen Cicero Ariſtotelem ſecutus eſt. uerbis, ſi uerbis dilucidis, & negotium aperte explicantibus utemur. Sed hac de re ſe dicturum pollicetur, cum elocutionis præcepta dabit. ¶ Hic conſiderandum erit, ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur] Quidam hæc ad uerba, & ſententias inepte referunt: nam cum re, & uerbis apertam fieri narrationem dicat, quo modo re aperta fieri poſſit, tantum docet, uerborum præcepta daturus, ubi de elocutione ſe uerba facturum putat. Sic enim ait paulo infra. ac uerbis quidem dilucidis utendum eſt. quo de genere dicendum eſt in præceptis elocutionis. ergo nō ad uerba, ſed ad negotia referenda ſunt. id enim dicit. cauendum, ne qua fiat in explicandis rerum negotijs confuſio. Sed tranſitus ſit facilis, ac directus, minimeq́; obſcurus. & eſt locus ex Ariſtotele ſumptus in rhet. ad Alex. ubi de narratione uerba facit. σαφῶς μὲν, inquit, ἂν δηλώσομεν ἀπὸ τῶν ὀνομάτων, ἢ ἀπὸ τῶν πραγμάτων. ἀπὸ μὲν οὖν τῶν πραγμάτων, ἐὰν μὴ ὑπερβατῶς αὐτὰ δηλῶμεν, ἀλλὰ τὰ πρῶτα πραχθέντα, & reliqua. notus eſt doctis locus. ¶ Ac uerbis quoque dilucidis utendum eſt] quoniam ex quinque oratoris partibus ſolam inuentionem abſoluit, fortaſſe quia hos libros, uti ex primo de oratore liquet, nō probauit, quæ uerba ipſe dilucida intelligat, ſciri non poteſt, niſi aliò confugiamus: hanc rem egregie quidem alibi, tum maxime in partitionibus explicat, ubi de duplici orationis genere uerba facit, altero ſua ſponte fuſo, id eſt naturali, altero uerſo, atque mutato: quod Ariſtoteles πεπλασμένον, hoc eſt arte factum appellat: ſed paucioribus Ariſt. nec minus aperte in rhet. ad Alex. cum ita fere ait. A' uerbis autem (ſilicet dilucidè narrabimus) ſi quammaxime idoneis rerum nominibus negotia appellabimus: et ſi non ambiguis

utemur: neque perturbate ipſa collocabimus: ſed ſemper cohærentia deinceps ordinabimus. Si quis plura deſideret, adeat Ariſt. in 3. de arte rhet: & Cic. in partitionibus, & in 2. de orat.

PROBABILIS erit narratio, ſi in ea uidebuntur ineſſe ea, quæ ſolent apparere in ueritate, ſi perſonarum dignitates ſeruabuntur, ſi cauſſæ factorum extabunt, ſi fuiſſe facultates faciundi uidebuntur, ſi tempus idoneum, ſi ſpatii ſatis, ſi locus opportunus ad eandem rem, qua de re narrabitur, fuiſſe oſtendetur: ſi res & ad orum, qui agent, naturam, & ad uulgi rumorem, & ad eorum, qui audiunt, opinionem accõmodabitur. Ac ueri quidem ſimilis ex his rationibus eſſe poterit. Illud autem præterea conſiderare oportebit, ne aut cum obſit narratio, aut cum nihil proſit, tunc interponatur: aut nõ loco, aut nõ quemadmodũ cauſſa poſtulat, narretur. Obeſt tũ, cũ ipſius rei geſtæ expoſitio magnam excipit offenſionem, quam argumẽtando, & cauſſam agendo leniri oportebit. Quod cum acciderit, mẽbratim oportebit partes rei geſtæ diſpergere in cauſſam, & ad unamquanque confeſtim rationem accommodare, ut uulneri præſtò medicamentum ſit, & odium ſtatim defenſio mitiget. Nihil prodeſt narratio tunc, cum ab aduerſariis re expoſita, noſtra nihil intereſt iterum, aut alio modo narrare: aut cum ab iis, qui audiũt, ita tenetur negotiũ, ut noſtra nihil interſit eos alio pacto docere. Quod cum acciderit, omnino narratione ſuperſedendum eſt. Non loco dicitur, cum non in ea parte orationis collocatur, in qua res poſtulat, quo de genere agemus tum, cum de diſpoſitione dicemus: nam hoc ad diſpoſitionem pertinet. Non quemadmodum cauſſa poſtulat narratur, cum aut id, quod aduerſario prodeſt, dilucide & ornate exponitur, aut id quod ipſum adiuuat, obſcure dicitur, & negligenter. Quare, ut hoc uitium uitetur, omnia torquenda ſunt ad commodum ſuæ cauſſæ: contraria, quæ præteriri poterunt, prætereundo: quæ illius erunt, leuiter attingendo: ſua diligenter, & enodate narrando. Ac de narratione quidem ſatis dictum uidetur. Deinceps ad partitionem tranſeamus.

PROBABILIS *erit narratio, ſi in ea uidebuntur ineſſe ea, quæ ſolent apparere in ueritate*] *tertia eſt narrationis uirtus, ut ſit probàbilis. probabilis autem ſit narratio, in qua circunſtantiæ quædam reperiuntur, de quibus omnes ferè rhetores ideo mentionem faciunt, quia inde omnis controuerſia forenſis, ac tota ferè dicendi facultas pendet. Hermagoras μόρια περιστάσεως, Theodorus στοιχεῖα πράγματος appellat, eo quòd ex eorum coniun-*

ctione

ctione quæſtiones perinde generentur, atque ex elementis omnia fieri, & procreari dicuntur ſed utcunque nominentur, ſiue στοιχεῖα. ſiue μόρια ſeptem numero ſunt. quis, quid, cur, ubi, quando, quemadmodum, quibus adminiculis. quis perſonã oſtendit duplici ratione. nomine, vt Antonius, Cicero. qualitate, vt diues, pauper, iuuenis, ſenex, & id genus alia. Quid factum ſignificat, vel dictum, vel cogitatum, bonum, an malum, iuſtum, an iniuſtum, hiſq́; ſimilia. Quando temporis ſignificationem habet. vt noctu, an diu, feſto, an profeſto die, belli, an pacis, an induciarum tempore. Ubi locum demonſtrat, ſacrum'ne, an profanum. Cur cauſſam deſignat faciendi, dicendi, cogitandi, rem ad conſtituendam quæſtionem valde neceſſariam. hanc alij Græce. τὸ αἴτιον uocant. ſed an recte, docti indicabunt. ego animaduerti à probatiſſimis ſcriptoribus πρόφασιν appellari: quam multi occaſionem uertunt. Ariſt. in 2. rhet. ὥσπερ γὰρ παροιμία προφάσεως δεῖται μόνον ἡ πονηρία. id eſt. quemadmodum enim prouerbio dicitur, occaſione duntaxat opus eſt malitia. Nam qui nocendi cupidus eſt, ne temere læſiſſe uideatur, occaſionem, id eſt cauſſam prætexit. citatur à doctis ſenarius iſte ex Menandro.

» Μικρὰ πρόφασις ἐςὶ τοῦ πρᾶξαι κακῶς. *id eſt.*

» *Ad praue agendum parua ſatis occaſio eſt. Quem ad modum demonſtrationem habet ex facto, vel quod fiat, futurum'ue ſit, veluti clam, palàm, ui, dolo. Adminicula verò, quæ Græci τῶν ἔργων ἀφορμὰς appellant, ſignificationem habent rerum earum, per quas, factum eſſe aliquid dicatur. vt littera, internuntius, uenenum, gladius, & huiuſmodi alia. ijs igitur ueſtigijs narrationes ab oratoribus probabiles fieri ſolent. quod Cicero plane hoc in loco demonſtrat. addidit ipſe quoque opinionem, quæ tribus partibus continetur: ſi ea, quæ dicimus, neque à noſtra natura, neque à uulgi rumore, neque ab audientium conſuetudine abhorreant. Hæc exemplis declarat Victorinus. Ariſtoteles in tertio de arte rhet. has ferè, de quibus à me dictum eſt, circunſtantias vno præcepto complexus eſt. cum ait, narrationem moratam eſſe oportere. hoc eſt, vt eorum, pro quibus, aut contra quos dicimus, mores indicet. verba Ariſtotelis hoc habent.* ἠθικὴν δὲ δεῖ τὴν διήγησιν εἶναι. ἔςαι δὲ τοῦτο ἂν εἰδῶμεν τί ἦθος ποιεῖ, ἓν μὲν δὴ τὸ προαίρεσιν δηλοῦν ποῖον δὲ τὸ ἦθος, τῷ ποιὰν ταυτὴν. *Cicero in oratione pro Milone cũ P. Clodium narrat conantem Miloni conſulatum eripere, quia eo cos. præturam ſuam debilem, & mancam fore, nec ſuo arbitrio rempub. eludere poſſe uidebat, non ne illum furem, ac prædonem, & alioqui nefarium hominem eſſe indicium facit? Ubi vero Milonem deſcribit, ſenatu dimiſſo domum ueniſſe, calceos, & veſtimenta mutaſſe; deinde rheda uectum cum vxore, ancillis, pueriſq́; ſymphoniacis, necnon penula circundatum Lanuuium verſus profectum fuiſſe, quid aliud, quàm ſincerum Milonis animum, nihil à Clodio metuentem, ni*

hilq́;

*bilq́; in illum cogitantem mali deſignare uidetur? Contra uerò cum P. Clo-
dium expeditum in equo, nullo cum muliebri, aut delicatæ, uti ſolebat, puero-
rum comitatu depingit, non ne prauum hominem, fraudulentem, inſidiasq́;
molientem delineare uidetur? in oratione pro P. Quinctio ita narrat, ut
Sext. Neuij prauos, C. Quincti, & P. Quinctii optimos mores, alterius ui-
tam honeſtiſſimam, alterorum uerò peſſimam, peſſimumq́; animum eſſe de-
monſtret. Sed longum, atque putidum eſſet, ſi omnia Ciceronis exempla nar
rando percurrere uellem, quibus probari poteſt, eorum mores, pro quibus,
aut contra quos dicitur, in narrationibus deſignari. quam ob rem his pau-
cis exemplis id ſat erit demonſtraſſe. ¶ Si perſonarum dignitates ſerua-
buntur] dignitates intelligas, non honores; ſed perſonarum, ut Græci dicunt,
τὸ πρέπον: ideſt, ut quæque perſona digna eſt, ita de ea narres. nam ſi præter,
decorum perſonarum narrabitur, non erit credibilis narratio. ut ſi caſtiſſi
ma mulier adulterij, aut ſi uir inculpatiſſ. uita homicidij accuſetur. Si Ne-
ronem clementem, Cæſarem uerò crudelem narres. Itaque Cicero in topicis
ſcriptum reliquit, narrationes eſſe oportere euidentes, moratas, et cum digni
tate. qui verò plura de moribus ſcire deſiderat, adeat poeticam Ariſt. ubi
tragediæ partes explicantur, quæ vulgo quales nuncupantur. ibi enim mul
ta a philoſopho traduntur, quæ non ad poetas tantum, verum etiam ad ora
tores pertinere videntur. ¶ Illud autem præterea conſiderare oportebit]
προληπτικῶς occurrit tacitæ queſtioni, an ſemper narrãdum ſit: negatq́; ſem
per narrandum eſſe: cauendumq́; præcipit, ne præpoſtere narratione uta-
mur. Quod quatuor modis contingi poſſe docet. Cum obſit, cum nihil proſit
narratio, cum non loco, cum non, ut cauſſa poſtulat, narratur. Fabius in
quarto libro quinque propoſuit tempora, quibus narratione ſuperſederi po
teſt. aut cum breuis cauſſa eſt; aut nota iudici, aut priore loco expoſita eſt:
aut cũ id, quod obijcitur, nec negari, nec excuſari poteſt, ſed in ſola iuris quæ
ſtione poſita eſt; quod in cauſſis contingit tranſlationis: item quando reus fa
ctum non negat, ſed alio inſtat nomine appellari debere. quod definitiuæ con
ſtitutionis munus eſſe uidetur. ¶ Obeſt tum, cum ipſius rei geſtæ expoſitio]
cauſſa auditorum offenſionem contrahit: quæ ob turpitudinem æquis auri-
bus accipi non poteſt. ¶ Membratim oportebit partes rei geſtæ diſperge-
re] continua narratione non erit utendum: ſed partes quaſi membra illius
per cauſſam erunt diſpergendæ cum ſingularum ratione, atque amplifica-
tione. reliqua, quæ de narratione ſequuntur, ita mihi facilia uidentur, ut ijs
minime ſit opus commentario.*

RECTE habita in cauſſa partitio, illuſtrem & perſpicuam to-
tam efficit orationem. Partes eius duæ ſunt, quarum utraq; ma-
gnopere ad aperiendam cauſſam, & conſtituendam pertinet con-

trouer-

trouerſiam. Vna pars eſt, quæ quid cum aduerſariis conueniat, & quid in controuerſia relinquatur, oſtendit: ex qua certum quid dam deſignatur auditori, in quo animum debeat habere occupatum. Altera eſt, in qua rerum earum, de quibus erimus dicturi breuiter expoſitio ponitur diſtributa. ex qua conficitur, ut certas animo res teneat auditor, quibus dictis, intelligat fore peroratum. Nunc utroque genere partitionis quemadmodum conueniat uti, breuiter dicendum uidetur. Quæ partitio, quid conueniat, aut quid non conueniat, oſtendit: hæc debet illud quod conuenit, inclinare ad ſuæ cauſſæ commodum, hoc modo. Interfectā matrem eſſe à filio, conuenit mihi cum aduerſariis. Item contra Interfectum eſſe à Clytemneſtra Agamemnonem conuenit. Nā hic uterque & id poſuit, quod conueniebat, & tamen ſuæ cauſſæ commodo conſuluit. Deinde, quid controuerſiæ ſit, ponendum eſt in iudicationis expoſitione: quæ quemadmodum inueniretur, ante dictum eſt. Quæ autem partitio rerum diſtributam continet expoſitionem, hæc habere debet breuitatem, abſolutionem, paucitatem. Breuitas eſt, cum niſi neceſſarium nullum aſſumitur uerbum. Hæc in hoc genere idcirco utilis eſt, quod rebus ipſis, & partibus cauſſæ, non uerbis, neque extraneis ornamentis animus auditoris tenendus eſt. Abſolutio eſt, per quam omnia, quæ incidunt in cauſſam, genera, de quibus dicendum eſt, amplectimur. In qua partitione uidendum eſt, ne aut aliquod genus utile relinquatur, aut ſerò extra partitionem, id quod uitioſiſſimum, ac turpiſſimum eſt, inferatur. Paucitas in partitione ſeruatur, ſi genera ipſa rerum ponuntur, neque permiſte cum partibus implicantur. Nam genus eſt, quod plures partes amplectitur, ut animal pars eſt, quæ ſubeſt generi, ut equus. Sed ſæpe eadem res alii genus, alii pars eſt. Nam homo animalis pars eſt, Thebani, aut Troiani genus. Hæc ideo diligentius inducitur præſcriptio, ut aperte intellecta generali partitione, paucitas generū in partitione ſeruari poſſit. Nam qui ita partitur. Oſtendam propter cupiditatem, & audaciam, & auaritiam aduerſariorum omnia incommoda ad Rempub. peruenisse, is non intellexit in partitione expoſito genere, partem ſe generis admiſcuiſſe. Nam genus eſt omnium nimirum libidinum cupiditas: eius autem generis ſine dubio pars eſt auaritia. Hoc igitur uitandum eſt, ne cuius genus poſueris, eius ſecum aliquam, ſicuti diuerſam, ac diſſimilem partem ponas in eadem partitione. Quod, ſi quod in genus plures

incident partes, id cum in prima partitione cauſſæ erit ſimpliciter expoſitum; diſtribuetur eo tempore commodiſsime, cum ad ipſum uentum erit explicandum in cauſſæ dictione poſt partitionem. Atque illud quoque pertinet ad paucitatem, ne aut plura, quàm ſatis eſt, demonſtraturos nos dicamus, hoc modo. Oſtẽdam aduerſarios, quod arguimus, & potuiſſe facere, & uoluiſſe, & feciſſe. nam feciſſe oſtendere ſatis eſt. Aut cum in cauſſa partitio nulla ſit, & cum ſimplex quiddam agatur, tamen utamur diſtributione: idq́; perraro poteſt accidere. Ac ſunt alia quoque præcepta partitionum, quæ ad hunc uſum oratorium non tantopere pertinent, quæ uerſantur in philoſophia, ex quibus hæc ipſa tranſtulimus, quæ conuenire uidebantur, quorum nihil in cæteris artibus inueniebamus, Atque his de partitione præceptis, in omni dictione meminiſſe oportebit, ut & prima quæq; pars, ut expoſita eſt in partitione, ſic ordine tranſigatur: & omnibus explicatis, peroratum ſit, hoc modo, ut nequid poſterius præter concluſionem inferatur. Partitur apud Terentium breuiter, & commode ſenex iu Andria, quæ cognoſcere libertum uelit.

» Eo pacto & gnati uitam, & conſilium meum
» Cognoſces, & quid facere in hac re te uelim.

Itaque quemadmodum in partitione propoſui, ita narrat primum gnati uitam.

» Nam is poſtquam exceſsit ex ephebis Soſia,
» Liberius uiuendi fuit poteſtas.

Deinde ſuum conſilium.

» Et nunc id operam do.

Deinde quid Soſiam uelit facere, id quod poſtremum poſuit in partitione, poſtremum dicit.

» Nunc tuum eſt officium.

Quemadmodum igitur hic & ad primam quanq; partem primum acceſsit, & omnibus abſolutis, finem dicendi fecit; ſic nobis placet & ad ſingulas partes accedere. & omnibus abſolutis, perorare. Nunc de confirmatione deinceps, ita ut ordo ipſe poſtulat, præcipiendum uidetur.

RECTE *habita in cauſſa partitio*] *Partitionis, ſiue, vt alij vocant, diuiſionis præcepta deſcribenda aggreditur, quanquam animaduerti ſcriptores diuerſe ſentire, quo nomine pars iſta appellari debeat. Victorinus partitionem à diuiſione ita ſeiungit, vt diuiſionem quaſi membrum partitionis eſſe putet, cum ait, diuiſionem eſſe conſtitutionem rerum ſub partitione iacentium.*

centium. hoc etiam Cicero in topicis ſentire videtur: qui partitionem eam appellat, cum id, quod propoſitum eſt, quaſi in membra diſcerpitur: diuiſionem verò, quæ formas omnes complectitur, quæ ſub eo genere ſunt, quod definitur. Itaque illa dicetur diuiſio, ſi quando genus aliquod in partitione propoſitum in partes diuidetur. Sed adeas Rodulphum Agricolam: qui hac de re diligentius diſſerit lib. primo, Cap. 9. hanc Fabius ab orationis partibus excluſit: quam ob rem, non ſatis iudicare poſſum: niſi forte quia non ea ſemper vtimur: ſed tum ſolum cum cauſſa vel fuerit coniuncta (vt Fortunatianus ait) vel longa, uel obſcura. quod ſi ita eſt, ne narratio quidem pars orationis dicetur, cum ea quandoq; ſuperſedendum ſit. aut re uera partem orationis eſſe negat, quòd eam nonnulli propoſitionis partem eſſe volunt: aut quia in confirmatione eſt. ſed idem de confutatione dicendum erit: quam & Cicero ipſe interdum confirmationi ſubiecit; verum alij melius diuinabunt. nos cum Cicerone, alijsq; multis partem orationis eſſe dicamus. Græci διαίρεσιν appellant. ¶ vna pars eſt, quæ quid cum aduerſarijs] hanc Fortunatianus, & qui longo poſt ipſum temporis interuallo fuit Trapezuntius, ſeiunctionē, vocat ¶ Quæ autem partitio rerum diſtributarum continet expoſitionem, hæc habere debet breuitatem, abſolutionem, paucitatem] breuitas in verbis eſt, paucitas in generibus, abſolutio in toto. id eſt, ubi quid proponimus diſtributum, id paucis verbis, quæ uerba genera ſint, atque genera illa totam, de qua dicturi ſumus, materiam, ſeu cauſſam complectantur, proponendum eſt. ad cuius loci explanationem ſexcenta hercle adduci poſſunt ex Cicerone exempla. præſertim ex oratione pro P. Quinctio, pro Sex. Roſcio Am. pro Imperat. delig. ceterū illud, mea quidem ſententia, quod Virgilius inter initia Æneidos diſtribute propoſuit, ualde mihi appoſitum huic rei, maximeq; perſpicuum eſſe uidetur.

» *Arma viumq; cano.*

Hæc duo verba, arma, & virum duo genera ſunt: quæ totum Æneidos negotium ſuo gremio continent. itaque poeta eminentiſſimus mira verborum breuitate, paucitateq; generum tam amplam, copioſamq; totius Æneidos materiam complectitur. Sic etiam Cicero totam Roſcij cauſſam in tria genera diſtinxit: in crimen aduerſariorum, in audaciam, & potentiam. ¶ Hæc in hoc genere idcirco vtilis eſt] nam iudex ordine audito ad probationem feſtinat: & quamprimum certus ſententiæ eſſe cupit. ¶ Atq; ijs de partitione præceptis in omni dictione meminiſſe oportebit; vt & prima quæque pars] in omni cuiuſque generis oratione, inquit, quod primum à nobis propoſitum fuerit in partitione, id etiam primo, quod ſecundum ſecundo, quod tertium tertio loco tránſigēdum erit. quod Terentij exemplo declarat. hanc Græci μερικὴν διήγησιν vocant. in alijs autem rebus, præterquā in

confirmatione,non eandem ſemper rationem,atque ordinem obſeruari animaduertimus. Quin etiam poetæ,nec non oratores, inprimisq; Cicerò ſæpe numero aliter,atque proponunt, narrant. Virgilius in prin. Æn. Homerum imitatus ὑστερολογίᾳ vtitur.

» *Arma,uirumq; cano.*

Itaq; Cicero in primo libro Epiſt. ad Atticum, reſpondebo tibi, inquit, ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς. & in hoc primo libro de inuentione, cum ita expoſuiſſet,extremum autem,aut taceatur oportet, aut concedatur, aut negetur; ordine præpoſtero tranſegit, hoc modo. Si negabitur, aut oſtendenda eſt ſimilitudo earum rerum,& quæ ſequuntur.

CONFIRMATIO eſt, per quam argumentando noſtræ cauſſæ fidem, & auctoritatem, & firmamentum adiungit oratio. Huius partis certa ſunt præcepta, quæ in ſingula cauſſarum genera diuidentur. Veruntamen non incommodum uidetur, quandam ſiluam,atque materiam uniuerſam ante permiſtam, & confuſam exponere omnium argumentationum: poſt autẽ tradere quemadmodum unumquodque genus cauſſæ,hinc omnibus argumentandi rationibus tractis,confirmare oporteat. Omnes res argumentando confirmantur, aut ex eo, quod perſonis, aut ex eo, quod negotiis eſt attributum. Ac perſonis has res attributas putamus, nomen, naturam, uictum, fortunam,habitum, affectionem,ſtudia,cõſilia,facta,caſus,orationes. Nomen eſt,quod unicuiq; perſonæ datur, quo ſuo quæq; proprio, & certo uocabulo appellatur. Naturam ipſam definire difficile eſt. Partes autem eius enumerare eas,quarum indigemus ad hanc præceptionem, facilius eſt. Hæ autem partim diuino, partim mortali in genere uerſatur. Mortalium autem pars in hominum,pars in beſtiarum genere enumeratur. Atque hominum genus, & in ſexu conſideratur, uirile, an muliebre ſit,& in natione, patria, cognatione,& ætate. Natione,Graius,an Barbarus. Patria,Athenienſis,an Lacedæmonius. Cognatione,quibus maioribus,quibus conſanguineis. Aetate,puer, an adoleſcens: natu grandior,an ſenex. Præterea commoda, & incõmoda conſiderãtur ab natura data animo, aut corpori,hoc modo. Valens,an imbecillis: longus,an breuis: formoſus,an deformis: uelox,an tardus ſit: acutus,an hebetior: memor,an obliuioſus: comis,officioſus,pudens,patiens,an contra. Et omnino quæ à natura data animo, & corpori conſiderabuntur, in natura conſideranda ſunt. Nam quæ induſtria comparantur, ad habitum pertinent: de quo poſterius dicendum eſt.

In

In uictu conſiderare oportet, apud quem, & quo more, & cuius arbitratu ſit educatus, quos habuerit artium liberalium magiſtros, quos uiuendi præceptores, quibus amicis utatur, quo in negotio, quæſtu, artificio ſit occupatus, quo modo rem familiarē adminiſtret, qua conſuetudine domeſtica ſit. In fortuna quæritur, ſeruus ſit, an liber: pecunioſus, an tenuis: priuatus, an cum poteſtate. ſi cum poteſtate; iure, an iniuria: felix, clarus, an contra: quales liberos habeat. Ac ſi de non uiuo quæretur, etiam quali morte ſit affectus, erit conſiderandum. Habitū autem hunc appellamus animi, aut corporis conſtantem, & abſolutam aliqua in re perfectionem, ut uirtutis, aut artis perceptionem alicuius; aut quamuis ſcientiam. Et item corporis aliquam commoditatem, non natura datam, ſed ſtudio, & induſtria partam. Affectio eſt animi, aut corporis ex tempore aliqua de cauſſa commutatio: ut lætitia, cupiditas, metus, moleſtia, morbus, debilitas, & alia, quæ genere in eodem reperiuntur. Studium autem eſt animi aſſidua, & uehemens ad aliquam rem applicata magna cum uoluntate occupatio, ut philoſophiæ, poetices, geometriæ, literarum. Conſilium eſt aliquid faciendi, aut non faciendi uere excogitata ratio. Facta autem, & caſus, & orationes tribus ex temporibus conſiderabuntur, quid fecerit, aut quid ipſi acciderit, aut quid dixerit, aut quid faciat, quid ipſi accidat, quid dicat, aut quid facturus ſit, quid ipſi caſurum ſit, qua ſit uſurus oratione. Ac perſonis quidem hæc uidentur eſſe attributa.

CONFIRMATIO *eſt, per quam argumentando noſtræ cauſſæ fidem, & auctoritatem, & firmamentum adiungit oratio*] *Quarta pars orationis eſt confirmatio: quam Græci κατασκευὴν appellant. cuius tanta uis eſt, ut cum reliquæ partes non ubique neceſſariæ ſint, ſed pro ratione cauſſarum plures, paucioresʼue ponantur, una tantum confirmatio non omittatur unquam. Quam ob rem iure merito Fabius Quintilianus eam oſſibus, & neruis comparauit: reliquas uerò partes ſuper inducto corpori, quam carnem appellamus. neruus eſt ad neceſſitatem, caro ſæpius ad decorem. recte igitur Cicero eam eſſe dicit, quæ fidem, auctoritatem, & firmamentum cauſſæ adiungit. fidem, quia argumentis cauſſam probat. (eſt enim argumentum probabile inuentum ad faciendam fidem) unde illi auctoritas, & firmamentum comparatur.* ¶ *Huius partis certa ſunt præcepta*] *omnis quæſtio, ſiue conſtitutio certa propria habet argumentorum loca: quæ cauſſæ fidem faciunt, uti in 2. libro facile perſpici poteſt. Verum tamen hic ſiluam quandam locorum confuſam, & mixtam ſe uelle exponere profitetur: unde, tan-*

quam ex ſeminario quodam, deducta argumenta in ſingulas partes tranſferri poſſint. Primum igitur ſcire oportet, nihil in dicendi facultate uerſari, quod non ex aliquo ſeptem elementorum comprehendatur: quæ antea ab Hermagora μόρια περιστάσεως: ab alijs στοιχεῖα πράγματος appellari diximus. Sed illa in hæc duo potiſſimum recidunt, perſonam uidelicet, & factum: hincq́; omnis uis argumentandi deducitur: reliqua uerò, cauſſa, locus, tempus, modus, & facultas, ijs duobus tanquam incidentia ſubiacent. Quæ ex perſonis promuntur, attributa perſonis appellat: ſuntq́;, uti ex textu colligitur, numero XI. *Quæ uerò ex facto ſumuntur, attributa negotio nuncupauit: ſuntq́; quatuor, continentia cum negotio, in geſtione negotij conſiderata, adiuncta negotio, & quæ negotium conſequuntur. atque in ijs quatuor generibus omnes circunſtantiæ, præter perſonam conſumuntur. nam in omnibus, quæ fiunt, quæri ſolet, quid, quare, aut ubi, quo modo, aut per quæ factum ſit. Atque hanc locorum ſiluam, argumentorumq́; rationem cum ab alijs multis, tum maxime à Quintiliano probari uideo. Ceterum illud facile quorundam animos turbare poſſet, quòd cum Cicero alios multos de arte rhetorica libros perſcripſerit, nullibi tamen hanc locorum formam, partitionemq́; tradiderit. Sed in 2. de Orat. in Top: in Partit. ex Ariſtotelis ſententia, alias eſſe probationes docuit, quas extra dicendi rationem orator acciperet, ut præiudicia, rumores, tabulas, tormenta, teſtes, iuſiurandum, huiuſmodiq́; alia, quæ Græcis ἄτεχνα uocantur: alias uerò, quæ totæ ſunt in arte, conſtantq́; rebus ad faciendam fidem appoſitis; Græci ἔντεχνα appellant. cuius generis ſunt, quæ à definitione, à toto, à partibus, ab etymologia, alijsq́; multis locis eruuntur. quæ & Cicero ipſe in Partitionibus præſertim ennumerat. Boetius quoque, Rodulphus Agricola, Trapezuntius, alijq́; præcepta locorum uarie tradiderunt. Sed minime mirum uideri debet: nam hæc uia, quam ſequitur in ijs libris Cicero, planior eſt, altera probatior. ut igitur in ijs libris præceptionem quãdam facilem, et apertam traderet, hanc uiam ſecutus eſt, quæ tamen ab aliorum uijs non longe diſtat: ſed ita ſunt diſiuncta, ut in unam tandem omnes conuenire uideantur. Poſſem ego hic ſingulorum opiniones referre, formasq́; locorum exponere, quas ipſi non indocte, & ingenioſe tradiderunt. Sed uerborum multitudine ſuperſedendum arbitror. Hæc uerò ſumma ſit; tria eſſe locorum genera, ad quæ hæc omnis ſilua breuiter referri poteſt, Antecedens, coniunctum, & conſequens: quæ perſonis attributa dicuntur, item alia quædam, quæ negotijs tribuuntur, factum antecedunt: quæ à circunſtantijs deducuntur, cauſſæ adiuncta putantur: quæ uerò cauſſam conſequuntur, illa ſunt, quæ ſenſibus ſubijciuntur. præterea etiam præiudicia, & comparationes, aliaq́; id genus multa. Sed nos Ciceronis inſtitutum ſequamur: iamq́; locorum*

corum

eorum explanationem aggrediamur. ¶ Nomen eſt] ex nomine, & ex nominis etymologia, quam Cicero notationem appellat, argumenta ducuntur, quam ob rem in Verrinis Cicero Verrē, quod uerrat nominari dixit. et Demoſthenes in oratione pro corona Æſchinis matrem, cui ipſe Leucothea nomen mutaſſet, Empuſam uocatam fuiſſe, quòd omnia quæſtus gratia faceret, & pateretur. Ariſtoteles in 2. de arte rhet. cap. 43. multa colligit ex nomine argumenta, quæ hic adſcribere non libet. ſatis eſt mihi locum indicaſſe. ¶ Ipſam naturam definire difficile eſt] propter uarias philoſophorum opiniones, an prior, poſterior'ue ſit Deo: an mortalis, an æterna. itaq; partes eius, vt quæ commodiorem ſuſtinent diuiſionem, definiendas aggreditur: quas in diuinas, & mortales diſtribuit. diuinas, vt quæ ad dicendi facultatem minus faciunt, tacitus præterit. mortales uerò deſcribit: quas triplici ratione conſiderandas, inueſtigandasq́; nos admonet, ab animo, à corpore, à rebus extraneis: ut ex contextu ſatis liquet. ¶ Atque hominum genus in ſexu conſideratur uirile, an muliebre ſit] quoniam multa ſunt in homine probabilia, quæ in muliere ueriſimilia eſſe non poſſunt. latrocinium facilius in uiro, ueneficium in fœmina credas. ¶ Et in natione, patria, cognatione] aliæ nationes optime, aliæ peſſime audiunt. aliaq́; alijs tum uitijs, tum etiam uirtutibus aluntur. Germani ebrij, ſed in machinis, fabrilibusq́;, necnon in liberalibus artibus ingenioſi. Græci doloſi, ſed docti; Afri bilingues, ſed laboris patientes. Hiſpani uafri, ſed animoſi. Leues Galli, ſed ſinceri. Itali factioſi, ſed prudentia, conſilioq́; præditi. hinc ergo probabilia duci poſſunt argumenta. Germanus eſt, ergo ebrius eſt, uel uitio ebrietatis laborat ſæpius. Græcus eſt, igitur doloſus. Virg. in 2. Æn.

» *& crimine ab uno*
» *Diſce omnes.*

noui tamen Græcos optimi ingenij, ſingularisq́; fidei homines. ¶ Cognatione] alij à genere hunc locum uocant. ¶ Quibus maioribus, quibus conſanguineis] nam filij ex parentibus, parentes ex filijs, nepotes ex auis commendari, aut uituperari ſolent. Virg. in primo libro Æn.

» *quæ te tam læta tulerunt*
» *Secula? qui tanti talem genuere parentes?*

nam ſimiles parentibus, ac maioribus ſuis filij plerunque creduntur. non enim è ſquilla roſa naſcitur, aut hyacinthus. mali corui, ut eſt in prouerbio ueteri, malum ouum. hinc ille ſenarius apud Græcos.

» οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός. *id eſt,*
» *Prolem probam haud pater progignet improbus.*

ſed lege Ariſt. in primo Rhet. cap. xxviij. qui huius loci potiſſimum meminit. ¶ Præterea commoda, & incōmoda] corporis, animiq́; dotes, è quibus

bus tanquam è natura partibus argumenta ducuntur, ennumerat. ❡ In uictu conſiderare oportet apud quos, & quo more] Cicero in oratione pro Sex. Roſcio Amerino probat Roſcium ab omni cupiditate, uitioq; alienum fuiſſe, qui uoluntate patris ruri ſemper habitarit, & in agro colendo humilis, ac prope abiectus uixerit. Idem in oratione pro M. Cœlio facit. Quem, inquit, nemo in illo ætatis flore uidit, niſi aut cum patre, aut mecum, aut in M. Craſſi caſtiſſima domo, cum artibus honeſtiſſimis erudiretur. ❡ Cuius arbitratu ſit educatus, quos habuerit artium liberalium magiſtros] quanta ſit uis educationis in puero, philoſophi complures, ſed in primis Plutarchus litteris tradiderunt. id uerò uulgò dici ſolet. improbi nutricij alumnus improbus. peſſimi magiſtri diſcipulus peſſimus. ❡ Quibus amicis utatur] optima οἰκονομία: nam educati pueri magiſtris liberalium artium traduntur. ubi uero ingenuas artes, beneq; uiuendi rationem aliquã perceperint, grandes iam natu facti amicos, & opes quærunt. propterea ſequitur. quo in negotio, quæſtum, &c. quibus uerbis ſingula ſingulis ætatibus conuenientia ordine deſcribit: quæ Horatius in poetica elegantiſſimis uerſibus eſt proſecutus. ſed hæc in primis.

» Conuerſis ſtudijs ætas, animusq; uirilis,
» Quærit opes, & amicitias, inſeruit honori.
» Commiſiſſe cauet, quod mox mutare laboret.

vt uero ad integrum redeam, quæritur, inquit Cicero, quibus amicis fuerit uſus. ut ſi bonis, bonus: ſi malis, malus eſſe argui poſſit. Nam Pythagoras dicere ſolebat. μὴ γεύεσθαι τῶν μελανούρων. id eſt. ne guſtes ex iis, quibus eſt nigra cauda. hoc eſt, ne commercium habeas cum improbis, & iis, qui ſunt nigris, ac infamibus moribus: nam corrumpitur qui prauis hominibus utitur. hinc illud Dauidis. Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris. ❡ Quo in negotio, quæſtu, artificio] honeſto, an turpi. deturpatur Sex. Neuius in oratione pro P. Quintio, quòd ſcurra, & quòd præco eſſet: uocemq; ſuam in quæſtum conferret. ❡ Quomodo rem familiarem adminiſtret] an comparcat, aut decoquat. an laute, an anguſte uiuat. ❡ Qua conſuetudine domeſtica uiuat] quibus domeſticis utatur. magni enim refert, qua quis uitæ ratione, qua etiam fortuna, ut infra docebitur, fuerit: ut accuſari, aut defendi poſſit: prauis, an bonis: ut merito laudari, aut uituperari poſſit. ❡ Quales liberos habeat] ſimiles parentibus, ac maioribus ſuis filij, ut ſupra dictum eſt, plerunque creduntur. ❡ Quali morte ſit affectus] naturali, an fatali, an uiolenta. ❡ Habitum autem hunc appellamus] neceſſario uſui uenire Ariſtoteles in primo Rhet. docet, ut cuiuſmodi habitus ſint, eiuſmodi quoque actiones ſequantur. ſed hic locus ex illis eſt, quos inter ſuperuacaneas cauſſarum partes ſummus rhetor Ariſtoteles recenſet. ❡ Et item

item corporis aliquam commoditatem non natura datam] ut ſiquis uiribus imbecillus, aut natura uicta, ac debili, aut alio aliquo uitio laboraret, & exercitatione longa, aut aſſiduis laboribus robur ſibi corporis comparaſſet, uel aliud uitium ex ſe tolleret, quod de animo quoque dici poſſet. exemplo ſit in utraq; parte Demoſthenes, qui cum bleſus, aut balbus eſſet, nec primam, ut inquit Cicero, ſuæ profeſſionis litteram proferre poſſet, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur. item cum naturali eloquentia careret, omnia naturæ impedimenta ſic ſua diligentia, induſtriaq; ſuperauit, ut unus in omni dicendi genere inter omnes emineret. ¶ Affectio eſt animi, aut corporis] affectuum quatuor eſſe genera philoſophi memoriæ prodiderunt: lætitiam, cupiditatem, dolorem, timorem. quæ omnia uno uerſu complexus eſt Horatius in Epiſt.

Gaudeat, an doleat, cupiat, metuat'ue, quid ad rem?

hæc, ut inquit Cicero in 4. Tuſc. duobus temporibus conſiderantur. præſenti, & futuro. Lætitia eſt ex opinione boni præſentis. dolor ex opinione mali præſentis. cupiditas ex opinione boni futuri. metus ex opinione mali futuri. ſed hoc in loco orator non tantum animi, ſed etiam corporis affectus enumerat. animi eſt lætitia, cupiditas, metus, moleſtia. ut ſiquid nobis uel boni, uel mali nuntietur, lætemur, aut moleſtia afficiamur. ſi quid uideamus, idipſum cupiamus, aut timeamus. corporis uerò ſunt, morbus, debilitas, & id genus alia. ut ſi quis ſubito in morbum inciderit, aut debilitatus fuerit. ¶ Ut philoſophia, poetica, geometria] nonnulli codices poetria mendoſe legunt, rati fortaſſe, ut geometria, ita etiam poetria eodem ſenſu dici poſſit. Sanè poetria uox quidem recepta eſt, ſed poeticen non ſignificat. eſt autem poetria mulier poetices perita. Cicero pro M. Cœlio. uerum hæc tota fabella ueteris, & plurimarum fabularum poetriæ, quàm eſt ſine argumento? quàm nullum inuenire exitum poteſt? ¶ Conſilium eſt aliquid faciendi] inter cetera, quæ requirenda præcipiunt rhetores, præſertim in coniecturis, id quoque colligitur; ſi conſiliorum rationes extiterint: id eſt, ſi reus conſilium capere potuerit agendi negotij, nec ne. ¶ Facta autem, & caſus, et orationes tribus ex temporibus conſiderabuntur] præſenti, præterito, futuro. hinc multa profectò argumenta, nec illa quidem minima promuntur: & ex præterito, & præſenti futurum colligitur: nam qui ſcelus aliquod admiſit, & admittit, hunc idem in poſterum admiſſurum eſſe iudicari poteſt. hic locus à conſuetudine peccandi appellari poterit. in quo admonet Trapezuntius, quæ à præterito tempore trahuntur, confirmationi maxime accommodari: quæ uerò à futuro, concluſioni aptius conuenire.

NEGOTIIS autem, quæ ſunt attributa, partim ſunt continentia cum ipſo negotio, partim in geſtione negotii conſiderantur,

partim

partim adiuncta negotio ſunt, partim geſtum negotium conſequuntur. Continentia cum ipſo negotio ſunt ea, quæ ſemper affixa eſſe uidentur ad rem, neque ab ea poſſunt ſeparari. Ex his prima eſt breuis complexio totius negotii, quæ ſummam continet facti, hoc modo. Parentis occiſio, patriæ proditio. Deinde cauſſa eius ſummæ, per quam, & quamobrem, & cuius rei cauſſa factum ſit, quæritur. Deinde ante geſtam rem, quæ facta ſunt continentur, uſque ad ipſum negotium. Deinde in ipſo gerendo negotio quid actum ſit. Deinde quid poſtea factum ſit. In geſtione autem negotii, qui locus ſecundus erat, de iis, quæ negotiis attributa ſunt, quæretur locus, tempus, modus, occaſio, facultas. Locus conſideratur, in quo res geſta ſit, ex opportunitate, quam uideatur habuiſſe ad negotium adminiſtrandum. Ea autem opportunitas quæritur ex magnitudine, interuallo, lõginquitate, propinquitate, ſolitudine, celebritate, natura ipſius loci, & uicinitate totius regionis. Ex his etiam attributionibus, facer, an profanus, publicus, an priuatus, alienus, an ipſius, de quo agitur, locus ſit, an fuerit. Tempus autem eſt id, quo nunc utimur, (nam ipſum quidem generaliter definire difficile eſt) pars quædam æternitatis cum alicuius annui, menſtrui, diurni, nocturni'ue ſpatii certa ſignificatione. In hoc & quæ præterierunt, conſiderantur, & eorum ipſorum, quæ propter uetuſtatem obſoleuerunt, ut incredibilia uideantur, & iam in fabularum numerum reponãtur: & quæ iandiu geſta, & à memoria noſtra remota, tamen faciãt fidem, uere tradita eſſe, quòd eorum monumẽta certa in litteris extent: & quæ nuper geſta ſint, quæ ſcire pleriq; poſsint: & item, quæ inſtẽt in præſentia, & quæ maxime fiant, & quæ conſequantur. In quibus poteſt conſiderari, quid ocyus, & quid ſerius futurum ſit. Et item communiter in tempore perſpiciendo longinquitas eius eſt conſideranda. Nam ſæpe oportet commetiri cum tempore negotium, & uidere, poterit'ne, aut magnitudo negotii, aut multitudo rerum in eo tranſigi tempore. Conſideratur autem tempus & anni, & menſis, & diei, & noctis, & uigiliæ, & horæ, & in aliqua parte alicuius horum. Occaſio autem eſt pars temporis, habens in ſe alicuius rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem. Quare cum tempore hoc differt. Nam genere quidẽ utrunque idem eſſe intelligitur: uerum in tempore ſpatium quodammodo declaratur, quod in annis, aut in anno, aut in aliqua anni parte ſpectatur: in occaſione ad ſpatium temporis faciendi quæ-

dam

dam opportunitas intelligitur adiūcta. Quare cum genere idem ſit, fit aliud, quod quadam parte, & ſpecie, ut diximus, differat. Hæc diſtribuitur in tria genera, publicum, commune, ſingulare. Publicum eſt, quod ciuitas uniuerſa aliqua de cauſſa frequentat. ut ludi, dies feſtus, bellum. Commune, quod accidit omnibus eodem ferè tempore: ut meſsis, uindemia, calor, frigus. Singulare autem eſt, quod aliqua de cauſa priuatim ſolet alicui accidere: ut nuptiæ, ſacrificium, funus, conuiuium, ſomnus. Modus autem eſt, in quo quemadmodum, & quo animo factum ſit, quæritur. Eius partes ſunt prudentia, & imprudentia. Prudentiæ autem ratio quæritur ex iis, quæ clam, palàm, ui, perſuaſione fecerit. Imprudentia autem in purgationem cōfertur, cuius partes ſunt inſcientia, caſus, neceſsitas: & in affectionem animi, hoc eſt moleſtiam, iracundiam, amorem, & cetera, quæ in ſimili genere uerſantur. Facultates ſunt, aut quibus facilius fit, aut ſine quibus aliquid confici non poteſt. Adiunctum autem negotio id intelligitur, quod maius, & quod minus, & quod ſimile erit ei negotio, quo de agitur, & quod æque magnum, & quod contrarium, & quod diſparatum, & genus, & pars, & euentus. Maius, & minus, & æque magnum, ex ui, & ex numero, & ex figura negotii, ſicut ex ſtatura corporis conſideratur. Simile autem ex ſpecie comparabili. Comparabile autem ex conferenda, atq; aſsimilanda natura iudicatur. Contrarium eſt, quod poſitum in genere diuerſo, ab eodem, cui contrarium eſſe dicitur, plurimum diſtat: ut frigus calori, uitæ mors. Diſparatum autem eſt id, quod ab aliqua re per oppoſitionem negationis ſeparatur, hoc modo. Sapere, & non ſapere. Genus eſt, quod partes aliquas amplectitur: ut cupiditas. Pars eſt, quæ ſubeſt generi: ut amor, auaritia. Euentus eſt exitus alicuius negotii, in quo quæri ſolet quid ex quaque re euenerit, eueniat, euenturumq; ſit. Quare hoc in genere, ut commodius quid euenturum ſit, ante animo colligi poſsit, quid quaque ex re ſoleat euenire, conſiderandum eſt, hoc modo. Ex arrogantia odium, ex inſolentia arrogantia. Quarta autem pars eſt ex iis, quas negotiis dicebamus eſſe attributas, conſecutio. In hac hæres quæruntur, quæ geſtum negotium conſequuntur. Primum, quod factum eſt, quo id nomine appellari cōueniat. Deinde eius facti qui ſunt principes, & inuentores, qui denique auctoritatis eius, & inuentionis comprobatores, atque æmuli. Deinde ecquæ ea de re, aut eius rei ſit lex, conſuetudo, actio, iudicium, ſcientia,

artificium. Deinde natura eius euenire uulgo ſoleat, an inſolenter,& raro. Poſtea homines id ſua auctoritate comprobare,an offendi in his conſueuerint: & cetera,quæ factum aliquod ſimiliter confeſtim, aut ex interuallo ſolent conſequi. Deinde poſtremò attēdendum eſt,num quæ res ex iis rebus,quæ ſunt poſitæ in partibus honeſtatis,aut utilitatis,conſequantur: de quibus in deliberatiuo genere cauſſæ diſtinctius erit dicendum. Ac negotiis quidem ferè res eæ,quas commemorauimus,ſunt attributæ. Omnis autem argumentatio,quæ ex iis locis,quos commemorauimus, ſumetur, aut probabilis,aut neceſſaria debebit eſſe. Etenim, ut breuiter deſcribamus,argumentatio uidetur eſſe inuentum aliquo ex genere, rem aliquam aut probabiliter oſtendens, aut neceſſarie demonſtrans. Neceſſarie demonſtrantur ea,quæ aliter ac dicuntur, nec fieri, nec probari poſſunt, hoc modo. Si peperit, cum uiro concubuit. Hoc genus argumentandi,quod in neceſſaria demonſtratione uerſatur, maxime tractatur in dicendo, aut per complexionem,aut per enumerationem, aut per ſimplicem concluſionem. Complexio eſt,in qua utrum conceſſeris,reprehenditur, ad hunc modum. Si improbus eſt; cur uteris? ſin probus; cur accuſas? Enumeratio eſt,in qua pluribus rebus expoſitis,& ceteris infirmatis,una reliqua neceſſario confirmatur, hoc pacto. Neceſſe eſt,aut inimicitiarum cauſa ab hoc eſſe occiſum, aut metus,aut ſpei,aut alicuius amici gratia: aut,ſi horum nihil eſt; ab hoc non eſſe occiſum. Nam ſine cauſa maleficium ſuſceptum eſſe non poteſt. Sed neque inimicitiæ fuerunt, nec metus ullus,nec ſpes ex morte illius alicuius commodi, neque ad amicum huius aliquem mors illius pertinebat. Relinquitur igitur, ut ab hoc non ſit occiſus. Simplex autem concluſio ex neceſſaria conſecutione conficitur, hoc modo. Si uos me iſtud eo tempore feciſſe dicitis, ego autem eo ipſo tempore trans mare fui; relinquitur, ut id, quod dicitis,non modo non fecerim, ſed ne potuerim quidem facere. Atque hoc diligenter uidere oportebit, ne quo pacto genus hoc refelli poſſit,ut ne confirmatio modum in ſe argumentationis ſolum habeat,& quandam ſimilitudinem neceſſariæ concluſionis,uerum ipſa argumentatio ex neceſſaria ratione conſiſtat. Probabile autem eſt id,quod ferè fieri ſolet,aut quod in opinione poſitum eſt,aut quod habet in ſe ad hæc quandam ſimilitudinem,ſiue id falſum eſt, ſiue uerum. Verum in eo genere, quod ferè ſolet fieri, probabile huiuſmodi eſt. Si mater

eſt;

eſt; diligit filium: ſi auarus eſt; negligit iuſiurandum. In eo autem, quod in opinione poſitum eſt, huiuſmodi ſunt probabilia. Impiis apud inferos pœnas eſſe præparatas. Eos, qui philoſophiæ dent operam, non arbitrari deos eſſe. Similitudo autem in contrariis, & paribus, & in iis rebus, quæ ſub eandem cadunt rationem, maxime ſpectatur. In contrariis hoc modo. Nam ſi iis, qui imprudentes læſerunt, ignoſci conuenit; iis, qui neceſſario profuerunt, haberi gratiam non oportet. Ex pari, ſic. Nam ut locus ſine portu, nauibus eſſe non poteſt tutus; ſic animus ſine fide, ſtabilis amicis non poteſt eſſe. In iis rebus, quæ ſub eandem rationem cadunt, hoc modo probabile conſideratur. Nã ſi Rhodiis turpe nõ eſt portorium locare, ne Hermacreonti quidem turpe eſt conducere. Hæc tum uera ſunt, hoc pacto. Quoniam cicatrix eſt, fuit uulnus. Tum ueriſimilia, hoc modo. Si multus erat in calceis puluis; ex itinere eũ uenire oportebat. Omne autem, ut certas quaſdam in partes diſtribuamus, probabile, quod ſumitur ad argumentationem, aut ſignum eſt, aut credibile, aut iudicatum, aut comparabile. Signum eſt, quod ſub ſenſum aliquem cadit, & quiddam ſignificat, quod ex ipſo profectum uidetur, quod aut ante fuerit, aut in ipſo negotio, aut poſt ſit conſecutum, & tamen indiget teſtimonii, & grauioris confirmationis: ut cruor, fuga, pallor, puluis, & quæ his ſunt ſimilia. Credibile eſt, quod ſine ullo teſte auditoris opinione firmetur, hoc modo. Nemo eſt, qui non liberos ſuos incolumes, & beatos eſſe cupiat. Iudicatum eſt res aſſenſione, aut auctoritate, aut iudicio alicuius, aut aliquorum comprobata. Id tribus in generibus ſpectatur, religioſo, communi, approbato. Religioſum eſt, quod iurati legibus iudicarunt. Commune eſt, quod omnes uulgò probarunt, & ſecuti ſunt, huiuſmodi: ut maioribus natu aſſurgatur, ut ſupplicum miſereatur. Approbatũ eſt, quod homines cum dubium eſſet, quale haberi oporteret, ſua conſtituerunt auctoritate: uelut Gracchi patris factum, quem Pop. Rom. ob id factum, quòd inſciente collega in cenſura nihil geſsit, poſt cenſuram conſulem fecit. Comparabile autem eſt, quod in rebus diuerſis ſimilem aliquam rationem continet. Eius ſunt partes tres, imago, collatio, exemplum. Imago eſt oratio demonſtrans corporum, aut naturarum ſimilitudinem. Collatio eſt oratio rem cũ re ex ſimilitudine conferens. Exemplum eſt, quod rem auctoritate, aut caſu alicuius hominis, aut negotii confirmat, aut infirmat. Horum exempla,

& deſcriptiones in præceptis elocutionis cognoſcentur. Ac fons quidem confirmationis, ut facultas tulit, apertus eſt, nec minus dilucide, quàm rei natura ferebat, demonſtratus eſt. Quemadmodum autẽ quæq; conſtitutio, & pars conſtitutionis, & omnis controuerſia, ſiue in ratione, ſiue in ſcripto uerſetur, tractari debeat, & quæ in quaſque argumentationes conueniant; ſingillatim in ſecundo libro de unoquoque genere dicemus. In præſentia tantummodo numeros, & modos, & partes argumentandi confuſe, & permiſte diſperſimus: poſt deſcripte, & electe in genus quodq; cauſſæ, quid cuique conueniat, ex hac copia digeremus. Atq; inueniri quidem omnis ex his locis argumentatio poterit: inuentam exornari, & certas in partes diſtingui, & ſuauiſsimum eſt, & ſumme neceſſarium, & ab artis ſcriptoribus maxime neglectum. Quare & de ea præceptione nobis, & in hoc loco dicẽdum uiſum eſt, ut ad inuentionem argumenti, abſolutio quoq; argumentandi adiungeretur. Et magna cum cura, & diligentia locus hic omnis conſiderandus eſt, quòd non rei ſolum magna utilitas eſt, ſed præcipiendi quoque ſumma difficultas.

NEGOTIIS *autem, quæ ſunt attributa*] *hactenus de locis perſonæ attributis; iam uerò quæ negocijs attributa ſunt, deſcribenda agreditur: eaq; in quatuor genera diſtribuit. in continentia cum negotio, in ea, quæ in geſtione negotij conſiderantur, in adiuncta negotio, in conſequentia negotium. negotium appellat Cicero controuerſiam, ſeu cauſſam, de quo agitur, ſiue factum, de quo in iudicio quæſtio eſt. hæc uero negotiorum loca Græcis (vt quidam putant, συμβεβηκότα nominantur. ita quoque ſentire uidetur Quintilianus: qui hanc Ciceronis, uti diximus, partitionem ſecutus, attributa rebus rerum accidentia appellauit: quæ Græce συμβεβηκότα dicuntur.* ¶ *Continentia cum ipſo negotio ſunt ea, quæ ſemper affixa uidentur ad rem, neque ab ea poſſunt ſeparari*] *hæc in partitionibus inſita appellauit. quia & ui, & natura cauſſæ, vt ipſe ait in 2. de Orat. ſumuntur. huic igitur attributo tria mihi uidetur locorum genera ſubieciſſe: quæ ſumuntur à toto, quæ ex cauſſa fiunt, & quæ tribus temporibus conſiderari ſolent, ante negotium, in negotio, & poſt negotium, id eſt in præterito, in inſtanti, & conſequenti tempore.* ¶ *Ex his prima eſt breuis complexio totius negotij*] *hic locus uere inſitus, & inhærens cauſſa eſt: quem in part. & in topicis, ni fallor, appellat à toto. quod totam θέσιν, ſiue ὑπόθεσιν continet. vt parentis occiſio. huic quoque annectuntur partes definitio, & notatio: quæ ex genere inſitorum ſunt.* ¶ *Deinde cauſſa eius ſummæ*] *cauſſa quoque iure dicitur affixa cauſſæ, id eſt negotio: nihil enim abſq; cauſſa fieri ſolet. quæ cum ita ſint,*

ratio

ratio poſtulat, ut qui accuſare in iudicio quempiam uelit, quot, & quanta ſint, vel non ſint in aduerſario cauſſæ, intelligat. contra qui defendit, quot, qualibuſq; cauſſis, atque ſuſpicionibus reus uacet, exponere oportet: vt à culpa, in quam uocatur, alienus eſſe uideatur. ad quod oſtendendum Ariſt. in primo libro rhet. ſeptem eſſe cauſſas declarat, unde omnis humana oritur, ac proficiſcitur actio. fortunam, uim, naturam, conſuetudinem, rationem, iram, cupiditatem. huc reſpiciens Cicero ſubdit. ¶ Per quam, & quam ob rem, & cuius rei cauſſa factum ſit, quæritur] vt indicaret plures extare cauſſas, quibus homines ad delinquendū moueri ſolent. quas quidē rerū cauſſas qui in partes diſtribuerunt, uidelicet per ætates, per habitus, & per huiuſmodi alia, quæ ad cupiditatem referuntur, ab Ariſtotele eluduntur loco ſuperius citato. cuius auctoritatem ſi ſequi uolumus, dicendum erit nonnulla à Cicerone ſuperuacanea in attributis perſonæ fuiſſe deſcripta. ¶ Deinde ante rem geſtam] Cicero in topicis, quidquid, inquit, antecedit quanq; rem, id cohæret cum re neceſſario. ante rem geſtam hæc conſiderari ſolent. vbi reus fuerit, ubi uiſus ſit, nunquid appararit, nunquem conuenerit, nunquid dixerit, nūquem habuerit de conſcijs, de adiutoribus, de adiumentis, & alia. quæ auctor ad Heren. eleganti oratione proſequitur in 2. libro. huic loco ea mihi quadrare optime uidentur, quæ Cicero in oratione pro Sex. Roſc. Am. ex ipſis Roſcij aduerſarijs quærit, cum ait. Si Romæ, vnde eos nouerat Roſcius, qui Romam multis annis non uenit? neque unquam plus triduo fuit? ubi eos conuenit? qui cum locutus eſt? quo modo perſuaſit? pretium dedit? Cui dedit? per quem dedit? unde, aut quantum dedit? nonne ijs ueſtigijs ad caput maleficij perueniri ſolet? ¶ Deinde in ipſo gerendo negotio quid factum ſit] num uiſus ſit reus, cum faciebat: num qui ſtrepitus, clamor, crepitus exauditus ſit: denique nunquid aliquo ſenſu perceptum ſit, uiſu, auditu, tactu, odoratu, guſtatu. Singula hæc ſuſpicionem facinoris conſtare poſſunt. ¶ Deinde quid poſtea factum ſit] hoc eſt poſt rem. quo tempore quæri ſolet, nunquid relictum ſit, quod indicet aut factum eſſe maleficium, aut à quo ſit factum. factum eſſe; ſi tumore, aut liuore decoloratum eſt corpus mortui, ſignificat eum ueneno necatum. à quo factum ſit; ſi telū, ſi ueſtimentū, ſi quid eiuſmodi relictū ſit, aut ſi ueſtigiū rei fuerit, aut ſi cruor in ueſte, aut ſi in eo loco comprehenſus, aut uiſus ſit tranſacto negotio, quo loco res geſta dicitur. ad hæc ſi pallor, titubatio, conſternatio, aut aliquid huiuſmodi in reo contigerit poſt admiſſum negotiū. ¶ Ea autē oportunitas quæritur ex magnitudine] requiritur quantitas, & qualitas loci, utrū ſit capax negotij, & apta negotio. Cicero pro Milone, loci magnitudinem capacitatemq; deſcribit, cum ait. Ante fundum Clodij, quo in fundo propter inſanas illas ſubſtructiones plus mille hominum uerſabatur ualentium aduerſari.

¶ Tempus

¶ Tempus eſt] cum tempus comunem, ſeparatamq́; definitionem recipere poſſit, relicto ob difficultatem genere, ſpeciem definiendam aggreditur. id eſt ſpatium temporis, quod ex ſolis, lunaq́; curſu conficitur: & in annis, menſibus, diebus, noctibus, horisq́; uerſatur. quod æternitatis partem eſſe memorat. Deinde illud in tria tempora diſtribuit, in præteritum, præſens, & futurum: in quibus quæ facta ſunt, conſideranda eſſe admonet. Præteritum tempus in tria partitur tempora, in illud antiquiſſimum, in quo eorum quæ facta fuerunt, nullum monumentum extat. uel ſi extat, ob nimiam uetuſtatem ea obſoleuerunt, & perinde atque fabula eſſe creduntur. & in illud, quod & ſi uetuſtum eſt, illius tamen facta à ſcriptoribus memoriæ prodita, uera eſſe creduntur. & in illud, quod nuper præterijt: cuius pleriſque notitia eſſe poteſt. In præſenti tempore quæ inſtant, in futuro quid ocyus, aut tardius futura ſint, quærenda admonet: denique quantitatem, & qualitatem, id eſt an idoneum, oportunumq́; tempus fuerit ad negotium conficiendum. ¶ Quo nunc utimur] tanquam re ciuitatibus ualde neceſſaria. Nam Plato in vii. de leg. perquirendum doces, vt uniuerſa ciuitas nõ ignoret ordinem dierum in menſem, menſium in annum: propterea quia tempora, ſolennitates, ſacrificia, uti decet, diſpoſita naturali quodam ductu uinam ciuitatem, uigilemq́; reddunt: & dijs honorem tribuunt: hominesq́; prudentiores efficiunt. ¶ Nã ipſis quidem generaliter definire difficile eſt] propter varias philoſophorum opiniones. Nam Pythagoras tempus eſſe dixit ſphæram extremi ambientis. Eratoſthenes ſolis iter. philoſophorum plurimi ingenitum, vt mundus, affirmant. ¶ Pars quædam æternitatis] Cicero cum ijs ſentire videtur, qui mundum eſſe æternum uolunt. ſi mundus æternus; igitur tempus æternum. ambigitur à doctis, vtrum Plato ſenſerit mundum eſſe æternum, nec ne: eo quia in Timæo cum dixiſſet tẽpus vna cũ cælo à deo factum fuiſſe, vt vna orta, vna etiam diſſoluantur, ſubdit ſtatim quaſi καὶ ἐπανόρθωσιν, ſi qua his diſſolutio unquam contingerit. ¶ In hoc & quæ prætericrunt] præteriti temporis diuiſionem aggreditur. & primum vetuſtiſſimi temporis partem attingit, cuius nulla ferè memoria extat, quaſi ſemper fuerit, æternumq́; extiterit tempus. ¶ Et quæ iam diu geſta] altera pars præteriti temporis: in quo quæ geſta fuerunt à noſtra memoria remota, in ſcriptorum monumentis legi poſſunt. ¶ Et quæ nuper geſta ſint] tertia pars præteriti temporis: quod res nuper geſtas, nec à noſtra memoria remotas continet. Prima ergo pars incredibilia ob nimiam uetuſtatem, altera vetuſta quidem continet, ſed credibilia: poſtrema uerò certa habet. ¶ Et item quæ inſtent in præſentia] præſens tempus deſignat. quo carent philoſophi. negant enim præſens reperiri præter momentum quod Græci τὸ νῦν vocant: ſed dici præſens καταχρηστικῶς id quod adeſt. rhetores verò

&

& præſens, & magis præſens habere uidentur. ſed adeas Victorinum.
¶ Et quæ conſequantur] futurum dicit: in quo duo conſideranda eſſe præ-
cipit, quæ ocyus (id Græci μετ᾽ ὀλίγον μέλλον vocant) & quæ longo temporis in
teruallo futura ſunt. ¶ Et item communiter in tempore perſpiciendo lon-
ginquitas eius conſideranda eſt] quantitatem temporis deſignat. ¶ Nam
ſæpe oportet commetiri cum tempore negotium] Videndum eſt an tempus
negotio fuerit oportunum, ſatisq́; ſpatij temporis extiterit ad facinus tranſi
gendum. ¶ Conſiderat autem tempus et anni, & menſis] quàlitas etiam
temporis perpendenda eſt. ¶ Occaſio autem eſt pars temporis] hæc occa
ſio ab illa occaſione differt, quam ex Ariſtotele πρόφασιν ſupra appellari di
ximus. Nam πρόφασις cauſſa eſt, quam quiſque improbus prætexit, ne teme
re læſis ſe uideatur. Hæc uero pars eſt, vt inquit Cicero, temporis: Græcisq́;
καιρὸς dicitur. differt à tempore, quod in tempore menſura, & ſpatium, id
eſt quantitas, in occaſione uerò qualitas temporis, ex qua oportunitas na-
ſcitur agendi, vel non agendi negotij, conſideratur. itaq́; fit vt occaſio nihil
aliud quàm tempus oportunum eſſe uideatur. nullum quidem ſine tempore
negotium geritur, ſed aliquod negotium abſque temporis oportunitate fieri
poteſt. ¶ Modus autem eſt] ſuperius admonuimus modum habere demon-
ſtrationẽ ex facto, vel quod fiat, futurum'ue ſit, vt clam, palàm, dolo, ui, per-
ſuaſione, quæ prudentiæ partes eſſe videntur. hic vero imprudentiæ quoque
partes adiungit: inſcitiam, caſum, neceſſitatem. quæ ſub ea parte con-
ceſſionis collocantur, quæ fit per purgationem. addidit præterea affectiones
animi modeſtiam, iracundiam, et cet. atque ſub hac circunſtantia illud om
ne complecti uidetur, quod ſub cauſſa, poſitum eſt, id eſt ratiocinationem, &
impulſionem. de quibus in 2. libro copioſe diſputabimus. ¶ Facultates ſunt,
aut qubus facilius fit, aut ſine quibus aliquid confici non poteſt.] hæc ferè co
ligi ſolent. mandata, ſeruus, conſcius, ſicarius, laqueus, gladius, uenenum, lit
teræ, internuntius, & quæ eiuſmodi ſunt. ijs enim rebus facultates agendæ,
vel non agendæ rei ſignificantur. quas Græci τῶν ἐργῶν ἀφορμὰς, latini rheto
res adminicula appellare conſueuerunt. ¶ Adiunctum autem negotio id in
telligitur, quod maius, & quod minus,] huic attributo duo ſubijcere uide-
tur, quæ inſita ſunt negotio, id eſt, quæ in ſubſtantia ſunt, genus, & pars. ſi in
ſubſtantia ſunt, vt omnes qui ab Ariſtotele dialectici prodierunt, ſenti-
re uidentur, igitur inter adiuncta ſubſtantiæ, hoc eſt inter comitantia ſub-
ſtantiam reponi non debent. uſus eſt tamen hac locorum partitione Cicero:
nec ſemper, cum à genere argumentamur, de genere ſubſtantiæ argumenta
facimus. ſed ad rem. Rodulphus Agricola in duas partes adiuncta diſtri-
buit: quorum alia adplicita, vt locus, tempus: quædam uerò connexa appel
lat, ut ueſtimentum. deinde partem transfert in locum, quem uocat contin-
gentium

gentium.ita ex uno fonte Ciceronis quaſi plures riuulos ducit. ¶ *Maius, & minus,& æque magnum ex ui,& ex numero,& ex figura negotij,ſicuti ex ſtatura corporis conſiderantur.*] *Hæc tria loca uulgò comparata dicuntur appoſitiua, & comparatiua Quintiliano. Ariſtoteles in 2. de arte rhet.* ἐκ τῶν μᾶλλον, καὶ ἧττον *appellaſſe uidetur: quæ Cicero in topicis tranſtulit ex maiore,& minore.maiora ergo ex minoribus, minora ex maioribus, paria ex paribus probãtur. Maius ex minore ſic. Si fur eſt puniendus; multo magis ſacrilegus. Minus ex maiore,ſic. Seditioſum fas eſt occidere,igitur & uerberare. Ex pari denique,quod æque magnum uocat Cicero. Si Malleolus,qui matrem necauit, pœnam parricidarum ſubijt; igitur Nero,qui matrem de medio ſuſtulit,parricidarũ ſupplicio affici debet. Hunc locum, quem in topicis Cic. ex pari uocat, Ariſtoteles in 2. top.* ἐκ τοῦ ὁμοίως *appellauit.ſed in nomine non uſquequaque uſus conſentit.nam apud poetas grammatici comparationes uocant,quas nos ſimilitudines dicimus. qualia ſunt apud Virg.*

» *Ac ueluti magno in populo.* &

» *In ſegetem ueluti cum flamma furentibus auſtris.*

Et id genus alia.at quas comparationes nos,ipſi exempla appellant.quo nomine & Ariſtoteles utitur. Qui in 2. rhet. duo genera facit communium argumentorum: unum enthymema,alterum exemplum. exemplo duo genera ſubijcit παραβολὴν, *quam Cicero collationem uocat, &* λόγον. *id eſt, ut quidã interpretantur,fabulã.hæc igitur tria loca maius,minus,et æque magnum,tribus etiam ex rebus conſideranda eſſe admonet, ex ui rerum, ex numero,& ex figura negotij.in partitionibus uero ex quatuor rebus:ex ui, ex numero,ex ſpecie,ex affectione ad aliquas res.Sed partes duntaxat explicabimus,quæ hoc in contextu à Cicerone referuntur. Vis eſt in rebus, in perſonis,& in dictis.igitur ui,id eſt,poteſtate,cum alius,uel aliud ob uirtutem,aut dignitatem alij præfertur:numero,cum plura aut bona, aut mala paucioribus bonis,aut malis,uel cum plures perſonæ cum paucioribus conferuntur.ex figura negotij,cum totum negotium ex circunſtantijs,tanquam ex ſtatura corporis conſideratur,aut deſcribitur.Vt enim corpus uarijs partibus conſtat,in eoq; omnia ipſius membra, atque lineamenta conſiderantur;ita in negotio omnia elementa inſpiciuntur, quibus tota negotij figura cõfici poteſt. Exemplum adducit Victorinus illud uulgatiſſimum ex prima in Catilinam inuectiua de Scipione Naſica; qui Tib. Gracchum interemit.hoc modo. An uero P. Scipio Pont.max. Tib. Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum reipub. priuatus interfecit, Catilinam orbem terræ cæde,atque incendijs uaſtare cupientem nos coss. perferemus? hic uis, & numerus rerum, perſonarumq; oſtenditur. Nam ex ui rerum minus*

eſſe

eſſe ſtatum reipub. quàm orbem terrarum facile intelligitur, & minus eſſe labefactare, quàm uaſtare. ex ui perſonarum, maior Catilina, quam Gracchi ſeſe uis oſtentat. cumq; uterque nominatur, Catilina magis timendus agnoſcitur. ex numero autem, maius eſſe duos coss. quàm Scipionem perſpicimus figuram negotij, quia nihil profuiſſet, non appoſuit. Sed libet mihi alterum exemplum adſcribere, ut res magis perſpicua fiat: illudq; ex multis adduco, quod eſt apud Virg. in 1. Æn. ſub perſona Iunonis. cum ait.

» *Pallaſ'ne exurere claſſem*
» *Argiuum, atque ipſo potuit ſubmergere ponto*
» *Unius ob noxam, & furias Aiacis Oilei?*
» *Ipſa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem*
» *Disiecitq; ratis. euertitq; æquora uentis.*
» *Illum expirantem transfixo pectore flammas*
» *Turbine corripuit, ſcopuloq; infixit acuto.*

hic uis rerum, & perſonarum, nec non figura totius negotij conſideratur. nã Iuno Troianos ab Italia fugare nõ potuit; Pallas Græcos, et Aiacẽ criminis auctorem perdere potuit. unde eſt omnis Iunonis indignatio. igitur ex ui perſonarum minor eſt palladis uis, quàm Iunonis. ex ui rerum, minus auertere, quàm necare. iure ergo indignatur Iuno: quia cum longe ſit maior Pallade, tamen ne illud quidem, quod Pallas facere poteſt. ex figura uerò totius facti maius, & minus agnoſcitur, quia totum ferè poeta negotium deſcribit. quis occiderit, cur occiderit: quibus adminiculis occiderit: ſola omittitur circunſtantia ubi, id eſt, locus ubi Aiax occiſus fuerit. quod apud Caphareum Euboiæ promontorium contigiſſe fertur. ¶ Simile autem ex ſpecie comparabili] hũc locum in topicis appellat à ſimilitudine: in ſecundo de Orat. ex ſimilitudine. in topicis quidem Ariſtotelem ſecutus eſt: nam ἐπαγωγῇ ſimilitudinem tractari uult, quemadmodum & ille. ſunt enim, inquit, ſimilitudines, quæ ex pluribus collationibus perueniunt quo uolunt. remq; probat exemplo. hæc ex pluribus perueniens quo uult, appellatur inductio. Græcis ἐπαγωγῇ nominatur: de qua inferius pluribus dicemus. ut igitur ſuperiora maius, & minus, & æque magnum ex quantitate; ita ſimile ex qualitate, cognoſcimus. unde ſimilia Boetio uocantur, quæ eiuſdem ſunt qualitatis. atq; Cicero eſſe ex ſpecie comparabili. quod infra definit illud eſſe, quod in rebus diuerſis ſimilem aliquam rationem continet: cuius tres ſpecies facit, imaginem collationem, exemplum. ex quibus ſimile deducitur aut ex ſpecie formarum, cum uultum uultui cõparamus: aut ex natura rerum, cum hominem iratum cum bellua irata, aut aliquid aliud ſimile ex diſſimilibus rebus oſtendimus. quamobrem Cicero ſubdit. Comparabile autem ex conferenda, atque aſſimilanda natura iudicatur. quibus in uerbis & ſi nul-

ſuit ςεχητικὰ, quæ Cicero priuantia uocat, ut dies, nox, lux, tenebræ, uiſus, cæcitas. ἀποφατικὰ, quæ Ciceroni negantia appellantur: cuius generis Cicero hic duntaxat ſub nomine diſparati mentionem facit. huiuſmodi ſunt ſapere, non ſapere: ſedere, non ſedere: quæ non modo contraria, ſed ualde contraria à dialecticis, & philoſophis appellari ſolent. ¶ Genus eſt, quod partes aliquas amplectitur, vt cupiditas. Pars eſt, quæ ſubeſt generi, vt amor, auaritia] & hæc duo loca genus, & pars, interea quæ in ſubſtantia eſſe dicuntur, dialectici referre ſolent. Nam ſi definitio in ſubſtantia eſt, et illa quoque, quæ definitio complectitur, utique in ſubſtantia ſunt: vt genus, & forma. Cicero tamen, & alij quidam inter comitantia ſubſtantiam re ponit. locus à genere notiſſimus eſt, in omnibusq́; materijs requirẽdus. Nam ſemper in declaratione propoſiti thematis, initio mens ipſa requirit genus; vt quoties tecum ipſe reputas, quid ſit, uerbi cauſſa, anima, primum quæris, an ſit cor, aut cerebrum, aut aliud aliquod magis perfectum. ſed ſi de ijs locis pluribus dici poſſit, idem mihi uidetur eſſe argumentum à genere ad ſpeciem, quod à toto ad partes. quo fit, vt magis etiam mirer genus, et partem inter adiuncta cauſſæ fuiſſe relata. & à toto ad partes argumentari, quid aliud eſt, quàm θέσιν ad ὑπόθεσιν reuocare? vt ſi differere uelis, an honeſtum ſit Antonio uxorem ducere, neceſſe eſt prius ſcire, an uxorem ducere in genere ſit res honeſta. itaque Victorinus hoc in loco admonet, quotieſcunque de genere quæſtio eſt; ex ſpecie ſumendum eſſe argumentum: quoties de forma; ex genere eſſe argumentandum. ¶ Euentus eſt alicuius exitus negotij: in quo quæri ſolet, quid ex quaque re euenerit, eueniat, euenturumq́; ſit.] Cicero in part. Oratorijs ſcriptum reliquit, coniecturam ſpectare cauſſas, & euentus. euentum definiuit id, quod effectũ eſt. Deinde paulo inferius declarauit apertius, euentus eſſe conſequentia quædam ſigna præteriti, et impreſſa facti ueſtigia, & quaſi tacita criminum teſtimonia. Quintilianus autem in quinto libro non ideo conſequentia appellari docet, quòd poſt factum eueniant, ſed quòd ſint adiuncta facto, & ἀκόλουθα, et quodam modo cohærentia. ſed non diſſentit ab hac opinione Cicero, etſi conſequentia quædam facti ſigna eſſe ait. nam ſubdit infra eodemmet partitionũ libro, poſt multorum enumerationem ſignorum, teli, ueſtigij, cruoris, reſponſi inconſtanter, titubati, & aliorum. Hæc enim, & talia ſunt, quæ aut in re ipſa, aut etiam antequam factum eſt, aut poſtea ſuſpicioſum crimen efficiant. quam ob rem & hoc in loco ait. in quo quæri ſolet, quid ex quaque re euenerit, eueniat, euenturumq́; ſit. certe ſigna ſunt præteriti ſæpius, & facti ueſtigia, ſed etiam futuri: vt apparatus armorum, properatioq́; ſignum eſt futuræ cædis, oſculum, adulterij. Sanè euenta dici poſſe uidentur, quæcunque ex cauſſis oriuntur. nam Cicero in topicis promiſcue effecta, & euenta nominat: quæ

ex cauſſis fiunt. ſed adeas Rodulphum. ¶ Quarta autem pars eſt, ex ijs, quas negotijs dicebamus eſſe attributas conſecutio.] conſecutio ideo nominatur, quia ea continet, quæ negotium conſequuntur. ſed & euentus, qui ſub attributo ſuperiore poſitus eſt, conſequentia negotium complecti uidetur. ergo eadem eſt euentus, & conſecutionis ratio. ſoluitur quæſtio, hoc modo. meminiſſe oportet uaria eſſe eorum genera, quæ negotium conſequuntur: quædam enim in reo conſiderari ſolent ex conſcientia facti, quæ ego intrinſeca appello. vt metus, lætitia, tremor, titubatio, perplexus ſermo. & alia. quædam in reo conſiderantur non ex conſcientia, ſed ex facto: vt fuga, ueſtis re licta, cruor, telum, idq; genus alia, quæ factum ipſum ſequitur. hæc ad euentum referuntur. ad quem ea quoque interdum referri ſolere diximus: quæ negotium antecedunt. Quædam uerò poſt admiſſum negotium conſiderari ſolent pertinentia ad ipſum negotium, quæ ſunt extra rei perſonam, & conſcientiam: quæ ego extrinſeca nomino. hæc ad conſecutionem referuntur: vt nomen facti, auctores, conſcij, æmuli, lex, conſuetudo, et alia in contextu à Cicerone poſita, quæ in iudicio conſiderari, tractariq; ſolent. hæc diſtinctio longe mihi apertior uidetur, quàm qua uſus eſt Victorinus. qui euentum in fortuitum, & naturalem diſtinxit: quanquam ne illud quidem ab re factum fuiſſe uidetur. ¶ Deinde natura eius] quæritur id ipſum quoque, utrum ex facto, de quo agitur, id quod accidiſſe uidetur, frequenter, an inſolenter, & raro naſci ſoleat. exempli gratia: an ſemper, uel nunquam, uel raro furor parricidium ſequatur: an uirgo ex primo concubitu frequenter, aut raro grauida fiat. ¶ Omnis autem argumentatio, quæ ex ijs locis, quos commemorauimus, ſumetur, aut probabilis, aut neceſſaria debebit eſſe.] tradita locorum præceptione argumentorum deſcriptionem aggreditur: quorum duo genera facit, alterum probabile, neceſſarium alterum. locus ex 2. de arte rhet. libro Ariſtotelis cap. xl. ſumptus eſſe uidetur. ubi ſcriptum reliquit, non ſolum ex ijs, quæ aliter fieri non poſſunt, ſed etiam ex ijs, quæ fere fieri ſolent argumentationem ſumi. καὶ μὴ μόνον συνάγειν ἐκ τῶν ἀναγκαίων, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. *idem in eodem libro repetit, ubi, quomodo argumentis reſiſtendum ſit, docet. ¶ Etenim, vt breuiter deſcribamus, argumentatio uidetur eſſe inuentum ex aliquo genere rem aliquam aut probabiliter oſtendens, aut neceſſarie demonſtrans] argumẽtum definit. quod argumentationem appellat. in topicis argumentum uocat rationem, quæ rei dubiæ fidem facit. & in partitionibus, probabile inuentum ad faciendam fidem. ¶ Neceſſarie demonſtrantur ea, quæ aliter, ac dicuntur, nec fieri, nec probari poſſunt.] ſic etiam Ariſtoteles in Rhet. ad Alex. neceſſarium argumentum definit, cum ait.* ἔλεγχος δέ ἐστι μὲν ὃ μὴ δυνατὸν ἄλλως ἔχειν, ἀλλ' οὕτως ὡς ἡμεῖς λέγομεν. λαμβάνεται δὲ ἐκ τῶν φύσει ἀναγκαίων, ὡς ἡμεῖς λέγομεν

λεγόμεν ἢ ὁ ἀντιλέγων. ideſt, argumentum eſt, quod aliter, atque ipſi dicimus, fieri non poteſt. ſumitur autem ex neceſſarijs natura, vt nos dicimus, uel aduerſarius. recte igitur demonſtrantur, Cicero dixit: nam quæ neceſſaria ſunt argumenta, uti demonſtratio, ex ueris, et perſpicuis fiunt. quamobrem Ariſt. in primo libro Top. demonſtrationis definitionem afferens, ἀπόδειξις, inquit, μὲν οὖν ἐστὶ ὅταν ἐξ ἀληθῶν, καὶ πρώτων. quam quidem demonſtrationem Cicero in 4. de ſin. bon. & mal. neceſſariam concluſionem appellat; non eam, quæ totius argumentationis tertia pars eſt, ſed ipſam argumentationem. ¶ Si peperit, cum uiro concubuit] hoc ex ueris, & perſpicuis. quæ aliter nec fieri, nec probari poſſunt. ¶ Hoc genus argumentandi] neceſſariam argumentationem tres in partes diſtribuit: alij in plures eam partiti ſunt. ¶ Complexio eſt] primum eſt neceſſariæ argumentationis membrum. quod Græci τὸ δίλημμα, ſiue διλήμματον appellant. argumentatio eſt, quæ vtrinque aduerſarium capit. quidam ex recentioribus ſufficientem diuiſionem appellant. alij uerò ex partitione nominant: in qua maxime oportet oppoſitas eſſe interrogationes, & ad ſoluendum aduerſarijs minime faciles. quod ſi quæ proponuntur interrogationes, oppoſitæ non fuerint, complexionis quidem formam, ſed uim non habebit oratio. itaq; eam Græci διλήμματον σοφιστικὸν uocant, Latinis deprauata complexio nominatur: qua tamen clariſſimi oratores, & Cic. ipſe uſus eſt. ¶ Si improbus eſt; cur uteris? ſi probus; cur accuſas?] exemplum complexionis eſt: quod oppoſitas interrogationes habet. eſtq́; huiuſmodi, vt aduerſarium utrinque capere poſſit. urgetur enim accuſator, hoc modo. Aut probus eſt ille, quem accuſas, aut improbus. ſi improbus; cur eo uteris? ſi probus; cur accuſas? huic non diſſimile profertur à Cic. in Verrem, cum ait. Aut amicos confiteri Siculos neceſſe eſt, aut amici. ſi amici ſunt; credamus teſtibus: ſi inimici ſunt; inuiti pecunias contulerunt. item illud apud Ariſt. in 2. rhet. de ſacra quadam muliere, quæ filium ſuum à reipub. adminiſtratione, & conſilijs deterrebat. ſi iuſta, inquit, et honeſta ſuaſeris, infenſus eris hominibus: ſi iniuſta; Dijs. ¶ Enumeratio eſt] alteram neceſſariæ argumẽtationis partem deſcribendam aggreditur: quam alij inductionem appellant. ¶ Neceſſe eſt aut inimicitiarum cauſſa] exemplum eſt inductionis ex coniectura deductum: quod neceſſaria concludit: conſtatq́; propoſitione, ratione, aſſumptione, concluſione. defenſor nititur probare hominẽ à reo non fuiſſe occiſum. atque ita argumentatur. cum maleficium ſine cauſſa nullũ ſuſcipiatur, neceſſe eſt aut odio, aut metu, aut ſpe emolumenti, aut amici alicuius gratia ab hoc fuiſſe occiſum: ſed nihil harum rerum extitit, igitur ab hoc non eſt occiſus. ¶ Si horum nihil eſt] à contrario concludit, & prima pars argumenti totius argumentationis quaſi formam habet. ¶ Nam ſine cauſſa] κατα-

σκευὴ τῆς προτάσεως. ❡ Sed neque] aſſumptio eſt. ❡ Relinquitur igitur] complexio, ſiue concluſio. ❡ Simplex autem concluſio] nihil habet difficultatis, ideoq́; non opus eſt commentario. ❡ Atque hoc diligenter uidere oportebit] commune præceptum eſt trium argumentationum. id præcipit, cauendum eſſe, ne ſpecie tantum argumentatio neceſſaria eſſe uideatur; ſed re ipſa neceſſaria ſit, atque ratione neceſſaria conſtet, ne refelli poſſit, quo modo autem refelli poſſit, inferius declarabitur.

❡ Probabile autem eſt] hactenus de neceſſarijs argumentationibus: iam uerò de probabilibus agit. Ariſtoles in primo topicorum probabilia eſſe ait, quæ probantur, aut omnibus, aut plurimis, aut certe ſapientibus, atque ijs uel omnibus, uel plurimis, uel ijs, quorum ſpectata eſt, et perſpecta ſapientia. Idem ferè ait in 2. rhet. Cicero uerò ſpecies diſtinguit: quotq́; ex locis probabilis argumentatio fiat, oſtendit. in eo genere, quod ferè ſolet fieri: quod in opinione poſitum eſt, quod habet in ſe ad hæc quandam ſimilitudinem. rurſus ſimilitudinem triplici ratione ſpectari, ex contrarijs, ex paribus, & ex ijs, quæ mutuam confirmationem præſtant. ❡ Si mater eſt, diligit filium] probabile argumentum eſt, matrem diligere filium, non neceſſariũ. nã Medea filios ſuos trucidauit. ❡ Impijs apud inferos pœnas eſſe præparatas] Hoc ijs probabile eſt, qui inferos eſſe credunt: quibus uero ſomnia, & pictorum, poetarumq́; portenta uidentur, minime probabile eſſe poteſt. Quamobrem Victorinus recte ſenſiſſe uidetur: qui probabile argumentum per ſe definiri poſſe negat. nam quod eſt probabile, pro moribus, & opinione populorum probabile eſt. aliud enim Romanis, aliud Barbaris iuſtum, honeſtumq́; uidetur. alius inter Chriſtianos, alius inter Hebræos, alius inter Turcas, & Saracenos uiuendi mos, & opinio uiget. ❡ Eos, qui philoſophiæ dent operam] Hæc & ſi non in omnes, tamen in multos philoſophos opinio cadit, ut probabile ſit argumentum. Philoſophus eſt, igitur deos eſſe non credit. ❡ In contrarijs hoc modo. Nam ſi ijs, qui imprudentes læſerunt, ignoſci conuenit] hic lædere, & prodeſſe contraria quidẽ ſunt: attamen argumentum per ſimilitudinem ex contrarijs non conficerent, niſi in eis quoque hæc animorum extaret ſimilitudo, quòd alter prodeſſe, alter obeſſe noluit. Ariſtotelis hoc argumentum eſſe ex 2. rhet. ſatis perſpicue cognoſci poteſt. εἴπερ γὰρ οὐδὲ τοῖς κακῶς δεδρακόσιν ἀκουσίως, & reliqua. notus eſt doctis præſertim locus. quem locum uarij uario modo uerterunt. Trapezuntius ita. Si non ijs, qui inuiti obfuerunt, iraſci par eſt; nec ijs, qui coacti profuerũt, gratia habenda eſt. Hermolaus uerò ſic. Si ueniam meretur, qui imprudẽs nocuit; non meretur præmium, qui imprudens profuit. ſed optime omnium Cicero. ❡ Ex pari ſic. Nam ut locus ſine portu] dubitari poſſet: cum paria inter comparata referantur, quæ quantitati ſubijciuntur, utrum inter ſimilia, quæ

quæ qualitati ſubiecta ſunt, annumerari poſſint. facile tollitur dubitatio: quia in ſimilibus paria argumentum non faciunt, quatenus paria ſunt, ſed quatenus inter ſe ſimilitudinem habent. ¶ *In iis rebus, quæ ſub eandem rationem cadunt*] *locus iſte ab Ariſtotele in 2. de arte rhet.* ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα *dicitur: quia uerba ad ſe inuicem ſpectant, ut emere, uendere, locare, conducere. unde varia ſumit Ariſtoteles argumenta, atque hæc in primis. Si huic iuſtum eſt facere, illi iuſtum eſt perpeti. Si iubere uobis honeſtum eſt, et mihi honeſtũ eſt iuſſa exequi. tale eſt illud Virgilianũ ex primo Æn.*

» *Tuus o Regina quod optes*
» *Explorare labor, mihi iuſſa capeſſere fas eſt.*

Ciceroni verò ſatis fuit unum, docendi cauſſa, exemplum afferre, quod ſequitur. ¶ *Nam ſi Rhodiis turpe non eſt portorium locare, nec Hermacreonti quidem turpe eſt conducere.*] *Sic ferè Ariſtoteles.* εἰ γὰρ μηδ᾽ ὑμῖν αἰσχρὸν τὸ πωλεῖν, οὐδ᾽ ἡμῖν τὸ ὠνεῖσθαι. *id eſt. nam ſi uobis locare turpe non eſt, nec nobis conducere. hoc Diomedontis publicanorum principis argumẽtum fuit, itaque non nulli locum Ariſtotelis ita uerterunt. Si uobis locare turpe non eſt, nec Diomedonti turpe eſt conducere. quam ob rem cum luce clarius quiſque intueri poſſit hunc locum eſſe ex Ariſt. ſumptum; animi pendeo, an pro Hermacreonti hic legendũ ſit Diomedonti: an apud Ariſtotelem pro Diomedontis nomine, nomen Hermacreontis ſubſtituendum ſit: ſic enim Ariſtoteles inquit:* οἷον ὡς ὁ τελώνης Διομέδων περὶ τῶν τελωνῶν. *aut argumenti Ariſtotelis imitatio eſt: & de Hermacreonte aliquo, qui & ipſe princeps publicanorum fuerit, intelligendum eſt. Nam Fabius Quint. hunc Ciceronis locum adducens, Hermacreonti legit.* ¶ *Hæc tum uera ſunt*] *commune præceptum eſt probabilium argumentationum: quæ ſeu uera, ſeu falſæ ſint, parum ait referre; modo ad faciẽdam fidem probabilis eſſe uideantur.* ¶ *Omne autem ut certas quaſdam in partes diſtribuamus, probabile, quod ſumitur ad argumentationem, aut ſignum eſt, aut credibile, aut iudicatum, aut comparabile.*] *Quibus ex rebus probabilis argumentatio fieri poſſit, demonſtratum eſt iam verò quatuor alias partes enumerat: non vt inde alia quoque probabilia argumenta deduci velit (non enim aliunde quàm ex iis tribus deprompti poſſe uidentur: ex iis, quæ ferè ſolent fieri; ex iis, quæ in hominum opinione conſiſtunt; & in iis, quæ ad hæc quandam ſimilitudinem habent) ſed vt ipſorum trium effectus oſtendat. quamobrem iſta quatuor in illis tribus ita poſita ſunt, ut quodcunque ex illis tribus confici poteſt, ſit aut ſignum, aut credibile, aut iudicatum, aut comparabile. Vt autem apertius intelligatur, hæc arctiſſimo cognationis inter ſe uinculo contineri, intuendũ eſt. Quod ferè ſolet fieri, ſignum, & credibile: quod in opinione poſitum eſt, iudicatum: quod uerò ad hoc quandam ſimilitudinem habet, comparabile*

ſuis in uiſceribus continere. ❡ Signum eſt, quod ſub ſenſum aliquem cadit.] hoc alij indicium, quidam ueſtigium, Græci σημεῖον uocant. ſenſus autem ſunt, uiſus. auditus, tactus, guſtatus, odoratus. ❡ Et quiddam ſignificat. quod ex ipſo profectum uidetur, quod aut ante fuerit, aut in ipſo negotio, aut poſt ſit conſecutum.] ex Ariſtotele hoc ſumptum apparet in rhet. ad Alexandrum. ſic enim ille ait. σημεῖον δ' ἐϛὶ ἄλλο ἄλλυ, ὐ τὸ τυχὸν τῦ τυχόντος. ὐδ' εἶπαν παντὸς ἀλλὰ τὸ γε ἄθισμένον γίνεσθαι πρὸ τῦ πράγματος, ἢ ἅμα τῷ πράγματι, ἢ μετὰ τὸ πρᾶγμα. Fabius quoque ſcriptum reliquit in quinto, hoc genus per omnia tempora perpendi ſolere. Nam & coiſſe eam cum uiro, quæ peperit, quod eſt præteriti: & fluctus eſſe, cum magna uis uenti in mare incubuit, quod eſt coniuncti: & eum mori, cuius cor uulneratum eſt, quod futuri, neceſſe eſt. Sed hæc ſigna ſunt neceſſaria, de neceſſarijs uero, hic Cicero non loquitur. uerum de ijs, quæ Græcis εἰκότα, id eſt, leuia uocantur; ſicuti ex ſequenti textu ſatis liquet. ❡ Et tamen indiget teſtimonij, & grauioris confirmationis, ut cruor, fuga, et cet.] Non enim, huiuſmodi ſigna per ſe factum coniecturale firmiter probant, ſed requirunt firmiora, nempe argumenta; ut quæ à cauſſa, et à uita ducuntur: et ab ijs, quæ ante negotium, in negotio, & poſt negotium præter hæc contigiſſe appareant. Atque idipſum eſt, quod Ariſtoteles ſignificare uoluiſſe uidetur. cum in libro ſuperius adducto, argumentum à ſigno hoc ait differre: quòd ſigna quædam opinionem duntaxat apud auditores faciunt, omne uero argumentum τὴν ἀλήθειαν διδάσκει τῦς κρίνοντας. id eſt, ueritatem iudices edocet. ubi ſignate loquitur Ariſtoteles, ſigna quædam opinionem tantum facere, ut iſta ſunt, quæ colligit Cicero: quæ εἰκότα, id eſt leuia uocantur: nam & quædā ſigna ſunt, quæ fidem facere poſſunt, id eſt quæ neceſſaria ſunt, hæc Græcis τεκμήρια uocantur. lege Fabiū in quinto libro, cap. de ſignis. illud quoque animaduertendum eſt, Ciceronem collegiſſe tantum ſigna, quæ negotium conſequuntur, ſed quemadmodū in conſequentibus negotium, ita quoque in antecedentibus negotium, & in coniunctis negotio leuia reperiri ſigna, quæ niſi grauioribus fulciantur, perſe nullam, aut paruam fidem facere poſſunt. ❡ Iudicatnm eſt res aſſenſione, aut iudicio alicuius, aut aliquorum comprobata] huius loci meminit Ariſt. in 2. de arte rhet. quem ἐκ τῆς κρίσεως appellat. ſumi autem à iudicato argumentum docet, quoties aut περὶ τῦ αὐτῦ, ἢ ὁμοίου, ἢ ἐναντίυ, i. aut idem, aut ſimile, aut contrariū aliquid iudicatum oſtenditur. ſed non alienum fore arbitror uerba Ariſtotelis adſcribere, ut quid hac in re effici poſſit, et debeat, intelligatur. ſic igitur fere ait. Alius ſumitur à iudicato, quoties aut idē, aut ſimile, aut contrariū aliquid iudicatū oſtenditur. eſt autē in eo genere ita uerſandū, ut quod defendimus, demonſtremus ita ſemper uiſū omnibus fuiſſe, uel plurimis, itē ſapiētibus, ijsq́; uel omnibus, uel maiori ex parte: itē iudicibus, aut

aut ijs,quorũ illi auctoritatẽ ſequuntur: aut à quibus diſſentire non poſſunt: quales ſunt domini,uel tyranni: aut ijs,quorũ ſententijs aduerſari turpe ſit: quales ſunt dij, parentes,præceptores,uti Autocles dixit in Maximidam. Si furiæ,quæ deæ ſunt,in Areopago ſatis acerbe pœnas dederunt; Maximides non dabit? & alia,quæ ſequuntur. notus eſt locus. quæ uerba perpendiſſe diligenter Cicero mihi uidetur, atq; ita in trium uerborum compendium redegiſſe,aſſenſione,auctoritate, iudicio. item inferius, religioſum, commune, approbatum. ¶ Religioſum eſt, quod iurati legibus iudicarunt] hinc probabile argumentum deducitur. iuratus iudicauit,igitur iuſte,& ex lege iudicauit. non tamen id ſemper ſequitur. nam in cauſſa Clodij iudices,qui pulcherrime iurauerant, pecunia corrupti peſſime iudicarunt. Cic. ad Att. primo. ¶ Ut maioribus natu aſſurgatur] hinc illud apud Cic. de Senect. legatorum Athenienſium dictum,cum à Lacedæmoniorum iuuenibus honeſtati,& ſeſſum recepti fuiſſent. Athenienſes ſciunt. quæ recta ſunt, ſed facere nolunt.nam illis domi ſuæ nullus à iuuenibus honos habebatur. ¶ Gracchi patris] Tiberij. Nam & huius filij Tib. & C. Gracchi dicti ſunt. ¶ Inſciente collega] Claudio. Plin. de uiris illuſt. ¶ Comparabile autem eſt] quarta pars eſt probabilis argumenti cõparabile: quod ad ſimilitudinem referri docuimus. eius propium eſt,& rebus diſſimilibus ſimilia conficere. ſimilia uerò duplici ratione conſiderantur, in ſpecie formarum, & natura rerum. quamobrem Cicero comparabile in tres partes diſtribuit. in imaginem, in collationem,in exemplum. quibus ex rebus tum ex ſpecie formarum,tum ex natura rerum ſimile fieri ſolet. ¶ Imago eſt oratio demonſtrãs corporum,aut naturarum ſimilitudinem] ex effectu nomen ſumpſit. Nam & rerum, & perſonarum imaginem exprimit. Græci εἰκόνα uocant. imaginem perſonæ, ac totius ferè humani corporis per ſimilitudinem delineat apud Maronem Andromache,cum Aſcanium Aſtyanactis filij ſui perſimilem facit in 3. Æn.

» *O' mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago*
» *Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.*

& in 4. ſpeciem, ſiue formam corporis per ſimilitudinem exprimit, cum de Mercurio ita uerba facit.

» *Os, humeroſq; Deo ſimilis, vocemq;, coloremq;,*
» *Et crines flauos, & membra decora iuuentæ.*

ceterum hoc ſimilitudinis genus rarius in ſoluta oratione reperiri, quàm in metro, vel Fab. Quintilianus admonuit in quinto. id confirmat Ariſtoteles in 3. de arte rhet. vbi docet imaginem uere tranſlationis naturam habere, parumq; ab ea differre: nam cum, inquit, Homero dictum eſt, Achillem ceu leonem irruiſſe, imago eſt. ubi uero non ceu leonem, ſed ſimpliciter

leonem irruiſſe, tranſlatio. cũ enim et Achilles, et leo fortes eſſent, per tranſlationem Achilles poterat appellari leo. ſubdit deinde ſtatim. eſt quidem oratoribus utilis hac figura; ſed raro adhibenda eſt, quia poetica. ❡ Collatio eſt oratio rem cum re ex ſimilitudine conferens] hanc partem Græci παραβολὴν appellant. cuiuſuis eſt res aduerſas ex ſimili comparatione coniungere. huius generis eſt illud Ciceronis in oratione pro A. Cluentio. ut corpora noſtra ſine mente, ita ciuitas ſine lege ſuis partibus, ut neruis, ac ſanguine, & membris uti non poteſt. item illud ex Quintilano. ut remi ſine gubernatore, ita milites abſque imperatore nihil ualent. ex hoc genere ſunt omnes cum Homeri, tum Virgilij, aliorumq́ poetarum comparationes.

❡ Exemplum eſt, quod rem auctoritate, aut caſu alicuius hominis, aut negotij confirmat, aut infirmat] exempla quoque, quæ Græcis παραδείγματα appellantur, etſi ſæpenumero in quantitate uerſantur, firmanturq́ ex ui, ex numero, & ex figura negotij, ut ſupra demonſtratum eſt, tamen ſimilia fiunt, ſi quando in illis qualitas oſtendatur. quamobrem Fabius ſcriptum reliquit Græcos hoc nomine et communiter uſos fuiſſe in omni ſimilium appoſitione, & ſeparatum in iis, quæ rerum geſtarum auctoritate nituntur: Latinos uerò ſimilitudinem uocare maluiſſe, quod illi παραβολὴν appellant. Fabius tamen ipſe utrunque παράδειγμα nominat, etſi Cicero exemplum à collatione ſeiungit. Ariſtoteles in 2. de arte rhet. exemplorum duo genera facit: alterum, quod rei geſtæ auctoritate, alterum quod fictæ, et ut geſtæ commemoratione, appoſitioneq́; nititur. huius poſterioris deinde duas ſpecies efficit: alteram παραβολὴν, id eſt collationem, alteram ſiue fabulam, ſiue apologum nominat. exemplum igitur ſimilitudinis hoc modo fieri uidetur. Si iure occiſus eſt Saturninus, igitur & Gracchi iure ſunt occiſi. ❡ Ac ſi quidem confirmationis] μετάβασι ad rhetoricæ argumentationis deſcriptionem uiam ſternit. ❡ In præſentia tantummodo numeros, et modos, & partes argumentandi confuſe, et permiſte diſperſimus.] numeros loca argumentorum intelligit: quos Ariſtotelis interdum τόπους, id eſt ſedes, quandoq; uero ϛοιχεῖα ἐνθυμημάτων, id eſt elementa argumentorum appellat. modos ipſa argumentorum genera, probabilia, & neceſſaria. partes uerò argumentandi, partes argumentorum dicit, neceſſariorum, & probabilium. neceſſariorum quidem, complexionem, enumerationem, ſimplicem concluſionem: probabilium uero, quod ferè ſolet fieri, quod in opinione hominum uerſatur, & quod ad hoc quandam ſimilitudinem habet.

Omnis igitur argumentatio, aut per inductionem tractanda eſt, aut per ratiocinationem. Inductio eſt oratio, quæ rebus non dubiis captat aſſenſionem eius, qui cum inſtituta eſt; quibus aſſenſionibus facit, ut illi dubia quædã res, propter ſimilitudinem

earum rerum, quibus aſſenſit, probetur, uelut apud Socraticum Aeſchinem demonſtrat Socrates, cum Xenophontis uxore, & cum ipſo Xenophōte Aſpaſiam locutam. Dic mihi, quæſo, Xenophontis uxor, ſi uicina tua melius habeat aurum, quàm tu habeas, utrum illius, an tuum malis? Illius, inquit. Quòd ſi ueſtem, & ceterum ornatum muliebrem pretii maioris habeat, quàm tu habes, tuum ne, an illius malis? Illius uerò, reſpondit. Age, inquit, ſi uirum illa meliorem habeat, quàm tu habes, utrum ne tuum, an illius malis? Hic mulier erubuit. Aſpaſia autem cum ipſo Xenophonte ſermonem inſtituit. Quæſo, inquit, Xenophon, ſi uicinus tuus meliorem equum hebeat, quàm tuus eſt; tuum ne equum malis, an illius? Illius, inquit. Quòd ſi fundum meliorem habeat, quàm tu habes; utrum tandem fundum habere malis? Illum, inquit, meliorem ſcilicet. Quòd ſi uxorem meliorem habeat, quam tu habes; utrum illius malis? Atq; hic Xenephon quoque ipſe tacuit. Poſt Aſpaſia. Quoniam uterque ueſtrum, inquit, id mihi ſolum non reſpondit, quod ego ſolum audire uolueram; egomet dicam quid uterque cogitet, Nam & tu mulier optimum uirum mauis habere, & tu Xenophon uxorē habere lectiſſimam maxime uis. Quare niſi hoc perfeceritis, ut neque uir melior, neq; femina lectior in terris ſit; profecto id ſemper, quod optimum putabitis eſſe, multo maxime requiretis, & tu ut maritus ſis quam optimæ mulieris, & hæc quam optimo uiro nupta ſit. Hic cum rebus non dubiis eſſet aſſenſum, factum eſt propter ſimilitudinem, ut etiam illud, quod dubium uidebatur, ſi quis ſeparatim quæreret, id pro certo propter rationem rogandi concederetur. Hoc modo ſermonis plurimum Socrates uſus eſt: propterea quòd nihil ipſe afferre ad perſuadendū uolebat, ſed ex eo, quod ſibi ille dederat, qui cum diſputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod iam conceſſiſſet, neceſſario approbare deberet. Hoc in genere præcipiēdum nobis uidetur. Primum, ut illud, quod inducemus per ſimilitudinem, eiuſmodi ſit, ut ſit neceſſe concedi. Nam ex quo poſtulabimus nobis illud, quod dubium ſit, concedi, dubiū eſſe idipſum nō oportebit. Deinde illud, cuius confirmandi cauſſa fiet inductio, uidendum eſt, ut ſimile iis rebus ſit, quas res quaſi non dubias antè induxerimus. Nam ante aliquid nobis conceſſum eſſe nihil proderit, ſi ei diſſimile erit id, cuius cauſſa illud concedi primum uoluerimus. Deinde non intelligat, quo ſpectent illæ primæ inductiones, & ad quem

ſint exitum peruenturæ. Nam qui uidet, ſi ei rei, quæ primo rogetur, recte aſſenſerit, illam quoque rem, quæ ſibi diſpliceat, eſſe neceſſario concedendam, plerumque aut non reſpondendo, aut male reſpondendo longius procedere rogationē nō ſinit. Quare ratione rogationis imprudēs ab eo, quod cōceſsit, ad id, quod nō uult cōcedere, deducendus eſt. Extremū autē aut taceatur oportet, aut concedatur, aut negetur. ſi negabitur; aut oſtendenda eſt ſimilitudo earum rerum, quæ ante conceſſæ ſunt, aut alia utendū inductione. Si concedetur; concludenda eſt argumentatio. Si tacebitur; aut elicienda eſt reſponſio, aut quoniam taciturnitas imitatur confeſſionē, pro eo, ac ſi conceſſum ſit, cōcludere oportebit argumentationem. Ita fit hoc genus argumentandi tripertitum. Prima pars conſtat ex ſimilitudine una, pluribus'ue. Altera ex eo quod concedi uolumus, cuius cauſſa ſimilitudines adhibitæ ſunt. Tertia ex concluſione, quæ aut confirmat conceſsionem, aut, quod ex ea conficiatur, oſtendit. Sed quia non ſatis uidebitur alicui dilucide demonſtratum, niſi quod ex ciuili cauſſarum genere exemplum ſubiecerimus; uidetur huiuſmodi quoq; utendum exemplo, non quo præceptio differat, aut aliter hoc in ſermone, atque in dicendo ſit utendum, ſed eorum uoluntati ſatisfiat, qui quod aliquo in loco uiderint, alio in loco, niſi demonſtratum eſt, nequeunt cognoſcere. Ergo in hac cauſſa, que apud Græcos eſt peruagata, quod Epaminondas, Thebanorum Imperator, ei, qui ſibi ex lege prætor ſucceſſerat, exercitum non tradidit, & cum paucos ipſe dies contra legem exercitum tenuiſſet, Lacædemonios funditus uicit; poterit accuſator argumentatione uti per inductionem, cum ſcriptum legis cōtra ſententiam defendat, ad hunc modum. Si, iudices, id, quod Epaminondas ait, legis ſcriptorem ſenſiſſe, adſcribat ad legem, & addat exceptionem hanc, extra quam ſi quis reipublicæ cauſſa exercitum non tradiderit, patemini ? non opinor. Quòd ſi uoſmetipſi, quod à ueſtra religione, & ſapientia remotiſſimum eſt, iſtius honoris cauſſa hanc eandem exceptionem iniuſſu populi ad legem adſcribi iubeatis, populus Thebanus patietur ne id fieri? profecto non patietur. Quod ergo adſcribi ad legem nefas eſt, id ſequi, quaſi adſcriptum ſit, rectum uobis uideatur? Noui ueſtram intelligentiam, non poteſt ita uideri, iudices. Quòd ſi literis corrigi neq; ab illo, neq; à uobis ſcriptoris uolūtas poteſt; uidete, ne multo indignius ſit id re, & iudicio ueſtro mutari, quod ne uerbo quidem commutari poteſt.

teſt. Ac de inductione quidem ſatis in præſentia dictum uidetur. Nunc deinceps ratiocinationis uim, & naturam conſideremus. Ratiocinatio eſt oratio ex ipſa re probabile aliquid eliciēs, quod expoſitum,& per ſe cognitum ſua ſe ui,&ratione confirmat. Hoc de genere qui diligentius conſiderandum putauerunt,cum idem uſu dicendi ſequerentur, paulum in præcipiendi ratione diſſenſerunt. Nam partim quinque eius partes eſſe dixerunt, partim nō plus,quàm in tres partes poſſe diſtribui putauerunt. Eorum controuerſiam non incommodum uidetur cum utrorunque ratione exponere, Nam & breuis eſt,& non eiuſmodi, ut alteri prorſus nihil dicere putentur, & locus hic nobis in dicendo minime negligendus uidetur. Qui putant in quinque diſtribui partes oportere, aiunt primum conuenire exponere ſummam argumentationis, ad hunc modum. Melius accurantur, quæ conſilio geruntur, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur. Hanc primam partem numerāt: eam deinceps rationibus uariis,& quamcopioſiſſimis uerbis approbari putant oportere, hoc modo. Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus inſtructior eſt rebus, & apparatior, quàm ea, quæ temere,& nullo conſilio adminiſtratur. Exercitus is,cui præpoſitus eſt ſapiens,& callidus Imperator, omnibus partibus commodius regitur, quàm is, qui ſtultitia,& temeritate alicuius adminiſtratur. Eadem nauigii ratio eſt. Nam nauis optime curſum conficit ea, quæ ſciētiſsimo gubernatore utitur. Cum propoſitio ſit hoc pacto approbata, & duæ partes trāſierint ratiocinationis; tertia in parte aiunt, quod oſtendere uelis, id ex ui propoſitionis oportere aſſumere, hoc pacto. Nihil autem omnium rerum melius, quàm omnis mundus adminiſtratur. Huius aſſumptionis quarto in loco aliam porrò inducūt approbationem, hoc modo. Nam & ſignorum ortus,& obitus definitum quendam ordinem ſeruāt,& annuæ commutationes, non modo quadam ex neceſsitate ſemper eodem modo fiunt, uerum ad utilitates quoque rerum omnium ſunt accommodatæ,& diurnæ, nocturnæq́; uiciſsitudines, nulla in re unquam mutatæ, quicquam nocuerunt. Quæ ſigno ſunt omnia, non mediocri quodam conſilio naturam mundi adminiſtrari. Quinto inducūt loco complexionem, eam, quæ aut id infert ſolum, quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo. Conſilio igitur mundus adminiſtratur; aut unum in locum cum conduxerit breuiter propoſitionem, & aſſumptionem, id adiungit, quod ex his conficiatur, ad hunc modum.

dum. Quòd ſi melius geruntur ea, quæ conſilio, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur; nihil autẽ omnium rerum melius, quàm omnis mundus adminiſtratur; conſilio igitur mundus adminiſtratur. Quinquepertitam igitur hoc pacto putãt eſſe argumentationem. Qui autem tripertitam eſſe dicunt, ii non aliter putant tractari oportere argumentationem, ſed partitionem horum reprehendunt. Negant enim neque à propoſitione, neque ab aſſumptione approbationes earum ſeparari oportere, neque propoſitionem abſolutam, neque aſſumptionem ſibi perfectam uideri, quæ approbatione confirmata non ſit. Quare quas illi duas partes numerant propoſitionem, & approbationem, ſibi unam partem uideri propoſitionem: quæ ſi approbata non ſit, propoſitio non ſit argumentationis. Item quæ ab illis aſſumptio, & aſſumptionis approbatio dicitur, eandem ſibi aſſumptionem ſolam uideri. Ita fit, ut eadem ratione argumentatio tractata, aliis tripertita, aliis quinquepertita uideatur. Quare euenit, ut res non tam ad uſum dicendi pertineat, quàm ad rationem præceptionis. Nobis autem commodior illa partitio uidetur eſſe, quæ in quinque partes diſtributa eſt, quam omnes ab Ariſtotele, & Theophraſto profecti maxime ſecuti ſunt. Nam quemadmodum illud ſuperius genus argumẽtandi, quod per inductionem ſumitur, maxime Socrates, & Socratici tractauerunt; ſic hoc, quod per ratiocinationem expolitur, ſumme eſt ab Ariſtotele, atque peripateticis, & Theophraſto frequentatum: deinde à rhetoribus iis, qui elegantiſsimi, atque artificioſiſsimi, putati ſunt. Quare autem nobis illa magis partitio probetur, dicendum uidetur, ne temere ſecuti putemur: & breuiter dicendum, ne in huiuſmodi rebus diutius, quàm ratio præcipiẽdi poſtulat, commoremur. Si quadam in argumentatione ſatis eſt uti propoſitione, & non oportet adiungere approbationem propoſitioni; quadam autem in argumentatione infirma eſt propoſitio, niſi adiuncta ſit approbatio; ſeparatum quiddam eſt à propoſitione approbatio. Quod enim adiungi, & ſeparari ab aliquo poteſt, id non poteſt idem eſſe, quod eſt id, ad quod adiungitur, & à quo ſeparatur. Eſt autem quædam argumentatio, in qua propoſitio nõ indiget approbatione, & quædam, in qua nihil ualet abſque approbatione, ut oſtendemus. Separata eſt igitur à propoſitione approbatio. Oſtendemus autem id, quod polliciti ſumus, hoc modo. Quæ propoſitio in ſe quiddam continet perſpicuum, eo quòd conſtare inter omnes neceſſe

eſt,

eſt: hanc uelle approbare,& firmare nihil attinet. Ea eſt huiuſmo di. Si quo die iſta cædes Romæ facta eſt, ergo Athenis eo die fui; interesse in cæde non potui. Hoc quia perſpicue uerum eſt, nihil attinet approbari. Quare aſſumi ſtatim oportet, hoc modo. Fui aũt Athenis eo die: hoc ſi non conſtat, indiget approbationis, qua inducta, complexio conſequetur: igitur in cæde intereſſe non potui. Eſt igitur quædam propoſitio, quæ non indiget approbatione: nam eſſe quidem quandam, quæ indigeat; quid attinet oſtendere, quod cuiuis facile perſpicuum eſt? Quod ſi ita eſt, ex hoc,& ex eo, quod propoſueramus, hoc conficitur, ſeparatum eſſe quiddam à propoſitione approbationem. Si autem ita eſt, falſum eſt, non eſſe plus, quàm tripertitam argumentationem. Simili modo liquet alteram quoque approbationem ſeparatam eſſe ab aſſumptione. Nam ſi quadam in argumentatione ſatis eſt uti aſſumptione,& non oportet adiungere approbationem aſſumptioni; quadam autem in argumentatione infirma eſt aſſumptio, niſi adiuncta ſit approbatio; ſeparatum quiddam eſt extra aſſumptionem approbatio. Eſt autem argumẽtatio quædam, in qua aſſumptio non indiget approbationis: quædam autem, in qua nihil ualet ſine approbatione, ut oſtẽdemus. Separata eſt igitur ab aſſumptione approbatio. Oſtẽdemus autem, quod polliciti ſumus, hoc modo. Quæ perſpicuam omnibus ueritatem cõtinet aſſumptio, nihil indiget approbationis: ea eſt huiuſmodi. Si oportet ſapere, dare operam philoſophiæ conuenit. hæc propoſitio indiget approbationis. Nõ enim perſpicua eſt, neque conſtat inter omnes: propterea quòd multi nihil prodeſſe philoſophiam, plerique etiam obeſſe, arbitrantur. Aſſumptio perſpicua eſt hæc. Oportet autem ſapere. Hoc autem, quia ipſum ex re perſpicitur,& uerum eſſe intelligitur, nihil attinet approbari. Quare ſtatim concludenda eſt argumentatio. Igitur dare operam philoſophiæ conuenit. Eſt ergo aſſumptio quædam, quæ approbationis non indiget. Nam quandam indigere perſpicuum eſt. Separata eſt igitur ab aſſumptione approbatio. Falſum ergo eſt, non eſſe plus quàm tripertitam argumentationem. Atque ex his illud iam perſpicuum eſt, eſſe quandam argumentationem, in qua neq; propoſitio, neque aſſumptio indigeat approbationis huiuſmodi, ut certũ quiddam,& breue, exempli cauſſa, ponamus. Si ſummopere ſapientia petenda eſt; ſummopere ſtultitia uitanda eſt. Summopere autem ſapientia petenda eſt. Summopere igitur ſtultitia, uitãda eſt.

Hic

Hic & aſſumptio, & propoſitio perſpicua eſt. Quare neutra quoque indiget approbatione. Ex his omnibus illud perſpicuum eſt, approbationem tum adiungi, tum non adiungi. Ex quo cognoſcitur, neque in propoſitione, neque in aſſumptione contineri approbationem: ſed utrãque ſuo loco poſitam, uim ſuam tanquam certam, & propriam obtinere. Quod ſi ita eſt; commode partiti ſunt illi, qui in quinque partes diſtribuerunt argumentationem. Quinque ſunt igitur partes eius argumentationis, quæ per ratiocinationem tractatur. Propoſitio, per quam breuiter locus is exponitur, ex quo omnis uis oportet emanet ratiocinationis. Propoſitionis approbatio, per quam id, quod breuiter expoſitum eſt, rationibus affirmatum, probabilius, & apertius fit. Aſſumptio, per quam id, quod ex propoſitione ad oſtendendum pertinet, aſſumitur. Aſſumptionis approbatio, per quam id, quod aſſumptum eſt, rationibus firmatur. Complexio, per quam id, quod conficitur ex omni argumentatione, breuiter exponitur. Quæ plurimas habet argumentatio partes, ea cõſtat ex his quinque partibus. Secunda eſt quadripertita. Tertia tripertita. Dein bipertita, quod in controuerſia eſt. De una quoque parte poteſt alicui uideri poſſe argumentationem conſiſtere. Eorum igitur, quæ conſiſtant, exẽpla ponemus: horum, quæ dubia ſunt, rationes afferemus. Quinquepertita argumentatio eſt huiuſmodi. Omnes leges, iudices, ad commodũ reipublicæ referri oportet, & eas ex utilitate communi, non ex ſcriptione, quæ in litteris eſt, interpretari. Ea enim uirtute, & ſapientia maiores noſtri fuerũt, ut in legibus ſcribendis nihil ſibi aliud, niſi ſalutem, atque utilitatem reipublicæ proponerent. Neque enim ipſi, quod obeſſet, ſcribere uolebant: & ſi ſcripſiſſent, cum eſſet intellectũ, repudiatũ iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum cauſſa ſaluas eſſe uult, ſed reipublicæ, quòd ex legibus omnes reſpublicas optime putant adminiſtrari. Quam ob rem igitur leges ſeruari oportet, ad eam cauſſam ſcripta omnia interpretari cõuenit: hoc eſt, quoniam reipublicæ ſeruimus, ex reipublicæ commodo, atque utilitate leges interpretemur. Nam ut ex medicina nihil oportet putare proficiſci, niſi quod ad corporis utilitatem ſpectat, quoniam eius cauſſa eſt inſtituta; ſic à legibus nihil conuenit arbitrari, niſi quod reipublicæ conducat, proficiſci: quoniam eius cauſſa ſunt comparatæ. Ergo in hoc quoque iudicio definite litteras legis perſcrutari, & legem, ut æquum eſt, ex utilitate reipublicæ conſiderare,

conſiderare,quod hic fecit.Quid enim magis utile Thebanis fuit, quàm Lacedæmonios opprimi? Quid magis Epaminondam Thebanorum Imperatorem, quàm uictoriæ Thebanorum conſulere decuit? Quid hunc tanta Thebanorum gloria,tā claro, atque exornato trophæo carius, atque antiquius habere conuenit? Scripto uidelicet legis omiſſo, ſcriptoris ſententiam conſiderare debebat. Atque hoc quidē ſatis conſideratum eſt, nullam eſſe legē niſi reipub. cauſſa ſcriptam. Summam igitur amentiam eſſe exiſtimabant,quod ſcriptum eſſet reip. ſalutis cauſſa,id non ex reip. ſalute interpretari. Quòd ſi leges omnes ad utilitatem reip. referri conuenit, hic autem ſaluti reip. profuit, profecto non poteſt eodem facto & communibus fortunis conſuluiſſe, & legibus nō obtemperaſſe. Quatuor autem partibus conſtat argumentatio, cum aut proponimus, aut aſſumimns ſine approbatione. Id facere oportet, cum aut propoſitio ex ſe intelligitur, aut aſſumptio perſpicua eſt, & nullius approbationis indiget. Propoſitionis approbatione præterita, quatuor ex partibus argumentatio tractatur,ad hunc modum.Iudices,qui ex lege iurati iudicatis,legibus obtemperare debetis. Obtemperare autem legibus nō poteſtis, niſi quod ſcriptum eſt in lege, ſequamini. Quod enim certius legis ſcriptor teſtimoniū uoluntatis ſuæ relinquere potuit, quàm quod ipſe magna cum cura,atque diligentia ſcripſit? Quòd ſi litteræ non extarent; magnopere eas requireremus, ut ex his ſcriptoris uoluntas cognoſceretur, nec tamen Epaminondæ permitteremus, niſi extra iudicium quidem eſſet, ut is nobis ſententiam legis interpretaretur, nedum nunc iſtud patiamur, cum præſto lex ſit, non ex eo, quod apertiſsime ſcriptum eſt, ſed ex eo,quod ſuæ cauſſæ conuenit ſcriptoris uoluntatem interpretari.Quòd ſi uos iudices, legibus obtemperare debetis, & id facere non poteſtis,niſi, quod ſcriptū eſt in lege, ſequamini; quid cauſſæ eſt,quin iſtum cōtra legem feciſſe iudicetis? Aſſumptionis autem approbatione præterita,quadripertita ſic fiet argumentatio. Qui ſæpe numero nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus. Siquid enim perfidia illorum detrimenti acceperimus,nemo erit, præter noſmetipſos,quem iure accuſare poſſimus. Ac primum quidem decipi incommodum eſt:iterum,ſtultum:tertium,turpe. Carthaginienſes autē perſæpe iam nos fefellerunt. Summa igitur amentia eſt in eorum fidem ſpem habere, quorum perfidia toties deceptus ſis. Vtraque approbatione præ-

L terita

terita, tripertita fit hoc pacto. Aut metuamus Carthaginienſes oportet, ſi incolumes eos reliquerimus; aut eorum urbem diruamus, ac metuere quidē non oportet. Reſtat igitur, ut urbem diruamus. Sūt autē, qui putant nonnunquā poſſe complexione, & oportere ſuperſederi, cum id perſpicuum ſit, quod conficiatur ex ratiocinatione. Quod ſi fiat, bipertitam quoque fieri argumentationem, hoc modo. Si peperit; uirgo non eſt: peperit autem. hic ſatis eſſe dicunt proponere, & aſſumere: quoniā perſpicuum ſit, quod conficiatur, complexionis rem non indigere. Nobis autē uidetur & omnis ratiocinatio concludenda eſſe: & illud uitium, quod illis diſplicet, magnopere uitandum eſt, ne quod perſpicuum ſit, id in complexionem inferamus. Hoc autē fieri poterit, ſi complexionum genera intelligantur. Nam aut ita complectemur, ut in unum conducamus propoſitionem, & aſſumptionē, hoc modo, Quod ſi leges omnes ad utilitatē reipublicæ referri cōuenit, hic autem ſaluti reip. profuit; profecto non poteſt eodem facto & ſaluti cōmuni cōſuluiſſe, & legibus non obtēperaſſe. Aut ita, ut ex cōtrario ſentētia conficiatur, hoc modo. Summa igitur amētia eſt, in eorum fide ſpem habere, quorū perfidia toties deceptus ſis. Aut ita, ut id ſolum, quod conficitur, inferatur, ad hūc modum. Vrbem igitur diruamus. Aut id, quod eam rē, quæ conficitur, ſequatur neceſſe eſt, id eſt huiuſmodi. Si peperit; cum uiro concubuit: peperit autem. Conficitur hoc. Cōcubuit igitur cum uiro. Hoc ſi nolis inferre, & inferas id, quod ſequitur. Fecit igitur inceſtum, & concluſeris argumentationem, & perſpicuam fugeris complexionem. Quare in longis argumētationibus, ex conductionibus, aut ex contrario complecti oportet. In breuibus id ſolum, quod conficitur, exponere. In iis, in quibus exitus peſpicuus eſt, conſecutione uti. Si qui autem ex una quoque parte putabunt conſtare argumentationem, poterunt dicere, ſæpe ſatis eſſe hoc modo argumentationem facere. Quoniam peperit; cum uiro concubuit: nam hoc nullius neque approbationis, neque aſſumptionis, uel eius approbationis, neque cōplexionis indigere uidetur: ſed nobis ambiguitate nominis uidentnr errare. Nam & argumentatio nomine uno res duas ſignificat: ideo quòd & inuentum aliquam in rem probabile, aut neceſſarium argumentatio uocatur, & eius inuenti artificioſa expolitio. Quando igitur proferent aliquid huiuſmodi. Quoniam peperit, cum uiro concubuit; inuentum proferent, non expolitionem. Nos autem de expoli-

poſitionis partibus loquimur. Nihil igitur ad hanc rem ratio illa pertinebit: atq; hac diſtinctione alia quoque, quæ uidebūtur officere huic partitioni, propulſabimus: ſi qui aut aſſumptionem aliquando tolli poſſe putent, aut propoſitionem. Quæ ſi quid habet probabile, aut neceſſarium, quoquo modo commoueat auditorē, neceſſe eſt. Quòd ſi ſolum ſpectaretur id, quod inuentum eſt, ac nihil, quo pacto tractaretur id, quod eſſet excogitatum, referret; nequaquā tantum inter ſummos oratores, & mediocres intereſſe exiſtimaretur. Variare autem orationem magnopere oportebit. Nā omnibus in rebus ſimilitudo eſt ſatietatis mater. Id fieri poterit, ſi non ſimiliter ſemper ingrediamur in argumētationem. Nam primum omnium generibus ipſis diſtinguere conuenit orationem, hoc eſt tum inductione uti, tum ratiocinatione. Deinde in ipſa argumētatione non ſemper à propoſitione incipere, nec ſemper quinque partibus abuti, neque eadem ratione expolire partitiones, ſed tum ab aſſumptione incipere licet, tum ab approbatione alterutra, tum utraq;, tum hoc, tum illo genere cōplexionis uti. Id ut perſpiciatur, aut ſcribamus ipſi, aut in quolibet exemplo de iis, quæ propoſita ſunt, hoc idem exerceamus, ut quam facile ſit factu. Ac de partibus quidem argumentationis ſatis nobis dictum uidetur. Illud autem uolumus intelligi, nos probe tenere, aliis quoque rationibus tractari argumentationes in philoſophia multis, & obſcuris, de quibus certum eſt artificium conſtitutū. Verum illa nobis abhorrere ab uſu oratorio uidentur. Quæ pertinere autem ad dicendum putamus, ea nos commodius, quàm cæteros attendiſſe non affirmamus, ſed perquiſitius, & diligentius conſcripſiſſe pollicemur. Nunc, ut inſtituimus, proficiſci ordine ad reliqua pergemus.

OMNIS *igitur argumentatio aut per inductionem tractanda eſt, aut per ratiocinationem*] *deſcriptis argumentorum ſedibus, ipſiſq; argumentis, tertium relinquebatur, quod paulo ſuperius ſe tractaturum pollicitus fuerat; qua nam ratione argumentatio exornari, certaſq; in partes diſtingui poſſet, id nunc deſcribendum, atque declarandum aggreditur. Omnem igitur oratoria argumētationis tractationem in duas diſtributam partes eſſe memorat, in inductionem, & ratiocinationem. Ariſtoteles in 2. de arte rhet. probationum, ſiue argumentationum duo proponit capita: παράδειγμα, & ἐνθύμημα. at in primo topicorum, διωρισμένων δὲ τούτων, inquit χρὴ διελέσθαι πόσα τῶν λόγων εἴδη τῶν διαλεκτικῶν, ἐστὶ δὲ τὸ μὲν ἐπαγωγή, τὸ δὲ συλλογισμός. id eſt. his autem expoſitis, deinceps quot ſint genera ar-*

gumentationum dialecticorum dicendum eſt. eſt autem una, quæ inductio; altera, quæ ratiocinatio nominatur. quare inde perſpicuum eſt hanc Ciceronis ſumptam eſſe diuiſionem. ſed illud obiter obſeruatione dignum duxerim, συλλογισμὸν, ut omnes Ciceronis libros euoluas, ratiocinationem dici, niſi in ijs libris de Inuentione non reperies: id quod ante me Perionius uir, Græcis, Latiniſq; litteris eruditus adnotauit. alias alijs in libris concluſionem appellare ſolet, non eam quidem, quæ totius argumentationis tertia pars eſt, ſed ipſam argumentationem, alias argumentum ratione concluſum. Sed mirari quiſpiam poſſet, cum Ariſtoteles in rhet. hæc duo argumentationum genera poſuerit, exemplum, & enthymema, quæ oratorum propria ſunt, et peculiares, cur Cicero non eam diuiſionem hic ſequi maluerit, quàm qua utitur Ariſt. in topicis, quæ dialecticorum (ut ipſemet philoſophus aſſerit) propria eſt. cui ego admirationi ita occurri, ac reſponderi poſſe arbitror: conſulto, ac prudenter, nec abſque Ariſtotelis auctoritate id à Cicerone factum fuiſſe. nam omnis rhetorum artificioſa argumentatio ex cognitione dialectici ſyllogiſmi pendet. itaq; fit, ut qui recte nouerit, auctore Ariſtotele in primo rhet. quibus ex rebus conſtituantur dialecticorum ſyllogiſmi, & quemadmodum tractentur, rationem quoque argumentationum, quæ ad rhetores pertinent, ualde perſpicuam, & exploratam eſſe habiturum. Nam enthymema, quanquam una caret propoſitione, tamen eſt ſyllogiſmus: & planè demonſtrare poteſt; cum oratoria demonſtrationis (ut inquit Ariſt.) uicem impleat. quo & ſi frequentius utuntur oratores, interdum tamen plena ratiocinatione probationes complectuntur. & exemplum quid eſt aliud (etſi aliquid inter utrunque intereſt) quàm dialectica inductio? verba Ariſtotelis adſcribam, quæ idipſum profectò apertiſſimè demonſtrant. τῶν διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι, καθάπερ καὶ ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς, τὸ μὲν ἐπαγωγὴ ἐστὶ, τὸ δὲ συλλογισμὸς, καλῶ δ' ἐνθύμημα μὲν ῥητορικὸν συλλογισμὸν: παράδειγμα δὲ, ἐπαγωγὴν ῥητορικήν. recte igitur argumentationem in inductionem, & ratiocinationem diſtribuit.

¶ Inductio eſt oratio, quæ rebus non dubijs captat aſſenſionem eius, quicum inſtituta eſt, quibus aſſenſionibus facit, ut illi dubia quædam res propter ſimilitudinem earũ rerũ, quibus aſſenſit, probetur.] optima, & perſpicua ſanè definitio eſt. at tamen Ariſt. paucioribus verbis. nec minus dilucide eam definit in primo top. cum ait. ἐπαγωγὴ δὲ ἐστὶν, ἡ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος. id eſt, inductio eſt ex rebus ſingulis ad uniuerſas progreſſio. Rodulphus, atque alij quidam inductionem rectius dici poſſe enumerationem putant, eo quia partium quædam in ea fiat enumeratio. Ariſtoteles valde inductionem commendat in top. plurimumq; ad fidem faciendam valere, ratiocinationẽ verò magis urgere, & ad eos, qui contra nos dicunt

re-

reſellendos multo potentiorem eſſe affirmat. ſed in 2. rhet. inductiones niſi rariſſimas ab oratoribus adhiberi ait. at in octauo top. plane diſputat, ratiocinationem magis eſſe dialecticorum, quàm oratorum; inductionem vero contra magis multitudinem commouere. ſic enim ferè ait. In diſſerendo autem ratiocinatione vtendum erit apud dialecticos potius, quàm apud multitudinem. inductio magis multitudinem commouet. ergo Ariſtoteles non ſibi conſtat. Non hercle ſe ipſe oppugnat Ariſtoteles. ſed cum in 2. rhet. inductiones non niſi rariſſimas ab oratoribus adhiberi ait, de peroratione loquitur: vbi ſæpius exemplis, rariſſime inductionibus vtendum eſſe monet. verba Ariſt. ſi æqua lance expendantur, idipſum planum faciunt: ſic enim ait. ſane in peroratione, id eſt (vt Hermolaus recte quidem exponit) poſt enthymematum explanationem, adiungenda erunt exempla. nam cum ea primo loco ponuntur, vim inductionum habent. inductiones non niſi rariſſimæ ab oratoribus adhibentur. at ſi collocantur ſummo, atteſtationis vim præſtant. iis verbis ſanè omnis dubitatio tollitur. ¶ Velut apud Socraticum Æſchinem demonſtrat Socrates] Æſchines Socratis diſcipulus fuit: qui multa ſcripſit: & alicubi etiam Socratem loquentem facit: ¶ Dic mihi quæſo Xenophontis vxor] initium eſt argumentationis per inductionem: quam Cicero ex Æſchine ſocratico in latinum tranſlulit. apud quem Socrates Aſpaſiam cum vxore Xenophontis primum, deinde cum ipſo Xenophonte huiuſmodi ſermonem habuiſſe refert. ¶ Age, inquit, ſi virum illa meliorem] hæc eſt illa dubia res: quam ob ſimilitudinem earum rerum, quibus incaute aſſenſit vxor, probare cogitur. ¶ Hic mulier erubuit] meritò. nam malè reſponderat; ſe malle aurum alienum, quàm ſuum. id enim eſt (vt Fabius ait) improbum. at ſi reſpondiſſet, ſe malle aurum ſuum tale eſſe, quale illud eſſet, potuiſſet pudice reſpondere, malle ſe virum ſuum talem, qualis melior eſſet. ¶ Aſpaſia autem cum ipſo Xenophonte ſermonem inſtituit] Non eſt hæc Aſpaſia vxor Xenophontis, vt perperam ſentit Fabius, vel potius illius codices deprauati: non enim adduci poſſum, vt credam Fabium virum alioqui doctiſſimum, in errorem tam manifeſtum inci diſſe præſertim cum textus ipſe Ciceronis apertis, quod aiunt, tibiis reclamet. Fuit igitur Aſpaſia hæc, mulier Mileſia magna doctrina fama ſophiſtria, rhetoriceq́; magiſtra: quæ Periclem docuit, & amauit: ab eoq́; in matrimonium accepta, cum captiua eſſet, cauſſa fuit duorum bellorum, Samii, & Peloponneſiaci. auctor eſt Plutarchus in Pericle. Sed & Ariſtoph. ἐν ταῖς ἀχαρναῖς, & Plato in Menoxeno huius fœminæ meminerunt. ¶ Hic cum rebus non dubiis eſſet aſſenſum] de auro, & de ueſte, cæteroq́; muliebri ornatu. ¶ Factum eſt propter ſimilitudinem, vt etiam illud] cogebatur, vellet, nollet, fateri propter ſimilitudinem rerum, quibus aſſenſerat, ſe

uirum

virum habere velle meliorem, quàm habebat. ¶ Hoc modo ſermonis plurimum Socrates vſus eſt] id quoque refert Ariſt. in 2. rhet. & apud Platonem paſſim cognoſci poteſt. ¶ Hoc in genere præcipiendum nobis videtur] tria hoc in genere obſeruanda eſſe monet. primum, vt quod per ſimilitudinem inductum eſt, huiuſmodi ſit, vt ab aduerſario neceſſario concedatur. deinde, vt ſimile ſit rebus ante adductis; & ne aduerſarius quo ſpectent illæ ſuperiores inductiones intelligat, rationem aſſignat. quia aut noſtræ inductioni aduerſarius non reſpondebit, aut male reſpondendo longius interrogationem procedere non ſinet. illud extremum eſſe docet, vt aut taceat, aut concedat, aut neget. ſi negabit; oſtendenda erit ſuperiorum inductionum ſimilitudo: ſi concedet; argumentatio concludenda erit: ſi tacebit; aut elicienda erit reſponſio, aut concludenda argumentatio, perinde ac ſi faſſus eſſet: nam taciturnitas confeſſionem imitatur. ¶ Ita fit hoc genus argumentandi tripertitum] quomodo tripertitum? cum in inductione nullum inter ſe ordinem habeant propoſitiones, nec numerum præfinitum: nam pro multitudine partium numerus propoſitionum creſcat neceſſe eſt. Sed ita obiectioni occurritur; propoſitiones illas, quæ ſimilitudinis gratia inducuntur, etiam ſi mille fuerint, vnam tantum eſſe argumentationis partem: altera pars eſt, cuius cauſſa ſimilitudines datæ ſunt: tertia, concluſio. itaque fit, vt inductio quoque tripertita eſſe dicatur. ¶ Sed quia non ſatis uidebitur alicui demonſtratum] parat ſe ad alterum exemplum, quo res facilius intelligatur, non ex philoſophiæ fonte petitum, ſed ex ciuili ratione deductum: nempe ex facto Epaminondæ Thebanorum imperatoris, qui iuſſus tradere exercitum ſucceſſori, noluit, quo ad cum Lacedæmoniis pugnauerit: eosq; prælio apud Leuctras fuderit. hanc hiſtoriam cum apud alios, tum maximè apud Æmylium Probum legere poteris: qui Epaminondæ Thebani vitam breuiter quidem, ſed non inſulſe perſcripſit. ¶ Quod Epaminondas Thebanorum imperator, qui ſibi ex lege prætor ſucceſſerat, exercitum non tradidit] Epaminondam imperatorem nominat, ſucceſſorem vero prætorem: quibus verbis colligi poteſt imperatoriam, & prætoriam poteſtatem Græcis eandem fuiſſe. non enim niſi imperator poterat imperatori ſuccedere. ϛρατηγὸς dicebatur imperator, & prætor. quorum eadem auctoritas, & poteſtas erat: nam quem Pomponum Prætorem dicit Liuius, eundem Plutarchus τὸν ϛρατηγὸν in Fabio. idem in Lycurgo οἱ τοῦ βασιλέως ϛρατηγοὶ, id eſt regis prætores. ex lege autem prætor ſucceſſerat à plebe ob inuidiam lata. ¶ Et cum paucos dies contra legem exercitum tenuiſſet] Cicero paucos dies, Æmylius probus quatuor menſes contra legem ab eo imperium fuiſſe retentum litteris tradidit. quod capitale erat. Nam Thebis lege cautum fuit, ut morte multaretur, qui imperium

diutius retinuiſſet, quàm lege præfinitum foret, ipſe vero reipub. conſeruan de gratia exerci tum tradere noluit. ¶ Cum ſcriptum legis contra ſententiam defendat] ex legitima quæſtione per ſcriptum, & ſententiam deducta eſt argumentatio. accuſator ſcripto legis nititur: Epaminondas verò ſenſu legislatoris. ¶ Si iudices id, quod Epaminondas ait] prima ſimilitudo. ¶ Quod ſi vos metipſi] altera ſimilitudo. ¶ Quod ergo adſcribi] altera pars argumentationis: cuius cauſſa adhibitæ ſunt ſimilitudines. ¶ Quod ſi litteris corrigi] concluſio argumentationis. ¶ Ratiocinatio eſt oratio ex ipſa re probabile aliquid eliciens] alterum argumentationis genus deſcribendum aggreditur: quam nullibi, præter quam in iis de inuentione libris, ratiocinationem Ciceroni appellatam fuiſſe ſupra docuimus. Ariſtoteles in principio topicorum, uerbis quidem paulò diuerſis, ſed ſenſu ferè eodem ratiocinationem definit. hoc modo. συλλογισμὸς δὲ ἐςὶ λόγος ἐν τῷ τεθέντων τινῶν, ἕτερον τὶ τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει. i. ratiocinatio eſt oratio, in qua poſitis quibuſdam aliud quoddam, quàm quæ poſita ſunt, neceſſario conficitur. eadem quoque definitione utitur in priore τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν libro? quidam vero ſic. Ratiocinatio eſt argumentatio, in qua ex propoſitione, & aſſumptione neceſſario ſequitur concluſio. vt omnis inſidiator iure occiditur, Clodius fuit inſidiator, igitur Clodius iure occiſus eſt. Orator vero ad rhetoricæ facultatis, quæ maxime probabilia ſequitur, naturam alludens, dixit. probabile aliquid eliciens. ¶ Sua ſe ui, & ratione confirmet] Quod inductio facere non poteſt. Nam ex ſimilibus vires aſſumit. hinc propterea eſt, quòd Ariſt. in top. ratiocinationem inductione potentiorem eſſe confirmat. ¶ Nam partim quinque eius partes eſſe dixerunt, partim non plus, quam in tres partes poſſe diſtribui putauerunt] Cicero argumentationis partes quinque eſſe contendit, eoſque refellere conatur, qui plures tribus eſſe negant. Attamen Ariſtoteles, Fabius, Boetius, Rodulphus, Trapezuntius, aliique viri doctiſſimi, ſed & ratio ipſa tres tantum faciunt ſyllogiſmi, ſeu ratiocinationis partes. propoſitionem, aſſumptionem, & concluſionem. Quanquam Boetius de ſolo ſyllogiſmo hypothetico, Fabius alio quodam ſenſu, quàm Rodulphus ſyllogiſmum ex tribus partibus conficit. ſentit enim ille tres ob id ſyllogiſmi tantum partes eſſe, quòd propoſitio, eiuſque approbatio pro una parte, non pro duabus accipiendæ ſunt. itidemque de aſſumptione, & eius approbatione faciendum putat. ab hac ſententia non longe diſtat Trapezuntius, qui tam propoſitionem, quàm aſſumptionem, ſi dubiæ ſint, propoſitiones putandas eſſe negat. quorum opinio mihi parum probabilis eſſe uidetur. atqui Rodulphus altiore quadam mente, acriorique iudicio rem perpendens, eas argumentationis partes iure eſſe negat. quibus propoſitiones ipſius argumentationis approbantur:

bātur:nā qui fieri poteſt,ut ex corpore ratiocinationis ea ſint,quæ extra corpus ipſius aſſumuntur? nam cum propoſitionem aliquam ratione comprobo; non'ne extrinſecus rationem ipſam aſſumo? quamobrē à nonnullis nouæ argumentationes,atque alterius argumentationis propoſitiones exiſtimantur quas Ariſtoteles non ſyllogiſmos, ſed proſyllogiſmos appellat. Sed hac de re paulò inferius copioſius diſputabimus. nunc ordinem, inſtitutionemq́ Ciceronis ſequamur. ¶ Melius accurantur, quæ conſilio] Exemplum raciocinationis eſt, quod propoſitione, aſſumptione, & concluſione conſtat, hoc modo. Melius accurantur, quæ conſilio geruntur, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur: nihil autem omnium rerum melius,quam omnis mundus adminiſtratur: conſilio igitur mundus adminiſtratur. cuius quidem ſyllogiſmi cum utraque propoſitio ratiocinationibus comprobetur,fit, ut quæ tripertita eſt argumentatio, quinquepertita eſſe uideatur. illud præterea non omittendum arbitror, ſyllogiſmi propoſitiones non una tantum ratione ſed pluribus uti ex hoc loco, & aliunde etiam liquet, confirmari poſſe.

¶ Tertia in parte aiunt,quod oſtendere uelis,id & ui propoſi tionis oportere aſſumere] admonet hic Cicero minorem propoſitionem, quam ipſe aſſumptionem appellat, ex uiſceribus maioris propoſitionis eruendam eſſe. ut autem quo pacto eruenda ſit, intelligatur, res altius repetenda eſt. Sciendum igitur eſt, omnem ratiocinationē duobus uocabulis, ſiue duobus, ut uulgus dialecticorum uocat, terminis conſtare, prædicato, & ſubiecto: quorum alterum duabus ſyllogiſmi, ſeu ratiocinationis partibus cōmune eſſe debet. ita ut ſemel in propoſitione poſitum, in aſſumptione etiam repetatur. iſq́ terminus,ſiue uocabulum, ſiue uerbum, qui græcè ὅρος dicitur, utrobiq́ hoc modo poſitus, medium appellatur. cui qui in maiori propoſitione terminus coniungitur, dicitur maius extremum, Græci πρῶτον ὅρον, qui uerò in aſſumptione, extremum minus: Græci τὸν ἔσχατον appellant,exempli gratia.

Omne animal eſt ſubſtantia,
Omnis homo eſt animal,
Igitur omnis homo eſt ſubſtantia.

hic animal medium eſt. quod ante concluſionem bis ſumitur. maius extremum eſt ſubſtantia: minus extremum homo. Sed ne parum dilucidè alicui fortaſſe demonſtratum eſſe uideatur, quod ex philoſophia exemplum ſumptum eſt; afferam modò ex ciuili ratiocinatione exemplum aliud, ut res tota apertius intelligi poſſit.

Omnis inſidiator iure occiditur,
Clodius fuit inſidiator,
Igitur Clodius iure occiſus eſt.

in quo ſyllogiſmo medium eſt inſidiator: maius extremum iure occiditur:

minus

minus extremum Clodius. Igitur ex ui propoſitionis aſſumptio ſumitur. quia medius terminus, uti more dialecticorum loquar, in maiore propoſitione poſitus, in aſſumptione quoque neceſſario iteratur. quo fit, uti tanquam ex corpore, & ex uiſceribus propoſitionis aſſumptio nata eſſe uideatur.

¶ Qui autem tripartitam eſſe dicunt,] aduerſariorũ argumenta per ſubiectionem refellenda ſibi proponit. ¶ Negant enim neque à propoſitione, neque ab aſſumptione approbationes earum ſeparari oportere] Huic ſententiæ ſubſcripſit Quintilianus, & Trapezuntius: qui propoſitionem, ipſiusq́ rationẽ unam tantum argumentationis partem eſſe uoluerunt. itidem de aſſumptione, deq́ eius approbatione iudicarunt. ego uero uti eorum opinionem non approbo, ita Ciceronis ſententiam non refello, rationes à propoſitionibus eſſe ſeparatas, quæ profectò ſunt ſeparatæ: ſed ex corpore argumentationis fieri, uel in eius partibus connumerandas eſſe, ab eo iure optimo diſſentio. nam ſi utriuſque partis probationes, ſiue rationes ſyllogiſmi partes eſſent; neceſſario ſequeretur, ut quotidem rationes propoſitionum adducerentur, totidem partibus ratiocinatio augeretur. uni enim propoſitioni quatuor, & ijs plures etiam rationes adhiberi poſſunt. Quod cum ita ſit, plures quinque partibus argumentatio recipere poſſe uideretur. Quod ſi Cicero neget, neget etiam oportet ſyllogiſmum plures tribus partes admittere poſſe. neget pariter rationes propoſitionum eſſe ſyllogiſmi partes, cum re uera extra ſyllogiſmi corpus exiſtant. ¶ Neque propoſitionem abſolutam, neque aſſumptionem ſibi perfectam, quæ approbatione confirmata non ſit] aduerſus iſtos inſurgunt multi. qui eã uere propoſitionẽ, aſſumptionẽq́ dici poſſe negant. quæ probationis indigeat. ¶ Quã omnes ab Ariſtotele, & Theophraſto profecti maxime ſecuti ſunt.] Nulla huius rei extat apud Ariſt. aut Theophraſtum præceptio. Sane quidem uerum eſt, Ariſtotelem, Theophraſtum, ac Demoſthenem, aliosq́ ſummos tum philoſophos, tum oratores in tractandis materijs, & cauſſis ita ſuas argumentationes diſpoſuiſſe, ut ſi propoſitio, & aſſumptio probationis indigeret, eas approbarent. itaque factum eſſe, ut eorum argumentatio quinquepertita uideretur. Et Cicero adoleſcens, cum ignorauerit probationes non eſſe argumentationis membra, quod tripertitum erat, quinquepertitum eſſe exiſtimauit. quam ob rem perfectam, abſolutamq́ argumentationem, ex quinque partibus conſtare ſcriptum reliquit: cum hac de re Ariſtoteles ne uerbum quidem unquam fecerit. Hæc à me eo conſilio dicta eſſe uelim, non ut ſummum latini ſermonis opificẽ ſugillare audeam, cuius cauſſam æquo animo ſuſcipere, & acerrime tueri conſueui; uerum ut alijs me longe doctioribus materiam cogitandi, & ſcribendi præbeã, ſi quidquam reperiri unquam poſſit, quo tantus alioqui uir ab huiuſmodi errore (modo ſit error) uindicari poſſit. ¶ Si quadam in argumentatione ſatis

eſt uti propoſitione] iam confutationem ingreditur, ut probet rationes propoſitionum inter partes argumentationum reponendas. itaque perfectam, atque abſolutam argumentationem quinque partibus conſtare, non tribus. ¶ Eſt autem quædam argumentatio, in qua propoſitio non indiget probatione] hanc quidem uerè propoſitionem dici poſſe exiſtimant, quæ per ſe, & ſua ſponte ſe ipſa confirmat. ¶ Et quædam, in qua nihil ualet abſque probatione] hanc nomine propoſitionis indignam eſſe uolunt: cum ſola nominanda ſit propoſitio, quæ nullius probationis auxilio egeat. ¶ Si oportet ſapere, dare operã philoſophiæ conuenit] propoſitio ſatis ſua ſponte firma eſt: ueruntamen Cicero ait probationis indigere. in cauſſa eſt, quia de illa aduerſarius dubitat. itaque alia argumentatione colligenda eſt, quæ à priore diſiungitur. quam ob rem Rodulphus exiſtimauit probationes eſſe quaſi nouas argumentationes, ſiue alterius argumentationis partes. ¶ Propterea quòd multi nihil prodeſſe philoſophiam, plerique etiam obeſſe arbitrantur.] Romanos intelligit: qui, Catone auctore, philoſophos ex urbe expulerunt. Nam cum Romani armis tractandis penè nati eſſe uiderentur, ab urbe ea procul eſſe curarunt, quæ animos iuuenum inertes, effeminatosq; reddere poſſe iudicabant. lege Ciceronẽ inter initia ferè primi libri de finibus bonorum, & mal. ubi de philoſophiæ uituperatoribus diſputat. ¶ Quinque ſunt igitur partes eius argumentationis] Non re uera ſunt quinque, ſed eſſe uidentur. nam ita ab oratoribus diſponi, tractariq; argumentationes ſolent, ut nõ dialecticorum iiunčta, ſed oratoriæ, artificioſæq; expolitiones, ut re uera ſunt, eſſe uideantur. ¶ Propoſitio] hoc uerbum apud Ciceronem, ut ceteros eius libros euoluas, niſi hic, non reperies: nam propoſitum mauult dicere. ut in partitionibus: Vitare autem ſimilitudinem poterimus non ſemper à propoſito ordientes. Fabius Quint. modo propoſitionem, modo intentionem, quidam uerò expoſitionem, uulgus dialecticorum maiorem, Græci πρότασιν appellant. ¶ Propoſitionis approbatio] hæc Græcis κατασκευὴ, ſiue τὸ αἴτιον, ſiue, αἰτιολογία dicitur. eodem quoque nomine ratio aſſumptionis appellabitur. ¶ Aſſumptio] hanc Cicero in 2. de diuinatione ſumptionem appellat. Sed demus, inquit, tibi iſtas duas ſumptiones, ea quæ Lemmata appellant dialectici, ſed nos latinè loqui malumus. Fabius cum Cic. aſſumptionem: Boetius nunc aſſumptionem, nunc aſſumptum: dialectici poſteriores minorem propoſitionem. Græci λῆμμα uocant. ¶ Complexio] Fabius connexionem: quidam etiam intentionem: omnes à Boetio dialectici concluſionem: Græci, in quibus eſt Ariſtoteles, interdum συμπέρασμα, quandoq; etiam συλλογισμὸν appellant. ¶ Quinquepertita argumentatio eſt huiuſmodi, omnes leges indices] quo modo ex arte tractari debeat quinquepertita argumentatio, exemplo ex ratione ciuili ſumpto, nempe ex hiſtoria Græ-

eorũ de Epaminonda Thebanorũ imperatore: qui ſucceſſori exercitum tradere noluit, planum facit. quod quidem exemplum quæſtionem legitimam habet ῥητοῦ, καὶ διανοίας, id eſt ex ſcripto, & ſententia. hoc autem differt à ſuperiore, quod ſuperius exemplum ex perſona accuſatoris, hoc uerò ex defenſoris perſona adductum eſt. ille ſcripto accuſabat, hic ſententia legis ſe defendit, probatq́ ex ſententia legem interpretandam eſſe, hoc, ut opinor, modo. Cum omnes leges ad reipub. commodum referre oporteat, ex utilitate quoque reipub. non ex ſcripto interpretandæ ſunt. hanc legem ſi ex ſcripto, non ex ſententia interpretari uelitis, non modò nulli utilitati, ſed ſummo potius erit reipub. detrimento. igitur non ex ſcripto, ſed ex ſententia eam interpretari debetis. Ita uerò tractari ſolent ab oratoribus argumentationes, ut initio ponant πρότασιν: cui poſtea ſubijcitur ratio, id eſt κατασκευὴ, uel una, uel plures: deinde interdum aduerſatiua, ſæpe etiam ἀπόδοσις, quæ prioris partis argumentationis concluſio eſt: deinde inſertur aſſumptio multis rationibus comprobata. poſtremo concluſio. hic orator initio ponit πρότασιν: quam deinde ſequitur κατασκευὴ cum amplificatione: deinde complexio ſiue ἀπόδοσις; quam ſimilitudine exornat. Deinde aſſumptionem inducit multis rationibus comprobatam. Poſtremo concludit. huius generis argumentationes extant apud Ciceronem plurimæ; quæ lectori diligenti ultro ſub oculos uenient. Sed ſingulæ huiuſce argumentationis partes aperiendæ ſunt, quo reliquarum facilius percipi queant. Ea enim uirtute] κατασκευὴ ex maiorum auctoritate deducta. ¶ Neque enim] amplificatio ex conſuetudine maiorum. ¶ Quàm ob rem igitur] ἀπόδοσις, id eſt redditio, ſiue complexio argumentationis. ¶ Nam ut ex medicina] exornatio à ſimili. ¶ Ergo in hoc quoque iudicio] λῆμμα, id eſt aſſumptio. ¶ Quid enim magis utile] comprobatio ab utili. ¶ Quod magis Epaminonda] altera probatio ab officio imperatoris Thebani. ¶ Quid hunc tanta] à iucundo, & honeſto. ¶ Summam igitur amentiam] complexio totius argumentationis. ¶ Iudices, qui ex lege iurati] exemplum eſt quadripertitæ argumentationis: in qua ratio propoſitionis omittitur. legitimam quæſtionem habet ex ſcripto contra Epaminondam. hæc propoſitio eſt. ſequitur aſſumptio. obtemperare autem legibus. ¶ Quid enim certius] probatio aſſumptionis cum amplificatione. ¶ Quod ſi uos iudices] concluſio. ¶ Qui ſæpe numero] exemplum quadripertitæ argumentationis, aſſumptionis probatione prætermiſſa. hæc propoſitio eſt, quam ſtatim ſequitur ratio. Si quid enim perfidia. deinde aſſumptio. Carthaginienſes autem. poſtremo connexio. Summa igitur amentia. ¶ Iterum ſtultum, tertium turpe.] hinc illud adagium eſt, Iterum ad eundem lapidem offendere. quod uel à Cicerone uſurpatur. lib. epiſt. fam. decimo. cum ait. Culpa enim illa bis ad eundem uulgari repre-

henſa prouerbio eſt. vnde Horat. in poet.

» *& citharadus*

» *Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem.*

¶ Hoc autem fieri poterit; ſi complexionum genera intelligantur] *hic attende diligenter quatuor concludendæ argumentationis modos. ¶ Quare in longis argumentationibus*] *qua in unaquaque argumentatione complexione utendum ſit, planum facit. ¶ Nam argumentatio nomine uno res duas ſignificat.*] *& dialecticum argumentum, & rhetoricam argumentationem: alterum preſſe, et anguſte, alterum late, copioſeq; tractari ſolet. nam dialectici adductis breuiter propoſitionibus, ſtatim concludunt. oratores uerò latiſſimum quærunt expatiandi campum. Nam propoſitiones multis interdum rationibus approbant, et antequam ad complexionem perueniant, uarijs amplificationibus illam exornant. quæ, uti diximus, exornationes, ſiue approbationes ad argumentationem quidem faciunt, ſed argumentationis membra non ſunt, neque è uiſceribus eius educuntur. ¶ Atque hac diſtinctione alia quoque, quæ uidebuntur officere huic partitioni, propulſabimus, ſi qui aut aſſumptionem, aliquando tolli poſſe putant, aut propoſitionem,*] *ex ratiocinatione neutram propoſitionem tolli poſſe admonet: nam aliter enthymema, non ſyllogiſmus diceretur. quod ſi quis obyciat, ſuperuacaneum fuiſſe id adſcribere, cum inter omnes eruditos conſtet, ſyllogiſmum tribus ex partibus conſtare; reſpondeo, quoſdam fuiſſe, qui enthymema idem quod ſyllogiſmus, eſſe putarunt. quod cum Cicero nòn probaret, neutram ex ratiocinatione partem tollendam admonuit. ¶ Quæ ſi quid habet probabile, aut neceſſarium, quoquo modo commoueat auditorem, neceſſe eſt*] *ex Ariſtotele, qui in primo rhet. omnem uim oratoris in argumentando conſiſtere iudicauit. quod Cicero ubique non probat. Nam et apud imperitam multitudinem oratio habetur, quæ affectibus magis, quàm argumentis commoueri ſolet. ¶ Variare autem orationem magnopere oportebit*] *id ipſum quoque præcipere uidetur Ariſtoteles iñ principio rhet. cum ait. οὐ γὰρ ἀπόχρη τὸ ἔχειν ἃ δεῖ λέγειν, ἀλλ' ἀνάγκη καὶ ταῦτα, ὡς δεῖ εἰπεῖν, id eſt, vt Cicero expreſſit in 2. de orat. iam illud uidemus nequaquam ſatis eſſe reperire quid dicas, niſi id inuentum tractare poſſis. ¶ Id fieri poterit, ſi non ſimiliter ſemper ingrediamur in argumentationem*] *id copioſe docet Cicero in 2. de orat. ijs uerbis. Tractatio autem uaria eſſe debet: ne aut cognoſcat artem, qui audiat; aut defatigetur ſimilitudinis ſatietate. proponi oportet, quid afferas, & id quare ita ſit, oſtendere: & ex iiſdem illis locis interdum concludere. relinquere alias, alioq; tranſire, ſæpe non proponere, ac ratione ipſa afferenda, quid proponendum fuerit, declarare: Si cui quid ſimile dicas, prius ut ſimile confirmes, deinde quid agitur, adiungas: puncta argu-*

mentorum plerunq; occulas, ne quis ea numerare poſſit, ut re diſtinguantur, uerbis confuſa eſſe uideantur. & in partit. Variare autem, inquit, ſimilitudinem poterimus, non ſemper à propoſitio ordientes, & ſi non omnia confirmando diſputabimus: breuiterq́, interdum quæ erunt ſatis aperta, ponemus: quodq́, ex ijs efficietur, ſi id apertum ſit, non habebimus neceſſe ſemper concludere.

REPREHENSIO eſt, per quam argumentando aduerſariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut alleuiatur. Hæc fonte inuentionis eodem utetur, quo utitur confirmatio: propterea quòd quibus ex locis aliqua res confirmari poteſt, iiſdem poteſt ex locis infirmari. Nihil enim conſiderandum eſt in his omnibus inuẽtionibus, niſi id, quod perſonis, aut negotiis attributum eſt. Quare inuentionem, & argumentationum expolitionem ex illis, quæ ante præcepta ſunt, hanc quoque in partem orationis transferri oportebit. Veruntamen ut quædam præceptio detur huius quoque partis, exponemus modos reprehenſionis, quos qui obſeruabunt, facilius ea, quæ contradicentur, diluere, aut infirmare poterunt. Omnis argumentatio reprehenditur, ſi aut ex iis, quæ ſumpta ſunt, non cõceditur aliquod unum, pluráue; aut his conceſsis, complexio confici ex his negatur; aut ſi genus ipſum argumentationis uitioſum oſtenditur; aut ſi contra firmam argumentationem, alia æque firma, aut firmior ponitur. Ex iis, quæ ſumuntur, aliquid non conceditur, cũ aut id, quod credibile dicunt, negatur eſſe eiuſmodi; aut quod comparabile putant, diſsimile oſtenditur; aut iudicatum aliam in partem traducitur; aut omnino iudicium improbatur; aut quod ſignum eſſe aduerſarii dixerunt, id eiuſmodi negatur eſſe; aut ſi complexio, aut una, aut ex utraque parte reprehenditur; aut ſi enumeratio falſa oſtenditur; aut ſi ſimplex concluſio falſi aliquid continere demonſtratur. Nam omne, quod ſumitur ad argumentandum, ſiue pro probabili, ſiue pro neceſſario, neceſſe eſt ſumatur ex his locis, ut ante oſtendimus. Quod pro credibili ſumptum erit, id infirmabitur, ſi aut perſpicue falſum erit, hoc modo. Nemo eſt, qui non pecuniã, quàm ſapientiam malit. Aut ex contrario quoque credibile aliquid habebit, hoc modo. Quis eſt, qui non officii cupidior ſit, quàm pecuniæ? Aut erit omnino incredibile, ut ſi quis, quẽ conſtet eſſe auarum, dicat alicuius mediocris officii cauſſa, ſe maximam pecuniam neglexiſſe. Aut ſi quod in quibuſdam rebus, aut hominibus accidit, id omnibus dicatur uſu euenire, hoc pacto.

Qui

Qui pauperes ſunt, iis antiquior officio pecunia eſt. Qui locus deſertus eſt, in eo cædem factam eſſe oportet. In loco celebri homo occidi qui potuit? Aut ſi id, quod rarò fit, fieri omnino negatur: ut Curius pro Fuluio. Nemo poteſt unó aſpectu, neq; prætereiens in amorem incidere. Quod autem pro ſigno ſumetur, id ex iiſdem locis, quibus confirmatur, infirmabitur. Nam in ſigno, primum uerum eſſe oſtẽdi oportet. Deinde eius eſſe rei, ſignum proprium, qua de re agitur, ut cruorem cædis. Deinde factum eſſe, quod non oportuerit: aut non factum, quod oportuerit. Poſtremo ſciſſe eum, de qua quæritur, eius rei legem, & conſuetudinem. Nam eæ res ſunt ſigno attributæ, quas diligentius aperiemus, cum ſeparatim de ipſa coniecturali conſtitutione dicemus. Ergo horum unumquodq; in reprehenſione, aut nõ eſſe ſignum, aut parum magnum eſſe, aut à ſe potius, quàm ab aduerſariis ſtare, aut omnino falſo dici, aut in aliam quoque ſuſpicionem duci poſſe demonſtrabitur. Cum autem pro comparabili aliquid inducetur, quoniam id per ſimilitudinem maxime tractatur; in reprehẽdendo conueniet, ſimile id negare eſſe, quod conferetur ei, quicum conferetur. Id fieri poterit, ſi demonſtrabitur diuerſum eſſe genere, natura, ui, magnitudine, tempore, locó, perſona, opinione: ac ſi quo in numero illud, quod per ſimilitudinem afferetur, & quo in loco hoc genus, cuius cauſſa afferetur haberi conueniat, oſtendetur. Deinde quid rès cum re differat, demonſtrabitur: ex quo docebimus aliud de eo, quod comparabitur, & de eo, quicum comparabitur, exiſtimari oportere. Huius facultatis maxime indigemus, cum ea ipſa argumẽtatio, quæ per inductionem tractatur, erit reprehendenda. Si iudicatum aliquod inferetur, quoniam id ex his locis maxime firmatur, laude eorum, qui iudicarunt, ſimilitudine eius rei, qua de agitur, ad eam rem, qua de iudicatum eſt, commemorando non modo non eſſe reprehenſum iudicium, ſed ab omnibus approbatum; & demonſtrando difficilius, & maius fuiſſe id iudicatum, quod afferatur, quàm id, quod inſtet. Ex contrariis locis, ſi res aut uera, aut uerisimilis permittet, infirmari oportebit: atque erit obſeruandum diligenter, ne nihil ad id, quod agatur, pertineat id, quod iudicatum ſit: & uidendum eſt, ne ea res proferatur, in qua ſit offenſum, ut de ipſo, qui iudicarit, iudicium fieri uideatur. Oportet autem animaduertere, ne cum aliter multa ſint iudicata, ſolitarium aliquod, aut rarum iudicatum afferatur. Nam his rebus auctoritas iudicati maxime

xime

xime poteſt infirmari. Atque ea quidem argumenta, quæ quaſi probabilia ſumuntur, ad hunc modum tentari oportebit. Quæ uerò ſicuti neceſſaria inducentur, ea ſi forte imitabuntur modo neceſſariam argumentationem, neque erunt eiuſmodi, ſic reprehendētur. Primum complexio, quæ utrum conceſſeris, debet tollere, ſi uera eſt, nunquam reprehendetur: ſin falſa, duobus modis, aut conuerſione, aut alterius partis infirmatione. Conuerſione, hoc modo.

» Nam ſi ueretur, quid eum accuſes, qui eſt probus?
» Sin inuerecundum animi ingenium poſsidet,
» Quid eum accuſes, qui id parui auditu æſtimet?

Hic ſiue uereri dixeris, ſiue non uereri, cōcludendum hoc putat, ut neges eſſe accuſandum. Quod conuerſione ſic reprehendetur. Immo uero accuſandus eſt. Nā ſi ueretur, accuſes. non enim parui auditu æſtimabit. Sin inuerecundum animi ingenium poſsidet, tamen accuſes. non enim probus eſt. Alterius autem partis infirmatione, hoc modo reprehendetur. Verum ſi ueretur, accuſatione tua correctus, ab errato recedet. Enumeratio uitioſa intelligitur, ſi aut præteritum quiddā dicemus, quod uelimus concedere: aut infirmum aliquid annumeratum, quod aut contra dici poſsit, aut cauſſa non ſit, quare non honeſte poſsimus concedere. Præteritur quiddam in eiuſmodi enumerationibus. Quoniam habes iſtum equum, aut emeris oportet, aut hæreditate poſſideas, aut munere acceperis, aut domi tibi natus ſit: aut ſi horū nihil eſt; ſurripueris neceſſe eſt. Sed neque emiſti, neque hæreditate uenit, neque domi natus eſt, neque donatus eſt: neceſſe eſt ergo ſurripueris. Hoc commode reprehēditur, ſi dici poſsit ex hoſtibus equus eſſe captus, cuius prædæ ſectione uenierit: quo illato, infirmatur enumeratio, quoniam id ſit inductum, quod præteritum ſit in enumeratione. Altero autem modo reprehendetur, ſi aut contra aliquid dicetur: hoc eſt, ſi exempli cauſſa, ut in eodem uerſemur, poterit oſtendi hæreditate ueniſſe: aut ſi extremum illud non erit turpe concedere: ut ſi quis, cum dixerint aduerſarii, Aut inſidias facere uoluiſti, aut amico morem geſsiſti, aut cupiditate elatus es, amico ſe morem geſsiſſe fateatur. Simplex autem concluſio reprehenditur, ſi id, quod ſequitur, non uideatur neceſſariò cum eo, quod anteceſsit, cohærere. Nam hoc quidem, Si ſpiritum ducit, uiuit. Si dies eſt, lucet, eiuſmodi eſt, ut cū priore neceſſario poſterius cohærere uideatur. Hoc autem, Si

mater eſt; diligit: ſi aliquando peccauit; nũquam corrigetur: ſic conueniet reprehendi, ut demonſtretur non neceſſario cum prio re poſterius cohærere. Hoc genus, & cetera neceſſaria, & omnino omnis argumentatio, & eius reprehenſio maiorem quandã uim continet, & latius patet, quàm hic exponitur: ſed eius artificii cognitio huiuſmodi eſt, ut nõ ad huius artis partẽ aliquam ad iungi poſsit, ſed ipſa ſeparatim longi temporis, & magnæ, atque ardue cognitionis indigeat. Quare illa nobis alio tempore, atq; ad aliud inſtitutũ, ſi facultas erit, explicabuntur. Nunc his præceptionibus rhetorum ad uſum oratoriũ contentos nos eſſe oportebit. Cum igitur ex iis, quæ ſumũtur, aliquid non conceditur, ſic infirmabitur. Cum aũt his conceſsis, complexio ex his non conficitur, hæc erunt conſideranda, num aliud conficiatur, aliud dicatur, hoc modo. Si quum aliquis dicat ſe profectum eſſe ad exercitum, contraq; eum quis uelit hac argumentatione uti. Si ueniſſes ad exercitum; à Tribunis militaribus uiſus eſſes: non es autem uiſus ab his, non es igitur profectus ad exercitum. Hic cum conceſſeris propoſitionem, & aſſumptionem, complexio eſt infirmanda. Aliud enim, quàm cogebatur, illatum eſt. Ac nunc quidem, quò facilius res cognoſceretur, perſpicuo, & grandi uitio præditum poſuimus exemplum: ſed ſæpe obſcurius poſitum uitium pro uero probatur, cum aut parum memineris, quod conceſſeris, aut ambiguum aliquod pro certo conceſſeris. Ambiguum ſi conceſſeris, ex ea parte, quam ipſe intellexeris, eam partem ſi aduerſarius ad aliam partem per complexionem uelit accommodare; demonſtrare oportebit non ex eo, quod ipſe conceſſeris, ſed ex eo, quod ille ſumpſerit, confici complexionem, ad hunc modum. Si pecuniæ indigetis; pecuniam non habetis. Si pecuniam non habetis; pauperes eſtis. Indigetis autem pecuniæ: mercaturæ enim, niſi ita eſſet, operam non daretis. pauperes igitur eſtis. Hoc ſic reprehenditur. Cum dicebas, Si indigetis pecuniæ; pecuniam nõ habetis: hoc intelligebam, Si propter inopiam in egeſtate eſtis, pecuniam non habetis, & idcirco concedebam. Cum autem hoc ſumebas, Indigetis autem pecuniæ; illud accipiebam. Vultis autem pecuniæ plus habere. Ex quibus conceſsionibus non conficitur hoc, Pauperes igitur eſtis. conficeretur autem, ſi tibi primo quoque hoc conceſsiſſem, Qui pecuniam maiorem uellet habere, eum pecuniam non habere. Sæpe autem oblitum putant quid conceſſeris, & idcirco id, quod non

conficitur

conficitur, quaſi conficiatur, in concluſione infertur, hoc modo. Si ad illum hæreditas ueniebat; uerifimile eſt ab illo eſſe necatum. Deinde hoc approbant plurimis uerbis: poſt aſſumunt. Ad illum autem hæreditas ueniebat. Deinde infertur. Ille igitur occidit. Id ex iis, quæ ſumpſerant, non conficitur. Quare obſeruare diligenter oportet & quid ſumatur, & quid ex his cõficiatur. Ipſum autem genus argumentationis uitioſum his de cauſis oſtendetur, ſi aut in ipſo uitium erit, aut ſi non ad id, quod inſtituitur, accommodabitur. Atque in ipſo uitium erit, ſi omnino totum falſum erit, ſi commune, ſi uulgare, ſi leue, ſi remotum, ſi mala definitio, ſi controuerſum, ſi perſpicuum, ſi non conceſſum, ſi turpe, ſi offenſum, ſi contrarium, ſi inconſtans, ſi aduerſum. Falſum eſt, in quo perſpicue mendacium eſt, hoc modo. Non poteſt eſſe ſapiens, qui pecuniam negligit. Socrates autem pecuniam negligebat. Non igitur ſapiens erat. Commune eſt, quod nihilo magis ab aduerſariis, quàm à nobis facit, hoc modo. Idcirco Iudices, quia ueram cauſſam habebam, breui peroraui. Vulgare eſt, quod in aliam quoque rem non probabilem, ſi nũc conceſſum ſit, tranſferri poſsit, hoc modo. Si ueram cauſſam non haberet. uobis ſe iudices, nõ commiſiſſet. Leue eſt, quod aut poſt tempus dicitur, hoc modo, Si in mentem ueniſſet, non commiſiſſet; aut perſpicue rem turpem leui tegere uult defenſione, hoc modo.

» Cum te expetebant omnes, florentiſsimo
» In regno reliqui, nunc deſertum ab omnibus
» Summo periclo ſola ut reſtituam, paro.

REPREHENSIO *eſt, per quam argumentando aduerſariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut alleuatur,*] *Hoc artis inſtitutio requirebat, vt cum ea, quibus cauſſæ confirmari ſolent, expoſuiſſet, illico modum, rationemq́, refellendi aduerſariorum argumenta traderet. Reprehenſionem igitur, quam Græci* ἐπιτίμησιν, *ſiue, ut alij* ἀνασκευὴν *uocant, eam eſſe docet, quæ aduerſariorum firmamenta, aut penitus deſtruit, aut debilitat, aut alleuat. alleuare autem, quod alij eleuare dicunt, eſt rem, quæ obijcitur, contemnere, & veluti nullius momenti aſpernari. qualis eſt contemptio illa apud Ciceronem in Oratione pro M. Cœlio: ubi totam Cœlij accuſationem uideri uoluit iurgia diſſidentium in amores, querelasq́ amantium, potius quàm uera crimina. ita etiam Iuno apud Virg. in decimo Æn. maieſtatem fatorum furore Caſſandræ eludit. cum ait.*

» *Italiam petijt fatis auctoribus, eſto.*
» *Caſſandræ impulſus furiis.*

¶ Propterea quòd quibus ex locis aliqua res confirmari poteſt] idem ſcribit Ariſt. in 2 de arte rhet. ¶ Omnis argumentatio reprehenditur] quatuor explicat locos, quibus argumentatio reprehendi poteſt. Priſcianus tamen in praexercitamentis confutationis ſex eſſe modos litteris tradidit, ab incerto, ab incredibili, ab impoſſibili, ab inconſequente, ab indecente, ab incommodo. Ariſtoteles uerò in octauo top. quinque ponit modos: ex quibus non nullos in hunc locum tranſtulit Cicero: quos in partitionibus orat. planius etiam explicauit. Aut totum, inquit, eſt negandum, quod in argumentatione aduerſarius ſumpſerit, ſi fictum, aut falſum eſſe poſſis dicere: aut redarguenda ea, quæ pro uériſimilibus ſumpta ſunt. primum dubia ſumpta eſſe pro certis, deinde etiam in perſpicue falſis eadem poſſe dici; tum ex ijs quæ ſumpſerint, non effici quæ uelint, locus, Ariſtotelis ita habet. κατ' αὐτὸς δὲ τῷ λόγῳ, πέντε εἰσὶν ἐπιτιμήσεις πρώτη μὲν ὅταν ἐκ τῶν ἠρωτημένων μὴ συμπεραίνηται, μήτε πρὸς τὸ τεθὲν, μήτε ὅλως μηδὲν ὄντων ἢ ψευδῶν, ἢ ἀδόξων, ἢ πάντων, ἢ τῶν πλείστων, ἐν οἷς τὸ συμπέρασμα, id eſt, argumentatio autem quinque modis reprehendi ſolet. primo, cum ex ijs, quæ rogata ſunt, & quæſita; nihil concluditur omnino, nec quod ad rem pertineat, quòd falſa ſint, aut probabilia omnia, aut certe plurima eorum: ex quibus concluſio efficitur, & reliqua alia. ¶ Si autem ex ijs, quæ ſumpta ſunt, non conceditur aliquod unum, plura ue] ſumpta dicuntur, quæcunque ad fidem faciendam ſumuntur, hoc eſt argumenta tum probabilia, tum neceſſaria. ſed & illa quoque ſub hac uoce, hoc præſertim in loco, deſignari arbitror, ex quibus argumenta conficiuntur, ut propoſitiones, & ipſarum approbationes. Nam ſubdit. ¶ Aut ijs conceſſis complexio confici ex his negatur.] Nam ex ueris propoſitionibus falſa quandoque complexio elicitur. ¶ Aut ſi contra firmam argumentationem, alia æque firma] hoc reprehenſionis genus Ariſtoteles quoque attingit in 2 de arte rhetorica. cuius rei exemplum inferius adducemus. ¶ Ex ijs, quæ ſumuntur aliquid non conceditur] quo modo reprehendi poſſit aliquid ex ijs, quæ ſumuntur, exemplis oſtendit, quibus cum probabilis, tum neceſſariæ argumentationis partes ſcribendo complectitur: & à probabili auſpicatur: quod in quatuor partes diſtributum eſſe ſuperius admonuit. in ſignum, credibile, iudicatum, comparabile. ¶ Cum aut quod credibile dicunt, negatur eſſe eiuſmodi] quod in hominum opinione eſt, ſiue uerum, ſiue falſum, id credibile dicitur. Quod ſi huiuſmodi eſt, ut æque ab omnibus credatur, magno negocio refelli poteſt. quale illud eſt à Cicerone ſuperius adductum. Nemo eſt, qui non liberos ſuos incolumes, & beatos eſſe cupiat. hoc enim natura comparatum eſt, ut omnes parentes liberis ſuis optime cupiant. attamen non ſemper uerum eſt. Nam Medea liberos ſuos necauit. contra uerò, quòd Simon magus

magus uolauerit, & ſi ueriſſimum eſt, tamen eſt omnibus incredibile: nam præter naturam eſt hominem uolare. ideoq́; facile refelli poteſt. ¶ Aut quod comparabile putant] inferius ſingula declarantur. ¶ Aut ſi complexio una] Hactenus probabilia recenſuit, tam uerò colligit neceſſaria. ¶ Quod pro credibili ſumptum erit, id infirmabitur] redit ad probabilia, quæ quo pacto refelli poſſint, exemplis declarat. Quod credibile dicitur, quinque modis infirmari poſſe oſtendit: quos ipſe deſcribit in textu. ¶ Si aut perſpicue falſum erit] paulò ante à me dictum eſt, credibile in hominum opinione uerſari, & uerum, falſumq́; exiſtere poſſe. Nam multa uera ſunt, quæ non creduntur. contra uerò multa ſunt falſa, quæ credibilia exiſtunt. igitur ſi perſpicue id falſum fuerit, quod pro credibili ab aduerſario ſumetur, facile infirmari poterit. ¶ Nemo eſt, qui non pecuniam] hoc perſpicue falſum eſt, uel ſi unus duntaxat reperiatur, qui ſapientiam, quam pecuniam malit. ſed Crates, Socrates, aliiq́; philoſophorum non pauci, quo liberius philoſopharentur, aurum abiecerunt. Sed præter philoſophos infiniti propè ſunt, quibus carior eſt ſapientia, quàm pecunia. ¶ Aut ex contrario quoque] alter modus reprehendendi credibilis, quod conuerſum appellari poteſt. eo quia à defenſore conuerti, atque itidem credibile uideri poteſt. ¶ Quis eſt, qui non officij cupidior ſit, quam pecuniæ?] hoc ab aduerſario pro credibili ſumptum, prolatumq́; eſt. Quod ſi à defenſore conuertatur, hoc modo. Nemo eſt, qui non pecuniæ, quàm officij cupidior ſit; itidem credibile fuerit. ¶ Aut erit omnino incredibile] tertius modus.

¶ Ut ſi quis, quem conſtet eſſe auarum, dicat alicuius mediocris] Non enim credibile eſt, neque in opinionem hominum cadere poteſt, hominem parui officij gratia magna pecuniam contempſiſſe, qui ob paruam pecuniam ſæpe magna officia contempſerit.

¶ Aut ſi quod in quibuſdam rebus, aut hominibus accidit, id omnibus dicatur uſu uenire] quartus eſt refellendi modus, cum id generi aſcribitur, quod ſpeciei eſt. cuiuſmodi eſt, ſi quis diceret, omnes ſacerdotes improbos eſſe, aut omnes medicos auaros, cum aut unus, aut duo, uel plures ſacerdotes, aut medici, improbi eſſent, uel auari. quidam hoc uitium tribus modis excuſarunt, ſed argute magis, quàm uere. ¶ Qui pauperes ſunt, iis antiquior] id non omnibus contingit pauperibus, ſed quibuſdam.

¶ Aut ſi id, quod rarò fit, fieri omnino negatur] in iure ciuili contingit plerunque, ut quæ raro fiant, nunquam fieri intelligantur. attamen uitioſa eſt argumentatio. non enim omnino præter hominum opinionem eſt, quin, quod raro contingat, id aliquando fieri poſſit. ¶ Ut Curius pro Fuluio. Nemo poteſt uno aſpectu, neque præteriens in amorem incidere.] exemplum adducit Curij patris, in oratione, qua Fuluium defendit. hoc enim dixe-

rat Curius, fieri non poſſe, vt uno aſpectu homo in amorem incideret. Quod tametſi probabile eſt, non tamen ab hominum opinione, & ab exemplo penitus alienum eſſe uidetur. Nam Terentianus Chærea uno aſpectu Pamphilam amauit. ¶ *Quod autem pro ſigno ſumetur*] *Quo pacto ſignum infirmari poſſit, declarandum aggreditur. Signum illud eſſe dixit, quod ſub ſenſus cadit. humani autem ſenſus quinque ſunt, vt ſupra docuimus. quibus ergo ex fontibus ſigna confirmantur, ex iiſdemmet infirmari poſſunt. vt ſi aduerſarius dicat liuorem, aut tumorem corporis mortui, ſignum eſſe ueneni. defenſor id infirmare poterit, quia aliis etiam de cauſſis decoloratur, liuidumq́; fieri ſolet corpus mortui.*

¶ *Nam in ſigno primum uerum eſſe oſtendi oportet*] *vt ſi dicatur ueſtem eſſe cruore aſperſam, uidendum eſt primum, an re uera ſanguine, aut re alia, quæ ſanguinem referat, aſperſa ſit.*

¶ *Deinde eius eſſe rei ſignum proprium, qua de re agitur, vt cruorem cædis*] *alterum præceptum eſt, uidendum eſſe, an illius rei, de qua agitur in iudicio, ſit ſignum, nec ne. Sunt enim certarum rerum ſigna quædam ſeparata, & (vt ita dicam) particularia, vt cædis cruor, ueneni liuor.* ¶ *Deinde factum eſſe, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit*] *Hæc ſi aduerſarius dixerit, poterunt à contrario infirmari. exempli gratia. Si reus in eodem comprehenſus fuerit loco, in quo maleficium factum eſt, dicatq́; aduerſarius, hoc eſſe ſignum commiſſæ cædis manifeſtum, quia cum ei fugiendum fuiſſet, facto exteritus ibidem conſtiterit; defenſor per inuerſionem id infirmare poterit dicendo, immo hoc eſſe innocentiæ ſignum. Nam ſi cædem feciſſet, utique aufugiſſet. Si uerò fugerit reus, id infirmabitur, ſi dicetur aut non fugiſſe, aut aliam ob cauſſam fugiſſe, & leue cædis ſignum eſſe.*

¶ *Poſtremo ſciſſe eum, de qua quæritur, eius rei legem, & conſuetudinem*] *ſi reus, cum poſt facinus admiſſum interrogatus de facto non expalluerit, nec titubauerit; dixeritq́;. accuſator eum ob id non expalluiſſe, aut non titubaſſe, quia legis, conſuetudinisq́; iudiciorum minime ignarus fuerit; hoc ad eius innocentiam defenſor referre poterit. Si uerò palluerit, aut aliud huiuſmodi fecerit; negabit defenſor, id conſcientia peccati accidiſſe, ſed eum aut natura pallidum eſſe, aut magnitudine accuſationis commotum fuiſſe. Hæc Cicero breuiter, ſummatimq́; declarat, cum ait, aut non eſſe ſigno, aut parum magno eſſe, & quæ ſequuntur.* ¶ *Cum autem pro comparabili aliquid inducetur*] *tertium aggreditur probabilis argumenti locum, comparabile. argumenta ex comparabili in ſimilitudine uerſantur, & ex ſimilibus fiunt. quorum tria ſunt genera. Imago, collatio, exemplum. Quod ergo ſimile eſt, octo modis ſimile fieri oſtendit. genere, ideſt qualitate.*

te, natura, ui, magnitudine, tempore, loco, perſona, opinione, hoc eſt, uulgi iudicio. quam obrem quod ab aduerſario pro ſimili aut genere, aut natura, aut ceteris alijs inducetur, id diuerſa qualitate, diuerſa natura, alia ui, aliaq́; magnitudine eſſe oſtendetur, atque res illa, de qua controuerſia eſt. itaque ſimilitudinem illam minime negotio aptam, ſed undequaque, uel ex parte aliqua diſconuenire, atque diſſimilem eſſe. id autem paruo negotio fieri poſſe uidetur. Nihil enim facilius reprehenditur, quàm ſimile: propterea quòd (ut auctor eſt Ariſt.) nihil exiſtere poteſt tam ſimile undecunque, quod non aliquid diſſimilitudinis acriter cum alio comparatum obtineat. ¶ Huius facultatis maxime indigemus] Nam inductio ex ſimilibus conficitur, vt ſupra viſum, & declaratum eſt. ¶ Si iudicatum aliquod inferetur] poſtremus eſt probabilis argumentationis locus, iudicatum: cuius infirmandi prius quàm præcepta tradat, quot modis confirmari poſſit, oſtendit. nam quibus ex locis confirmatur, ex ijſdemmet locis etiam infirmari poſſe declarat. Porrò locus à iudicato quatuor modis confirmatur, laudibus eorum, qui iudicarunt: ſimilitudine rei iudicandæ cum re iudicata: approbatione iudicij. i. rei iam iudicatæ: difficultate ipſius iudicij per comparationem à maiori. hiſtoriæ, Ciceronis, & Demoſthenis orationes uaria tibi rerum iudicatarum exempla ſuppeditabunt. interea illud Marij imperatoris iudicium tibi ſuccurrat, qui adoleſcentem iudicio abſoluit, qui tribunum militarem ei uim inferre uolentem occidit: et illud Scipionis Africani minoris, qui Tib. Gracchum iure occiſum dixit. hæc, & alia, modo cauſſæ iudicandæ fuerint conſentanea, proferre poteris. ¶ Ex contrarijs locis, ſi res aut uera, aut ueriſimilis permittet, infirmari oportebit.) Hactenus vt cauſſa à iudicato confirmari, iam uerò vt infirmari queant, planum facit. Ex contrarijs, inquit, locis, hoc eſt, uituperatione eorum, qui iudicarunt: oſtendendo nullam eſſe rei iudicatæ ad rem iudicandam ſimilitudinem: iudicium illud ab omnibus reprehenſum, à nullo approbatum: hoc, quod inſtet iudicium, longo interuallo ab eo, quod iudicatum fuit, magnitudine, ac difficultate diſtare. ¶ Atque erit obſeruandum] duo præterea obſeruanda docet, utrum res, de qua controuerſia eſt, pertineat, aut non pertineat, ad id, quod iam iudicatum fuit: & an pro cauſſa, de qua agitur, iudicium aliquod proferatur, in quo iudices moleſtiam, uel offenſionem aliquam contraxerint. Nam, ſi id contigerit, facilius iudicium illud infirmari poterit. ¶ Oportet autem animaduertere, ne cum aliter multa ſint iudicata, ſolitarium aliquod, aut rarum iudicatum afferatur.] ut ſi quis ſororicidam abſoluendum eſſe contenderet, quia Horatius abſolutus fuit: cum tamen plurimi alij ſororicidæ fuerint condemnati. Nam maior iudiciorum numerus uincere minorem debet. ¶ Atque ea quidem argumen-

ta, quæ quaſi probabilia ſumuntur] recte quaſi probabilia: Nam quæ probabilia ſunt, nec ſpeciem tantum, formamq́; probabilium argumentorum habent, difficile reprehendi poſſunt. Sed quidam ſunt ſyllogiſmi, & quædam enthymemata, quæ cum neque probabilia, neque neceſſaria ſint, tamen, vt inquit Ariſt. probabilis, neceſſariiq́; argumenti formam mentiuntur. ¶ Quæ vero ſicuti neceſſaria] ad argumenta, quæ quaſi neceſſaria ſunt, refellenda μετάβασιν facit.

¶ Primum complexio] primum neceſſariæ argumentationis partem, quæ refelli poteſt, aggreditur. ¶ Si uera eſt, nunquam reprehendetur: ſin falſa; duobus modis: aut conuerſione, aut alterius partis infirmatione.] ueram complexionem, & quæ nulla ratione reprehendi poteſt, eam cum Trapezuntio eſſe opinor, in qua ea, quæ opponuntur, & uera, & inter ſe oppoſita ſunt: & idem ex vtriſque perſpicue conſequitur. vt ex hoc exemplo facile perſpicitur. Aut ſciebas, quod futurum erat; aut non. ſi ſciebas; cur in conſilio, quod vtile fore videbas, non exponebas? ſin neſciebas; quam obrem alios accuſas, qui eadem, qua tu, inſcitia laborant? ¶ Nam ſi veretur] iambici ſenarii ſunt ex Ennio ſumpti: Nam auctor ad Herennium hos verſus ipſe quoque citat ex Ennio, in 2. rhet. ¶ Sin inuerecundum animi ingenium poſſidet] probat hunc nullo modo accuſandum, vtiturq́; hoc dilemmate. Aut enim veretur; aut non. ſi veretur; probus eſt: igitur accuſatione indignus. Si non veretur; accuſationem parui æſtimabit: ergo non accuſandus. Quod quidem dilemma vel conuerſione, vel alterius partis infirmatione reprehendi poteſt. Conuerſione hoc modo. immo accuſandus eſt. Nam ſi veretur; ob accuſationem ſe ipſe corriget: ſi non veretur; tunc maxime eſt accuſandus, quia improbus. Alterius partis reprehenſione, hoc modo. immo quoniam veretur, ideo accuſandus eſt, vt ſe corrigat. item ex alia parte, immo ſi non veretur, accuſandus eſt, quia improbus.

¶ Enumeratio vitioſa] iſtæ duæ partes, ex quibus neceſſaria fieri argumenta monſtrauit, enumeratio, & ſimplex concluſio, quo modo infirmari poſſint, nullo negotio perſpici poteſt. ideoq́; explanatione ſuperſedendum eſt. ¶ Hoc genus, & cetera neceſſaria, & omnino omnis argumentatio] poſtquam exemplis declarauit, quo modo neceſſariæ argumentationes reprehendi poſſunt, difficultates ipſarum cum in confirmando, tum in refellendo oſtendit: ob idq́; longioris temporis explicatione indigere. Sanè difficilem harum eſſe partium præceptionem, ex hoc intelligi poteſt, quòd Ariſt. in hanc materiam octo ferè libros compoſuit. ſed meminerint bonorum litterarum ſtudioſi, hanc tractandæ, ac reprehendendæ argumentationis rationem, & ſi natura difficilem, tamen illis ſeſe facilem præbere, quibus argumentandi forma diligenter fuerit explorata. euoluendi ſunt igitur ſedulo

dulo Ariſtotelis τῶν προτέρων libri: in quibus argumentorum figuras, & modos eleganter, & copioſe monſtrauit. ¶ Cum igitur ex iis, quæ ſumuntur, aliquid non conceditur, ſic infirmabitur. Cum autem his conceſſis etc.] μετάβασιν facit: nam quo pacto refelli poſſint ea, ex quibus aliquid non conceditur, hactenus declarauit. iam uero quomodo reliquæ partes redargui poſſint, declarandum aggreditur: atque in primis quo pacto ex veris, neceſſariisq́; propoſitionibus, concluſio ſequatur vitioſa. hoc enim fuit ſecundum, ex quatuor membris ſupra propoſitis. concluſionem ergo vitioſam ex veris propoſitionibus ait ſequi, ſi aliud dicatur, aliud conficiatur. quod exemplo declarat. Si ad exercitum veniſſes; à tribuno viſus fuiſſes: non es autem viſus; ergo non ueniſti. huius argumenti maior, & minor ſi conceſſa fuerit, concluſio refelletur: non enim ſequitur. Tribunus te non vidit, ergo ad exercitum non veniſti. Nam fieri poteſt, vt miles ad exercitum profectus fuerit, & tamen eum tribunus non uiderit. ¶ Sed ſæpe obſcurius poſitum vitium] vitium concluſionis vel apertum, vel obſcurum eſſe docet. apertum eſt vitium, cum aliud proponitur, aliud ex propoſitione conficitur: vt in ſuperiore exemplo patuit. obſcurum autem in concluſione vitium nunc duplici ratione fieri poſſe oſtendit: ambiguitate propoſitionis, & obliuione. quæ ſingula appoſitiſſimis exemplis auctor ipſe declarat. ¶ Ambiguum, ſi conceſſeris] locus eſt Ariſtotelis ex octauo top. quem egregie Cicero expreſſiſſe videtur. ſic enim inquit Ariſtoteles. ἐὰν δὲ μὴ προΐδῃ τὸ ἀμφίβολον, ἀλλ' εἰς ἕτερον βλέψας, δῷ, ῥητέον πρὸς τὸν ἐπὶ θάτερον ἄγοντα, ὅτι οὐκ εἰς τοῦτο βλέπων ἔθηκεν, ἀλλ' εἰς θάτερον αὐτῶν, *ideſt. Si vero ambiguum verbum non attendat, idq́; tum, cum alterius haberet rationem, concedat; ſi ad alterum impellatur, fateri debet ſe id conceſſiſſe: cum non ipſum illud, ad quod vocatur; ſed alterum ipſe & ſpectaret, & attenderet. verum quia locus ſubobſcurus eſt; ſcire oportet, ambiguum, illud appellari, quod dubium eſt: inq́; duplicem trahi ſenſum poteſt. Si quid ergo aduerſarius ambiguum propoſuerit, quod à defenſore concedatur; ex ea parte, quam ipſe intelligis, & ille complexionem induxerit ex alia parte, quam non intelligis; demonſtrat is concluſionem non ex eo, quod ipſe conceſſeris; ſed ex eo, quod ille ſumpſerit, eſſe inductam: ideoq́; improbandam eſſe. exemplum Ciceronis rem ſatis apertam facit. ¶ Sæpe autem oblitum putant] altera pars obſcuræ concluſionis: quam obliuione obſcuram fieri docuimus. huius partis non meminit Ariſtoteles. ¶ Si ad illum hereditas ueniebat, ueriſimile eſt ab illo eſſe necatum] probabilis quidem eſt hæc propoſitio: ſed ex ea non confici poteſt neceſſaria concluſio. ¶ Deinde hoc approbant pluri mis uerbis.] vt defenſori memoriam uerborum multitudine adimant. ¶ Ille igitur occidit] ex intentione probabili neceſſariam concluſionem conficit:*

ficit: ideo uitioſa eſt.

¶ Ipſum autem argumentationis genus uitioſum his de cauſſis oſtendetur] tertius eſt modus, ſiue tertia pars propoſitæ reprehenſionis, quomodo argumentatio vitioſa reperiri, & confici poſſit. idq; duplici modo fieri oſtendit. Si in ea uitium fuerit, aut ſi non ad inſtitutum accommodabitur. illud argumentationis genus, in quo uitium ineſt, id eſt, quod uitioſum dicitur, quatuordecim modis uitioſum fieri poteſt, qui enumerantur in textu. quod uerò genus ad inſtitutum non eſſe accommodatum dicitur, duodecim uitijs ſcatere poſſe docet, ut infra uidebimus. ¶ Commune eſt, quod nihilo magis ab aduerſarijs] communis argumentatio perinde dicitur, atque commune exordium: quod utrique inſeruire poteſt, accuſatori, & reo. ¶ Vulgare eſt] hoc etiam cognatione quadam cum uulgari exordio continetur: quod omnibus cauſſarum generibus quadrat. Nam huius argumenti exemplum, quod hic ab oratore affertur(Si ueram cauſſam nõ haberet, uobis ſe indices non commiſiſſet) omnibus ferè cauſſis conuenire poteſt. hac ita illotis pedibus tranſeo, quia nihil, aut parum difficultatis habere mihi uidentur. Nam mihi, quæ difficilia ſunt, interpretari conſilium eſt. ¶ Cum te expetebant] tres iambici ſenarij, ex Ennio, vt arbitror, ſumpti, citantur & ab auctore ad Herenn. in 2. libro. hoc genus argumenti leue dicitur à Cicerone in cõtextu, à Quintiliano uerò contra fidẽ appellatur. Nam quod manifeſtum crimen eſt, leui defenſione tegere conamur. & quod accuſandum eſt, accuſatione quidem dignum eſſe profitemur, ſed illud ea defenſione purgamus, quæ minime admittenda eſt. ut ille apud Ennium facit, qui cum regem regno florentiſſimum dereliquiſſet, expulſum poſtea de regno conſolari, hacq; confirmatione ſe illi purgare, ſpemq; uanam afferre uolebat. cum in regno floreres te ipſum reliqui: iam uero te ab omnibus deſtitutum ut reſtituam paro. leuis omnino iſta argumentatio, & præter omnẽ fidem.

REMOTVM eſt, quod ultra quàm ſatis eſt, petitur, hoc modo. Quòd ſi non P. Scipio Corneliam filiam Tiberio Graccho collocaſſet, atq; ex ea duos Gracchos procreaſſet; tantæ ſeditiones natæ non eſſent. Quare hoc incommodum Scipioni adſcribendum uidetur. Huiuſmodi eſt illa quoque conqueſtio.

» Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus
» Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes.

Longius enim repetita eſt, quàm res poſtulabat.

Mala definitio eſt, cum aut communia deſcribit, hoc modo. Seditioſus eſt is, qui malus, atque inutilis eſt ciuis. Nam hoc nõ magis ſeditioſi, quàm ambitioſi, quàm calumniatoris, quàm alicuius improbi hominis uim deſcribit. Aut falſum quiddam dicit, hoc

hoc pacto. Sapientia eſt pecuniæ acquirendæ intelligentia. Aut aliquid non graue, nec magnum cõtinens, ſic. Stultitia eſt immenſæ gloriæ cupiditas. eſt hæc quidem ſtultitia, ſed ex parte quadam, non ex omni genere definitã. Controuerſum eſt, in quo ad dubiũ demonſtrandum, dubia cauſſa affertur, hoc modo.

1 Eho tu, dii, quibus eſt poteſtas motus ſuperum, atque inferũ.
11 Pacem inter ſeſe conciliant, conferunt concordiam.

Perſpicuum eſt, de quo non eſt controuerſia: ut ſi quis, cum Oreſtem accuſet, planum faciat ab eo matrem eſſe occiſam. Non conceſſum eſt, cum id, quod augetur, in controuerſia eſt: ut ſi quis, cum Vliſſem accuſet, in hoc maxime commoretur, Indignum eſſe ab homine ignauiſsimo uirum fortiſsimum Aiacem necatum. Turpe eſt, quod aut eo loco, in quo dicitur; aut eo homine, qui dicat; aut eo tempore, quo dicitur; aut iis, qui audiunt; aut ea re, de qua agitur; indignum propter inhoneſtam rem uidetur. Offenſum eſt, quod eorum, qui audiunt, uoluntatem lædit: ut ſi quis apud equites Romanos cupidos iudicãdi, Cœpionis legem iudiciariam laudet. Contrariũ eſt, quod contra ea dicitur, quæ ii, qui audiunt, fecerunt: ut ſi quis apud Alexandrum Macedonem contra aliquem urbis expugnatorem diceret, nihil eſſe crudelius, quàm urbes diruere: cum ipſe Alexander Thebas diruiſſet. Inconſtans eſt, quod ab eodem de eadem re diuerſe dicitur: ut ſi quis cum dixerit, Qui uirtutem habeat, eum nullius rei ad bene uiuendum indigere, neget poſtea ſine bona ualetudine poſſe bene uiuere. Aut ſe amico adeſſe propter beneuolentiam: ſperare enim aliquid commodi ad ſe peruenturum. Aduerſus eſt, quod ipſi cauſſæ aliqua ex parte officit, ut ſi quis hoſtiũ uim, & copias, & felicitatem augeat, cum ad pugnam milites hortetur. Si non ad id, quod inſtituitur, accommodabitur aliqua pars argumentationis, horum aliquo in uitio reperietur. Si plura pollicitus, pauciora demonſtrabit: aut ſi, cum totum debebit oſtendere, de parte aliqua loquatur, hoc modo. Mulierum genus auarum eſt: nam Eriphyle auro uiri uitam uendidit. Aut ſi non id, quod accuſabitur, defendet: ut ſi quis, cum ambitus accuſabitur, manu ſe fortem eſſe defendet, ut Amphion apud Euripidem, item apud Pacuuium, qui uituperata muſica, ſapientiam laudat. Aut ſi res ex hominis uitio uituperabitur: ut ſi quis doctrinam ex alicuius docti uitiis reprehendat. Aut ſi quis, cum aliquem uolet laudare, de felicitate eius, non de uirtute dicat. Aut ſi quis rem cum re ita

comparabit, ut alteram ſe non putet laudare, niſi alteram uituperarit: aut ſi alteram ita laudet, ut alterius non faciat mentionem: ut ſi quis, cum aliqui deliberent, bellum geratur, an non; pacem laudet omnino, non illud bellum inutile eſſe demonſtret. Aut ſi, cum de certa re quæratur, de communi inſtituetur oratio. Aut ſi ratio alicuius rei reddetur falſa, hoc modo. Pecunia bonum eſt, propterea quòd ea maxime uitam beatam efficiat. Aut ſi infirma, ut Plautus,

» Amicum caſtigare ob meritam noxiam,
» Immane eſt facinus, uerum in ætate utile,
» Et conducibile: nam ego amicum hodie meum
» Concaſtigabo pro commerita noxia.

Aut eadem, hoc modo. Maximum malum eſt auaritia, multos enim magnis incommodis afficit pecuniæ cupiditas. Aut parum idonea, hoc modo. Maximum bonum eſt amicitia: plurimæ enim delectationes ſunt in amicitia. Quartus modus erat reprehenſionis, per quem contra firmam argumentationem, æque firma, aut firmior ponebatur. Hoc genus in deliberationibus maxime uerſatur, cum aliquid, quod contra dicatur, æquum eſſe concedimus: ſed id, quod nos defendimus, neceſſarium eſſe demonſtramus. Aut cum id, quod illi defendant, utile eſſe fateamur: quod nos dicamus, demonſtremus eſſe honeſtum. Ac de reprehenſione hæc quidem exiſtimauimus eſſe dicenda. Deinceps nunc de concluſione ponemus. Hermagoras digreſsionem deinde, tum poſtremam concluſionem ponit. In hac autem digreſsione ille putat oportere quandam inferri orationem à cauſa, atque à iudicatione ipſa remotam, quæ aut ſui laudem, aut aduerſarii uituperationem contineat, aut in aliam cauſſam deducat, ex qua conficiat aliquid confirmationis, aut reprehēſionis, non argumentando, ſed augendo per quandam amplificationem. Hanc ſi quis partem putarit orationis, ſequatur licebit. Nam & augendi, & laudandi, & uituperandi præcepta à nobis partim data ſunt, partim ſuo loco dabuntur. Nobis autem non placet hanc partem in numerum reponi, quòd de cauſſa digredi, niſi per locum communem, diſplicet: quo de genere poſterius eſt dicendum. Laudes autem, & uituperationes non ſeparatim placet tractari, ſed in ipſis argumentationibus eſſe implicitas. Nūc de cōcluſione dicemus.

REMOTVM eſt] *Hoc alij longe petitū uocant.* ¶ *Quod ſi P. Scipio*] *exēplum eſt longe petitæ argumentationis. Satis fuerat dixiſſe. niſi Gracchi*

leges

leges tuliſſent, tanta ſeditiones in urbe non fuiſſent. Si uero tàm alte res repetatur, Scipioni hoc reipub. incommodum aſcribetur, quod Gracchis ipſis aſcribendum eſt. ¶ *Huiuſmodi eſt illa quoque conqueſtio*] *Alterum exemplum ſuperiori per ſimile ex Ennij Medea ſumptum, uti aperte demonſtrat auctor ad Heren. in 2. libro. Sed re uera ex Euripidis Medea, quam Ennius in latinum ſermonem tranſtulit, ſumptum eſt, apud quem nutrix Medea inter initia tragædiæ ita conqueritur.*

» εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος
» κόλχων ἐς αἶαν, κυανέας συμπληγάδας,
» μηδ' ἐν νάπαισι Πηλίου πεσεῖν ποτε
» Τμηθεῖσα πεύκη, μηδ' ἐρετμῶσαι χέρας
» Ἀνδρῶν ἀρίστων, οἳ τὸ πάγχρυσον δέρας
» Πελίᾳ μετῆλθον. οὐ γὰρ ἂν δέσποιν' ἐμὴ
» Μήδεια πύργους γῆς ἔπλευσ' Ἰωλκίας,
» ἔρωτι θυμὸν ἐκπλαγεῖσ' Ἰάσονος.

quos verſus ita olim uertit Ennius apud auctorem ad Herenn.

» *Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus*
» *Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes,*
» *Ne ue inde nauis inchoandæ exordium*
» *Cœpiſſet, quæ nunc nominatur nomine*
» *Argo: qua uecti Argiui delecti uiri*
» *Petebant illam pellem inauratam arietis*
» *Colchis, imperio regis Peliæ per dolum:*
» *Nam numquam hera errans mea domo efferret pedem*
» *Medea, animo ægra, amore ſæuo ſaucia.*

tot huic negotio Ennij uerſus conueniunt. Cicero uerò hic, & in topicis duos tantummodo uerſus adduxit. in primo de finibus primum duntaxat attigit: propterea quia Ennij uerſus id temporis omnibus notiſſimi erant.
¶ *Longius enim repetita eſt, quam res poſtulabat*] *nam ſatis fuerat dixiſſe.*

» *Vtinam ne hera errans mea domo efferret pedem*
» *Medea, animo ægra, amore ſæuo ſaucia.*

Non enim miſera ob id effecta eſt Medea, quòd nauis Argo fabricata ſit, ſed quia Iaſonis amore capta eſt. hoc igitur argumentationis genus remotum appellatur, quod à cauſſa ultra quàm ſatis eſt remota petitur. Sed hac uenia, quæ oratoribus adimitur, poetis concedi ſolet. haud tamen uſquequaque ex remota cauſſa poetæ argumenta petunt: ſed interdum etiam, uti docet, ex propinqua, quemadmodum apud Naſonem Penelope.

» *O utinam tunc, cum Lacedæmona claſſe petebat,*
» *Obrutus inſanis eſſet adulter aquis.*

" Non ego deſerto iacuiſſem frigida lecto:
" Nec quererer tardos ire relicta dies.

Nam obraptam Helenam ad bellum Troianũ proficiſci coactus eſt Vlyſſes. ex remoto autem eſſet, ſi dixiſſet. utinam Paridem nunquam peperiſſet Hecuba. vel aliquid aliud ſimile. ¶ Mala definitio eſt] Vitium in definitione triplici modo exiſtere poſſe oſtendit: ſi uulgaris, (ita enim dici poteſt definitio, quæ communia deſcribit) ſi falſa, ſi leuis fuerit; ſic eam appello, quæ nihil graue continet. exempla patent in textu. ¶ Controuerſum eſt, in quo ad dubium demonſtrandum, dubia cauſſa affertur] cum ad rem dubiam confirmandam illud quoque aſſumitur, quod dubium eſt; uitioſa argumentatio fit: nam quæ dubia exiſtunt, per ea, quæ certa ſunt, declarari ſolent. hoc proprium inductionis eſt; quam Cicero definiuit aſſeorationem, quæ rei dubiæ fidem facit per ea, quæ minime dubia ſunt. hoc Fab. Quintilianus controuerſum ex confeſſo appellat.

¶ Eho tu, dij, quibus eſt poteſtas] exemplum controuerſi ex Ennio ductum, uti ex auctore ad Heren. liquet, uel potius ex Euripide. Nam Euripides tragœdiam ſcripſit, quam de nomine Chreſphontis adoleſcentis Chreſphontem appellauit. quam Cicero in primo Tuſc. quæſt. libro, & Ariſt. in poetica ſemel citauit. hanc Ennius Latinam fecit, ſicut & alias Euripidis multas. Cum igitur ſocer apud Ennium Chreſphonti genero iratus eſſet, & abducere ab eo filiam uellet; ne id faceret, ſic ei perſuadere Chreſphontes conabatur. Mihi ſuccenſere non debes: nam ut dij inter ſe conueniunt, nec eis unquã ulla inceſſit diſcordia; ita nec inter homines ullum eſſe diſſidium decet. hic quod rei dubiæ confirmandæ gratia ſumptum eſt, probationis eget. non enim conſtat deos mutua ſeſe beneuolentia, & concordi charitate complecti. Nam Homerus bellantes inter ſe deos finxit; cum alij Troiam capi nellent, alij repugnarent. hinc Ouidius, in libris de Triſtibus.

" Mulciber in Troiam, pro Troia ſtabat Apollo:
" Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

& Virgilius Deos non idem inter ſe ſentientes innuit, cum in primo Æn. ita ait.

" Hoc equidem occaſum Troiæ, triſteſq; ruinas
" Solabar, fatis contraria fata rependens.

¶ Planum faciat ab eo matrem eſſe occiſam] quam ne Oreſtes quidem occidiſſe negat. ¶ Non conceſſum eſt; cum id, quod augetur, in controuerſia eſt] augere crimen in aliquem prius, quàm eum peccaſſe probaueris, non modo uitioſum eſt, uerum etiam ſtultum. ¶ Ut ſi quis cum Vlyſſem accuſet] alludit ad illud fictitium Vlyſſis, & Aiacis exemplum: quo rhetores frequenter utuntur. Nam fingunt rhetores Aiacem, cum reſciuiſſet, quæ

per

per inſaniam fecerat, in ſilua gladio incubuiſſe: mox Vlyſſem ſuperueniſſe, qui miſericordia adductus, gladium de corpore eius eduxit: Teucrum deinde interueniſſe. qui, ratus ab eo fratrem ſuum necatum, Vlyſſem reum fecit: negat Vlyſſes feciſſe: quæ res cum omnino incerta ſit; tamen accuſator ſtulte amplificat, indignum eſſe uirum fortiſs. ab homine ignauiſſimo crudeliter fuiſſe necatum: cum cauſſam prius, rationesq́ afferre debuiſſes, quãobrem ab eo occiſum fuiſſe iudicari poſſet. ¶ Turpe eſt, quod aut eo loco, in quo dicitur, aut eo homine, qui dicat] illud ceu turpe reprehendi ſolet, ſi quid aut dictum, aut factum eſt, quod loco, tempore, rebus, perſonisq́ præcipue indignum eſſe uideatur. qualis eſt illa Terentiana Thaidis in Chaream poſt uitiatam Pamphilam rephrehenſio.

» *Non te dignum Cherea*
» *Feciſti: Nam ſi ego digna hac contumelia*
» *Sum maximè, at tu indignus qui faceres tamen.*

Reprehenditur à Cicerone Antonius: quòd in medio ſtrepitu armorum ciuilium etiam dicax fuerit. Apud Virg. in 4. Æn. Veneris, & Cupidinis factum à Iunone redarguitur, quòd Didoni inſidias tetenderint. Sic enim ait.

» *Egregiam uerò laudem, & ſpolia ampla refertis*
» *Tuq́, puerq́ tuus, magnum, & memorabile numen,*
» *Vna dolo Diuum ſi femina uicta duorum eſt.*

¶ Ut ſi quis apud equites Romanos] exemplum offenſi. Cum antea equites R. ex lege C. Gracchi iudicarent, Q. Seruilius Cæpio cos. legem tulit, ut uel ſenatores cum equitibus. uel, ut quidam malunt, & ego quidem ſentio, ſoli ſenatores iudicarent. Cicero lib. 2. de orat: animos, inquit, equitum R. apud quos tum iudices cauſſa agebatur, ad Q. Cœpionis odium, à quo erant ipſi propter iudicia abalienati, renouabam, atque reuocabam. Non deſunt, qui dicant Cæpionem hanc legem non tuliſſe, ſed ferre uoluiſſe: quæ deinde à Sylla lata fuerit. Paulus Manutius, uir doctiſs. ac in omni dicendi genere politiſſimus, in libro, quem de legibus Romanorum compoſuit, ex Caſſiodoro, Obſequente, & Cicerone ab eo latam quidem, ſed paucis poſt annis abrogatam fuiſſe memoria prodidit. huius legis meminit quoque Cic. bis, ni fallor, in Bruto. ¶ Cum ipſe Alexander Thebas diruiſſet] plures diuerſis in locis fuerunt Thebæ: ſed duæ inſignes. Altera in Ægypto à Buſiride condita ambitu centum, ut ait Herodotus, quadraginta ſtadiorum, quam Plin. lib. 36. cap. 14. totam penſilem fuiſſe, litteris prodidit. hæc diruta iacet. de qua Iuuenalis ſaty. 15.

» *Atque uetus Thebe centum iacet obruta portis.*

Altera in Bœotia à Cadmo, uel, ut Varro ait in 3. de re ruſtica, ab Ogyge

ge condita, Pindari poetæ lyrici natali clariſſima. hæc eſt, quam Cic. ab Alexandro dirutam fuiſſe ait. hiſtoriam ſcribit Curtius, Plutarch. et alij.

¶ Inconſtans eſt, quod ab eodem de eadem re diuerſe dicitur] Reprehenditnr Saluſtius à Cicerone in reſponſione in illum, ſiue quiſquis eius orationis auctor fuerit, quod ea culpare auſus fuerit, quæ in hiſtoria Catilina laudauerat. Neque te tui piget, inquit, homo leuiſſime, cum ea culpas, quæ in hiſtorijs gloriæ mihi ducis? ſed eleganti exemplo rem Cicero declarat.

¶ Qui uirtutem habeat] ad ſtoicorum opinionem alludit: qui ad bene, beateq́; uiuendum ſolam uirtutem ſatis eſſe putabant.

¶ Neget poſtea ſine bona ualetudine] quaſi ex ſtoico factus peripateticus. Nam peripatetici tria bonorum genera poſuerunt, animi, corporis, & externa: negaruntq́; ſola uirtute hominem beatum fieri poſſe. ¶ Aduerſum eſt] nemo niſi plane fatuus in hoc uitium incurrit.

¶ Si non ad id, quod inſtituitur] Altera uitioſa argumentationis pars eſt; quam, non ad inſtitutum accommodatam, uocat. hanc duodecim in uitijs reperiri poſſe oſtendit. quæ omnia in contextu colligit. ¶ Si plura pollicitus pauciora demonſtrabit] Hoc uitio laborant quidam præſertim noſtri temporis concionatores: qui cum in ſuis exordijs tria, aut quatuor ſe dicturos polliciti fuerint, duo tantum præſtant, obliti propoſitionis. ¶ Nam Eriphyle auro uiri uitã uendidit] exemplum eſt de parte totius, cum totũ ipſum oſtendi debeat. probandum erat omnes fœminas auaritiæ uitio laborare; & tamen de ſola Eriphyle, tanquam de parte aliqua, mentionem fecit. Eriphyle uxor Amphiarai fuit quæ accepto monili aureo latentem maritum Polynici prodidit. qui cum in prælium proficiſci coactus fuiſſet, hiatu terræ perijt. cuius filius Alcmeon poſtea matri cædem obtulit. Cic. in Verr. act. 6. ¶ Aut ſi non id, quod accuſabitur, defendet.] uitioſum quoque ait, cum aliud accuſatoris criminatio contineat, aliud defenſoris ratio purget. quod oratores plerunque facere ſolent anguſtijs cauſſæ coacti: ut ſi quis cum accuſatur furti, dicat ſe fama ubique eſſe notum, aut claris ortum parentibus. hoc modo ad rem non reſpondet, & tamen commemoratione nobilitatis, aut famæ ſuæ accuſationem, uel furti ſuſpicionem, ſe minuere putat. exemplum dat Cicero de eo, qui cum ambitus accuſatus fuiſſet, hoc modo ſe ipſe defendebat, cum diceret, ab imperatoribus ſæpenumero ſe ob fortitudinem apud exercitum grandi munere donatum fuiſſe. ¶ Vt Amphion apud Euripidem] adducit ſimilitudinem. non enim Amphion apud Euripidem accuſatus de ambitu, manu ſe fortem eſſe defendit. Sed Amphion apud Euripidem in tragædia, quæ non extat, & apud Pacuuium, cum ſermonem de muſica cum Zetho inſtituiſſet, non in eo, quod cœperat deſinit, ſed pſorum diſputatio in ſapientiæ laudem conſumitur. Quod autem Zethus

cum

cum Amphione fratre apud Euripidem de muſica diſputet, Athenaus in encomio muſices teſtis locupletiſſimus eſt. huc fortaſſe ſpectant Horatiani uerſus in primo epiſt. ad Lollium.

» *Gratia ſic fratrum geminorum, Amphionis, atque*
» *Zethi diſſiluit, donec ſuſpecta ſeuero*
» *Conticuit lyra. fraternis ceſſiſſe putatur*
» *Moribus Amphion.*

¶ *Ut ſi quis doctrinam] ſi quis, exempli cauſſa, ob rhetoris, ſiue oratoris alicuius improbitatem, rhetoricam, quæ bona eſt, reprehendat, ac damnet. ſic Cornelius Nepos Ciceroni ſcribens, ex peſſima philoſophorum uita philoſophiam ipſam damnat. Tantum, inquit, abeſt, ut ego magiſtram eſſe putem uitæ philoſophiam, beatæq; uitæ perfectricem, ut nullis magis exiſtimem opus eſſe magiſtros uiuendi, quàm pleriſque, qui in ea diſputanda uerſantur.* ¶ *Aut ſi quis, cum aliquem uolet laudare; de felicitate eius, non de uirtute dicat.] nam etſi laudes ex felicitate quoque promuntur; tamen uera laus eſt, quæ ex uirtute naſcitur: nam felicitas ex fortuna, uirtus ex homine ipſo proficiſcitur.* ¶ *Aut ſi quis rem cum re] profecto non mediocre uitium eſt, cum in rerum comparatione altera uituperatur. utraque enim laudari debet, ut maior eius, quæ præfertur, dignitas eſſe intelligatur: nam ea demum uera, ſolidaq; laus eſt, cum laudatos ſuperamus. Homerus ubique Hectorem commendat, ut Achillis gloria magis ſplendeſcat. idem Virgilius facit, cum Turnum comparat cum Ænea.*

¶ *Aut ſi ratio alicuius rei reddetur falſa] ratio, quæ alicuius rei redditur, quatuor modis uitioſa eſſe, nec ad inſtitutum facere uidebitur: hoc eſt, ſi falſa, aut infirma, aut eadem hoc eſt nihil à propoſitione diuerſa, aut parum idonea fuerit.* ¶ *Amicum caſtigare ob meritam noxiam] Quatuor ſenarij iambici ex Trinummo Plauti comœdia; ubi rudis, ac imperiti ſenis τὸ πρέπον ſeruauit poeta. qua oratione ſi orator uſus fuiſſet, iure optimo reprehendi potuiſſet. Sed poeta uitio uerti non debet: qui perſonæ, lociq; rationem habere uoluit. Propoſitio igitur eſt. Caſtigare amicum ob culpam meritam facinus eſt immane, uerum in ætate utile, ſequitur inepta ratio. nam ego amicum hodie meum concaſtigabo pro commerita noxia. non enim ideo probat ſe facturum, quia utile eſt, ſed ideo utile eſſe contendit, quia ſe id facturum dicit. quaſi uerò quod ipſe non faceret, ne alius quidem facturus eſſet. apud Plautum ij uerſus ſatis incondite leguntur: ut hinc facile perſpici poſſit, multa in Plauto exiſtere carmina uitio temporum deprauata. leguntur hæc ſub Megaronidis ſenis perſona actu primo Scena prima, hoc modo.*

» *Ne amicum caſtigare ob meritam malam noxiam*

Immane

» *Immane eſt facinus, uerum in ætate utile, & conducibile.*
» *Nam ego amicum hodie meum concaſtigabo pro commerita noxia*
» *Inuitus.*

¶ Multos enim magnis] eadem res eſt, uerbis prolata: quam tamen ineptus aliquis orator propoſitionis rationem eſſe exiſtimare poterit. ¶ Aut parum idonea, hoc modo. maximum bonum eſt amicitia] ideo hæc parum idonea ratio eſſe uidetur, quia cum tres ſint amicitiæ ſpecies, utilis, delectabilis, honeſta, & honeſta reliquis ſit perfectior; quod delectabili tantum competit, id ſolum expreſſiſſe uidetur. nam philoſophi amicitiæ honeſtæ, quam ipſi ſtudioſam uocant, tria officia aſſignant: beneuolentiam, beneficentiam, concordiam. at inutili, delectabiliq́; amicitia inueniri beneuolentiam, ac beneficentiam negant. aut propterea non idonea eſt, quia cum amicitia maximum dicatur eſſe bonum, ſola delectatio maximum conficere non poteſt bonum.

¶ Quartus modus erat reprehenſionis] poſtrema reprehendendi ratio eſt, inquit, cum aduerſus firmam argumentationem æque firmiter argumentamur. quod etſi in iudiciale genus cauſſæ cadere poteſt; maxime tamen in deliberatiuo genere uerſari docet. cumq́; ſint quatuor in primis deliberationis genera, iuſtum, honeſtum, utile, neceſſarium; ſi quid aduerſario æquum eſſe conceſſeris, quod ipſe defendis, neceſſarium eſſe monſtrabis. aut quod ille utile, tu honeſtum eſſe dices. huius generis exemplum eſt apud Virgi. in 10. Æn. ubi Iuno ἀπολογητικῶς *concedit iniquum eſſe à Rutulis Troianos obſideri: ſed iniquius eſſe contendit Troianos uim inferre, matrimoniaq́; ſua Latinis uelle eripere. ſic enim ait.*

» *Indignum eſt Italos Troiam circundare flammis*
» *Naſcentem, & patria Turnum conſiſtere terra:*
» *Cui Pilumnus auus, cui diua Venilia mater.*
» *Quid face Troianos atra uim inferre Latinis?*
» *Arua aliena iugo premere, & gremiis abducere pactas?*

¶ Hermagoras digreſſionem] ponit opinionem Hermagoræ: qui ante perorationem collocari oportere digreſſionem putabat à cauſſa, ut omnium natura eſt digreſſionum, atque à iudicatione remotam. Quam inter orationis partes recenſendam eſſe ideo hic negat Cicero, quòd niſi per locum communẽ à cauſſa digredi minime oratorem decet. attamen in 2. de orat. haud inter partes recenſeri poſſe negat: nec laudes, aut uituperationes non ſeparatim, ſed argumentationibus admixtas tractari debere affirmat. Huius generis plures eſſe Fab. Quint. auctor eſt, actorumq́; exempla declarant. neque poſt probationem tantum, ſed ante ipſam, & in ipſa quoque probatione, ſi cauſſa permittat, recte induci poteſt: uti ex Ciceronis orationibus liquido

quido patet. attamen ipſe Cicero in 2. de orat. opinionem Hermagoræ de anteponenda perorationi digreſſione probare uidetur. ſed quocunque loco ponatur, augendæ, ornandæ, illuſtrandæq́; orationis uim habet. Græcis παρέκβασις dicitur: Latini nunc egreſſionem, modo egreſſum, quandoq; etiam digreſſionē uocāt. Quæ à poetis fieri ſolent, ἐπισόδια Ariſtoteli nominantur.

Conclusio eſt exitus, & determinatio totius orationis. Hæc habet partes tres, enumerationem, indignationem, conqueſtionem. Enumeratio eſt, per quam res diſperſe & diffuſe dictæ, unum in locum coguntur, & reminiſcendi cauſſa, unum ſub aſpectum ſubiiciuntur. Hæc ſi ſemper eodem modo tractabitur, perſpicue ab omnibus artificio quodam tractari intelligetur: ſin uarie fiet, & hanc ſuſpicionem, & ſatietatem uitare poterit. Quare tum oportebit id facere, ut plerique faciunt propter facilitatem, ſingillatim unamquanq; rem attingere, & ita omnes tranſire breuiter argumentationes; tum autem, id quod difficilius eſt, dicere quas partes expoſueris in partitione, de quibus te pollicitus ſis dicturum, & reducere in memoriam, quibus rationibus unamquanque partem confirmaris; tum ab iis, qui audiunt, quærere quid ſit, quod ſibi, uelle debeant demonſtrari hoc modo. Docuimus hoc, illud planum fecimus: ita ſimul & in memoriam redibit auditor, & putabit nihil eſſe præterea, quod debeat deſiderare. Atque in his generibus, ut ante dictum eſt, tum tuas argumentationes tranſire ſeparatim, tum id, quod artificioſius eſt, cum tuis contrarias coniungere; & cum tuam argumentationem dixeris, tum contra eam quod afferebatur, quemadmodum dilueris, oſtendere. Ita per breuem comparationem, auditoris memoria & de confirmatione, & de reprehenſione redintegrabitur. Atque hæc aliis actionis quoque modis uariare oportebit. Nam tum ex tua perſona enumerare poſsis, ut, quid, & quo quidque loco dixeris, admoneas; tum uerò perſonam, aut rem aliquam inducere, & enumerationem ei totam attribuere. Perſonam, hoc modo. Nam ſi legis ſcriptor exiſtat, & quærat à uobis quid dubitetis, quid poſsitis dicere, cum uobis hoc, & hoc ſit demonſtratum. Atque hic item ut in noſtra perſona licebit alias ſingillatim tranſire omnes argumētationes, alias ad partitiones ſingula genera referre, alias ab auditore, quid deſideret quærere, alias hæc facere per comparationem ſuarum, & contrariarum argumentationum. Res autem inducuatur, ſi alicui rei huiuſmodi, legi, loco, urbi, monumento attribuetur

buetur oratio per enumerationem, hoc modo. Quid ſi leges lo qui poſſent, non'ne hæc apud uos quererentur? Quidnam amplius deſideratis iudices, cum uobis hoc, & hoc planum factum ſit? in hoc quoque genere omnibus eiſdem modis uti licebit. Commune autem præceptum hoc datur ad enumerationem, ut ex unaquaque argumentatione, quoniam tota iterum dici non poteſt, id eligatur, quod erit grauiſsimũ, et unumquodq; quambreuiſsime tranſeatur, ut memoria, non oratio renouata uideatur. Indignatio eſt oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem grauis offenſio concitetur. In hoc genere illud primum intelligi uolumus, poſſe omnibus ex locis iis, quos in confirmandi præceptis poſuimus, tractari indignationem. Nam ex iis rebus, quæ perſonis, atque negotiis attributæ ſunt, quæuis amplificationes, & indignationes naſci poſſunt: ſed tamen ea, quæ ſeparatim de indignatione præcipi poſſunt, conſideremus. Primus locus ſumitur ab auctoritate, quum commemoramus quantæ curæ res ea fuerit aut Diis immortalibus, aut eis, quorum auctoritas grauiſsima debeat eſſe. Qui locus ſumetur ex ſortibus, ex oraculis, uatibus, oſtentis, prodigiis, reſponſis, ſimilibus rebus. Item ex maioribus noſtris, regibus, ciuitatibus, gentibus, hominibus ſapientiſsimis, ſenatu, populo, legum ſcriptoribus. Secundus locus eſt, per quem illa res, ad quos pertineat, cum amplificatione per indignationem oſtenditur, an ad omnes, an ad maiorem partem, quod atrociſsimum eſt; an ad ſuperiores, quales ſunt ii, quorum ex auctoritate indignatio ſumitur, quod indigniſsimum eſt; an ad pares animo, fortuna, corpore, quod iniquiſsimum eſt; an ad inferiores, quod ſuperbiſsimum eſt. Tertius locus eſt, per quem quærimus quidnam ſit euenturum, ſi idem ceteri faciant: & ſimul oſtendimus, huic ſi conceſſum ſit, multos æmulos eiuſdem audaciæ futuros: ex quo quid mali ſit euenturum, demonſtrabimus. Quartus locus eſt, per quem demonſtramus multos alacres expectare quid ſtatuatur, ut ex eo quod uni conceſſum ſit, ſibi quoque tali de re quid liceat, intelligere poſsint. Quintus locus eſt, per quem oſtendimus ceteras res perperam conſtitutas, intellecta ueritate commutatas corrigi poſſe: hanc eſſe rem, quæ ſi ſit ſemel iudicata, neque alio commutari iuditio, neque ulla poteſtate corrigi poſsit. Sextus locus eſt, per quem conſultò, & de induſtria factum eſſe demõſtratur, & illud adiungitur,

uoluntario maleficio ueniam dari non oportere, imprudentiæ concedi nonnunquam conuenire. Septimus locus eſt, per quem indignamur, quòd tetrum, crudele, nefarium, tyrannicum factum eſſe dicamus, per uim, per manum opulentam, quæ res ab legibus, ab æquabili iure remotiſsima ſit. Octauus locus eſt, per quem demonſtramus non uulgare, neque factitatum eſſe, ne ab audaciſsimis quidem hominibus, id maleficium, de quo agitur, atque id à feris quoque hominibus, & à barbaris gentibus, & immanibus beſtiis remotum eſſe. Hæc erunt, quæ in parentes, liberos, coniuges, conſanguineos, ſupplices, crudeliter facta dicentur; & deinceps ſiqua proferantur in maiores natu, in hoſpites, in uicinos, in amicos, in eos quibuſcum uitam egeris; in eos apud quos educatus ſis; in eos, à quibus eruditus ſis; in mortuos, in miſeros, & miſericordia dignos, in homines claros, nobiles, & honore uſos; in eos, qui neque lædere alium, nec ſe defendere potuerunt, ut in pueros, ſenes, mulieres: quibus omnibus acriter excitata indignatio ſummum in eum, qui uiolarit horum aliquid, odium commouere poterit. Nonus locus eſt, per quem eum aliis, quæ conſtant eſſe peccata, hoc, quo de quæſtio eſt, comparatur: & ita per contentionem quanto atrocius, & indignius ſit illud, de quo agitur, oſtenditur. Decimus locus eſt, per quem omnia, quæ in negotio gerendo acta ſunt, quæq; poſt negotium conſecuta ſunt, cum uniuſcuiuſque indignatione, & criminatione colligimus, & rem uerbis quammaxime ante oculos eius, apud quem dicitur, ponimus, ut id, quod indignum eſt, perinde illi uideatur indignum, ac ſi ipſe interfuerit, ac præſens uiderit. Vndecimus locus eſt, per quem oſtendimns ab eo factum, à quo minime oportuerit, & à quo, ſi alius faceret, prohiberi conueniret. Duodecimus locus eſt, per quem indignamur, quòd nobis hoc primis acciderit, nec alicui unquam uſu euenerit. Tertiusdecimus locus eſt, ſi cum iniuria contumelia iuncta demonſtratur, per quem locum in ſuperbiam & arrogantiam odium concitatur. Quartusdecimus locus eſt, per quem petimus ab iis, qui audiunt, ut ad ſuas res noſtras iniurias referant: ſi ad pueros pertinebit; de liberis ſuis cogitent; ſi ad mulieres; de uxoribus: ſi ad ſenes; de patribus, aut parentibus. Quintusdecimus eſt locus, per quem dicimus inimicis quoque, & hoſtibus ea, quæ nobis acciderunt, indigna uideri ſolere. Et indignatio quidem his fere de locis grauiſsime ſume-

tur. Conqueſtionis autem huiuſmodi de rebus partes petere oportebit. Conqueſtio eſt oratio auditorum miſericordiam captans. In hac primum animum auditoris mitem, & miſericordem conficere oportet, quo facilius conqueſtione commoueri poſsit. Id locis communibus efficere oportebit, per quos fortunæ uis in omnes, & hominum infirmitas oſtenditur: qua ratione habita grauiter, & ſententioſe, maxime demittitur animus hominum, & ad miſericordiam comparatur, cum in alieno malo ſuam infirmitatem conſiderabit. Deinde primus locus eſt miſericordiæ, per quem, quibus in bonis fuerint, & nunc quibus in malis ſint, oſtenditur. Secundus, qui in tempora tribuitur per quem, quibus in malis fuerint, & ſint, & futuri ſint, demonſtratur. Tertius, per quem unumquodq; deploratur incommodum, ut in morte filii, pueritiæ delectatio, amor, ſpes, ſolatiũ, educatio, & ſiqua ſimili in genere quolibet de incommodo per conqueſtionem dici poterunt. Quartus, per quem res turpes, & humiles, & illiberales proferentur, & indignæ ætate, genere, fortuna, priſtino honore, beneficiis, quas paſsi, perpeſſuri' ue ſint. Quintus eſt, per quem omnia ante oculos ſingillatim incommoda ponentur, ut uideatur is, qui audit, uidere, & re quoq; ipſa, quaſi adſit, non uerbis ſolum ad miſericordiam ducatur. Sextus, per quem præter ſpem in miſeriis demonſtratur eſſe, & cum aliquid expectaret, non modo id non adeptum eſſe, ſed in ſummas miſerias incidiſſe. Septimus, per quem ad ipſos, qui audiunt, ſimilem caſum conuertimus, & petimus, ut de ſuis liberis, aut parentibus, aut aliquo, qui illis carus debeat eſſe, nos cum uideant, recordentur. Octauus, per quem aliquid dicitur eſſe factum, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit, hoc modo. Non affui, non uidi, non poſtremam eius uocem audiui, non extremum eius ſpiritum excepi. Item, Inimicorum in manibus mortuus eſt, hoſtili in terra turpiter iacuit inſepultus, à feris diu uexatus, communi quoq; honore in morte caruit. Nonus, per quem oratio ad mutas, & expertes animi res refertur: ut ſi ad equum, domum, ueſtem, ſermonem alicuius accommodes, quibus animus eorum, qui audiunt, & aliquem dilexerunt, uehementer commouetur. Decimus, per quem inopia, infirmitas, ſolitudo demonſtratur. Vndecimus, per quem aut liberorum, aut parentum, aut ſui corporis ſepeliendi, aut alicuius eiuſmodi rei commendatio fit. Duodecimus,

per

per quem diſiunctio deploratur ab aliquo, cum deducaris ab eo, qui cum libentiſsime uixeris, ut à parente, filio, fratre, familiari. Tertiusdecimus, per quem cum indignatione conquerimur, quòd ab iis, à quibus minime conueniat, male tractemur, propinquis, amicis, quibus benefecerimus, quos adiutores fore putauerimus, aut à quibus indignum eſt, ut ſeruis, libertis, clientibus, ſupplicibus. Quartusdecimus, qui per obſecrationem ſumitur, in quo orantur modo illi, qui audiunt, humili, & ſupplici oratione, ut miſereantur. Quintusdecimus, per quem non noſtras, ſed eorum, qui cari nobis debent eſſe, fortunas conqueri nos demonſtramus. Sextusdecimus eſt, per quem animum noſtrum in alios miſericordem eſſe oſtendimus, & tamen amplum, & excelſum, & patientem incommodorum eſſe, & futurum, ſi quid acciderit, demonſtramus. Nam ſæpe uirtus, & magnificentia, in quo grauitas, & auctoritas eſt, plus proficit ad miſericordiam commouendam, quàm humilitas, & obſecratio. Commotis autem animis, diutius in conqueſtione morari non oportebit. Quemadmodum enim dixit rhetor Apollonius, Lacryma nihil citius areſcit. Sed quoniam & ſatis, ut uidemur, de omnibus partibus orationis diximus, & huius uoluminis magnitudo longius proceſsit, quæ ſequuntur deinceps, in ſecundo libro dicemus.

CONCLVSIO *eſt exitus, & determinatio totius orationis*] *poſtremam orationis partem deſcribendam aggreditur: quam ipſe modo concluſionem, interdum perorationem, alij cumulum, Graci ἐπίλογον uocant. in hanc partem quæ præcepta ab oratore traduntur, ex tertio Ariſtotelis de arte rhet. libro ſumpta eſſe uidentur, uti ſuis locis declarabimus.* ¶ *Hac habet partes tres, enumerationem, indignationem, conqueſtionem.*] *Ariſtoteles, loco ſuperius citato, quatuor ex partibus conſtare ſcriptum reliquit: quarum prima eſt, ut conciliemus nobis, & auertamus ab aduerſario iudices: altera, ut amplificemus, extenuemusq́; tertia, ut excitemus, & componamus affectus: poſtrema, ut memoriam iudicum repetitione rationum noſtrarum reficiamus. Verum ſi quis rem diligenter expendat; illa ad hac tria poſſe redigi, facile iudicabit. Nam in mouenda conqueſtione animum auditoris mitem, & miſericordem (ut infra Cicero docet) efficere oportet.* ¶ *Enumeratio eſt, per quam res diſperſe & diffuſe dicta unum in locum coguntur*] *hanc partem Græci ἀνακεφαλαίωσιν uocant, quod per capita decurratur, reficiendæ iudicum memoriæ gratia. propterea ſubdit Cicero. & reminiſcendi cauſſa unum ſub aſpectum ſubijciuntur.* ¶ *Hac ſi ſemper eodem*

modo

modo tractabitur] Variare enumerationem in peroratione oportet. quod ut fieri poſſit, & debeat, infrius ipſe declarabit. ¶ Tum autem, id quod difficilius eſt, dicere quas partes expoſueris] hæc ex Ariſtotele ſumpta ſunt. Initio, inquit, concluſionis dicendum eſt perſoluiſſe nos omnia, quæ polliciti ſumus: deinde & quæ diximus; & rationes, quas attulimus; ſunt explicanda.

1 *¶ Tum ab ijs, qui audiunt, quærere] hanc partem Ariſtoteles ἐκ τῆς ἐρωτήσεως appellat. ¶ Docuimus hoc, illud planum fecimus] Hæc ſimplex enumeratio Ariſtoteli dicitur: qua Cicero cum alibi, tum maxime cum pro Quintio perorare t, uſus eſt. Oſtendi, inquit, quàm multa ante fieri conuenerit, quàm hominis propinqui bona poſſideri poſtularemur. & paulo poſt. Docui, cum deſertum eſſe dicat uadimonium, omnino uadimonium nullum fuiſſe. & mox. Ex edicto autem non potuiſſe bona poſſideri, demonſtraui. ¶ Atque in ijs generibus, ut ante dictum eſt, tum tuas argumentationes tranſire ſeparatim, tum id quod artificioſius eſt, cum tuis contrarias coniungere] Ariſtotelis locus eſt. nam & ipſe præcipit tum eas in memoriam iudicis rationes eſſe reuocandas, quibus unamquanque partem confirmauerimus; tum illa etiam, quæ aduerſarius dixerit, cum noſtris eſſe conferenda.*

¶ Actionis] orationis, ſiue tractationis. ¶ Nam tum ex tua perſona] alius deſcribitur uariandi modus: cum ex oratoris, aut ex alterius hominis perſona; tum etiam ex aliqua re muta: ut ſi reipub. aut legibus totam enumerationem tribuas. Ariſtoteles quatuor modis concluſionem uariari poſſe oſtendit. per ironiam, per interrogationem, per collationem, per ſimplicem, naturalemq́; enumerationem: quas partes ſub diuerſa uerborum prolatione orator noſter hoc in loco tractare uidetur. ¶ Tum uero perſonam, aut rem aliquam inducere] hæc oratoria προσωποποιία appellatur: quæ cum indignationi, tum etiam miſericordiæ, ut Fabius ait, conuenire uidetur. ¶ Nam ſi legis ſcriptor] interrogationem iterum deſignat.

¶ In noſtra perſona licebit alias] hæc ſimplex, naturaliſq́; enumeratio appellatur. ¶ Alias hæc facere per comparationem] hic non ſolum comparationem, ſed fortaſſe etiam εἰρωνείαν deſignat. Nam in ironia (ut inquit Ariſt.) comparatio continetur. ¶ Commune autem præceptum hoc ad enumerationem] quod antea ſeparatim de enumeratione præcepit, iam in commune præceptionem confert: Quod ne Fabius quidem reticuit. In enumeratione, inquit, quæ repetemus, quambreuiſſime dicenda ſunt, & quod Græco uerbo (hoc eſt, uti Ariſtoteles dixit: κεφαλαιωδῶς) patet, decurrendum per capita. Nam ſi morabimur, non iam enumeratio, ſed quaſi altera fiet oratio.

¶ Indignatio eſt oratio] ſequuntur reliquæ perorationis partes duæ, quæ in

in affectibus conſiſtunt. indignatio, & miſericordia, ſiue conqueſtio: indignationem igitur, quam Ariſtoteles νέμεσιν, alij δείνωσιν uocant, orationem eſſe definit, per quam aut in hominem odium, aut in rem offenſio concitatur. hanc auctor ad Herenn. amplificationem nominat. eſtq́ propria accuſatoris: cuius partes ſunt rem augere, &, vt eſt in prouerbio ueteri, ex muſca elephantum facere, quanquam utitur etiam frequenter accuſator miſeratione, cum (vt ait Fabius) aut eius caſum, quem ulciſcitur, aut liberorum, aut parentum ſollicitudinem conqueritur. Ariſtoteles in 2. de arte rhet. indignationem dolori opponit, quem quis capit ob res alicuius immerentis aduerſas. ergo indignatio dolor eſt, ob res alicuius aduerſas, uel ſecundas: qui ea fortuna uideatur indignus. ad hanc excitari ſolent ab accuſatoribus iudices, ut reos peragant; quaſi indigni ſint ſecunda fortuna, cum ſcelus aliquod admiſerint. hinc illa aduerſariorum Milonis indignatio: nefas eſſe eum uiuere, qui hominem à ſe occiſum fateatur. Sed duo affectuum loca eſſe Cicero in oratore monſtrauit: quorum alterum Graeci ἠθικὸν uocant, perorationi quidem, ſed exordio magis accommodatum, come, iucundum, & ad beneuolentiam paratum. alterum, quod illi παθητικὸν nominant, uehemens, incenſum, incitatum, quo perturbantur animi, & concitantur. hoc perorationi maxime conuenit: accuſatorisq́ proprium eſt, quo Cicero in Verrem, in Catilinam, in aliosq́ multos uſus eſt.

¶ In hoc genere illud primum intelligi uolumus poſſe omnibus ex locis ijs, quos in confirmandi praeceptis poſuimus, tractari indignationem] iam antea docuimus, nihil ex arte oratoria tractari, quod non ex circumſtantijs proficiſcatur, unde loca promuntur ad tractandas cauſſas. quomodo autem ex circunſtantijs moueri indignatio poſſit; Fabius in ſexto libro grauiter, & aperte demonſtrat. inquit enim, ſummam concitandi affectus accuſatori in hoc conſiſtere, vt id, quod obijcit, aut quam atrociſſimum, aut etiam, ſi fieri poteſt, quam maxime miſerabile eſſe uideatur. atrocitatem ex circunſtantijs creſcere docet, hoc modo. quid factum ſit, à quo, in quem, quo animo, quo tempore, quo loco, quo modo: quae omnia infinitos anfractus habent.

¶ Primus locus ſumitur] Quindecim enumerat indignationis locos, conqueſtionis uero ſexdecim. illud tamen non ignorandum eſt, huiuſmodi locos non ob id in numerum digeſtos, quòd in ipſo numero aliqua exiſtat αὔξη-ris, ſed ideo datus eſt ijs locis numerus, quoniam ſaepe firmius retinentur, minusq́ confunduntur praecepta, ſi in numerum fuerint collocata. primus ergo locus ex auctoritate ſumitur, aut deorum, aut maiorum, in quo quae ſint deorum, aut ſapientum hominum ſententia de crimine, quo de agitur, amplificando oſtendimus. ut Cicero pro Milone dicit, P. Clodium ſacrorũ Bonae deae uiolatorem, ipſius deae ſententia, & uoluntate à Milone necatum, cuius rei mani-

manifeſtiſſimum ſignum eſſe, quod ante templum Bonæ deæ prælium commiſerit, illudq́; lætale uulnus acceperit. ſic enim ait. Niſi forte hoc etiam caſu factum eſſe dicimus, vt ante ipſum ſacrarium Bonæ deæ, quod eſt in fundo T. Sextij Galli, in primis honeſti, & ornati adoleſcentis, ante ipſam, inquam, Bonam deam cum prælium commiſiſſet, illud uulnus acceperit, quo teterrimam mortem obiret, ut non abſolutus iudicio illo nefario uideretur, ſed ad hanc inſignem pœnam reſeruatus. Quoties crimen illud, cuius aliquis arguitur, eiuſmodi fuerit, vt oſtendere poſſimus contra deos eſſe, aut maioresi, reges, ciuitates, ſenatum; huiuſmodi grauiſſima erit exaggeratio. Cicero in oratione de reſponſis aruſpicum, ex deorum auctoritate indignationẽ mouet, cum ait. Quòd ſi cetera magis peruulgata, nos ſæpe & leuiora mouerunt, uox ipſa deorum immortalium non mentes omnium permouebit? & paulo poſt. Etenim hæc deorum immortalium uox, hæc pene oratio iudicanda eſt. hunc locum docet ſumi ex portentis, prodigijs, ſortibus, & reliquis alijs: quibus rebus, non difficile eſt inuenire exempla, cum ex oratoribus, Cicerone in primis in oratione de aruſpicum reſponſis, tum ex poetis, in primis ex Virgilio in 4. Æn. adde etiã ex hiſtorijs. in quibus legi poteſt ſæpius, lacte, carne, ſanguine ſaxis pluiſſe. ¶ Itẽ maioribus noſtris] ex maiorum auctoritate, ut apud Ciceronem in Diuinatione. Patres, maioresq́; noſtros non pœnituiſſe eius conſuetudinis, atque inſtituti, quo per homines honeſtiſſ. uiroſq́; peritiſſ. & non imperitos adoleſcentes mali, & improbi accuſabantur. ¶ Regibus] Vt ſi accuſaretur aliquis, quòd dicto regis audiens non fuiſſet, amplificari crimen poſſet ex auctoritate, ac maieſtate nominis regij, quòd apud omnes nationes nomen regis ſanctum, ac immortale (ut ipſe in Oratione pro Deiotaro rege inquit) ſemper fuerit. ¶ Ciuitatibus, gentibus] vt ſi quis in Corinthios Achaiæ populos diceret, qui legatos Populi R. lotio perfuderunt: quos iura gentium, & ciuitates inuiolatos eſſe uoluerunt. ¶ Hominibus ſapientiſſimis) Cic. in Oratione pro lege Manilia. Quod ſi auctoritatibus hanc cauſſam Quirites confirmandam putatis; eſt uobis auctor iuris bellorum omnium, maximarumq́; rerum P. Seruilius.

¶ Senatus] Vt ſi in illum inuehatur, ut puta in Piſonem, in Gabinium, Clodium, alioſq́; multos: qui Senatus decreta contempſerint, & labefactarint. huiuſmodi exemplis plenæ ſunt Ciceronis orationes. Sed non omnes ij loci omnibus cauſſis conueniunt, uerum ex multis (uti de ſilua locorum diximus) deliguntur; qui noſtræ cauſſæ conuenire uideantur. ¶ Secundus locus eſt] hic locus maiori ex parte ex auctoritate ſumptus eſſe uidetur. ¶ An ad omnes] Vt ſi quis in Tarpeiam diceret, quæ T. Tatio patriam prodidit; aut in Catilinam, qui non patriam tantum, ſed totum Ro. Imperium,

atque

atque adeo totum orbem terrarum uaſtare, ac perdere uoluerit. Non deſunt huius amplificationis exempla apud Cic. In Inuect. contra Catilinam, & in oratione pro Milone, contra Piſonem, & alibi. ¶ An ad ſuperiores] ut ſi quis principis ſeruum læſiſſet, cuius etiam, propter domini auctoritatem, & grauitatem, habenda ratio eſſet. ¶ An ad pares] Quo modo pares intelligendi ſint, exponit, animo, ut prudentia, litteris, aliisq́; uirtutibus. corpore, ut robore, pulchritudine. fortuna, ut diuitijs, honoribus, genere, alijsq́; rebus, quæ ex fortuna proueniunt.

¶ An ad inferiores] hoc certe ſuperbiſſimum eſt, pauperes à diuitibus opprimi. amplificari igitur crimen poterit, oſtendendo, ſi reus impunè abierit, omnes pauperes potentiorum, ac diuitum contumelijs obnoxios fore. ¶ Tertius locus eſt, per quem quærimus quidnam ſit euenturum ſi idem ceteri faciant] hic locus ab euentu appellatur, cuius exemplum extat apud Saluſtium in oratione Catonis aduerſus coniuratos. Quorum crimen ſi impunitum relinquatur, eos, aliosq́; multos ad maleficia promptiores, alacrioresq́; fore memorat. itaque Rempub. peſſum ituram. Huiuſmodi locus eſt perelegans, & copioſus apud Demoſth. in oratione contra Ariſtogitonem prima, quam Dionyſius Halic. Demoſth. eſſe negat. Sed illa Cic. amplificatio in oratione pro Sex. Roſc. Amer. ualde huic loco quadrare uidetur.

Petimus à te M. Fanni, à uobisq́; Iudices, ut quam acerrime maleficia uindicetis; ut quam fortiſſime hominibus audaciſſ. reſiſtatis; ut hoc cogitetis, niſi in hac cauſſa, qui ueſter animus ſit, oſtendetis, eò prorumpere hominum cupiditatem, & ſcelus, & audaciam, ut non modo clàm, uerum etiam hic in foro, ante tribunal tuum M. Fanni, ante pedes ueſtros iudices, inter ipſa ſubſellia cædes futuræ ſint. ¶ Quartus locus eſt] & hic locus ex euentu dici poteſt: cuius exemplum extat, ni fallor, apud Cic. in oratione pro Sex. Roſc. Am. Quanta multitudo hominum conuenerit ad hoc iudicium uides; quæ ſit omnium mortalium expectatio, quæ cupiditas, ut acria, ac ſeuera iudicia fiant, intelligis. & mox. Omnes hanc quæſtionem te Prætore de manifeſtis maleficijs, quotidianoq́; ſanguine haud remiſſius ſperant futura. ¶ Quintus locus eſt] & hunc locum quidam ex euentu eſſe uolunt: induciturq́; per comparationem aliarum rerum, ut oſtendamus ceteras res perperam, aut peſſime conſtitutas poſſe mutari, et corrigi; hanc uerò ſemel iudicatam nulla ratione corrigi poſſe. huic loco uerba quadrare uidentur, quæ Cato apud Saluſtium habuit in coniuratos. ubi Senatores admonet, de coniuratis ultimum eſſe ſumendum ſupplicium, Sed uereor, inquit, ne iſta uobis manſuetudo, & miſericordia, ſi illi arma reiecerint, in miſeriam conuertatur. Sed longe plura ſunt Catonis uerba in

Q hanc

hanc ſententiam. Ego locum indicaui, vt quiſque, cum libuerit, eum adire poſſit. ¶ Sextus locus eſt, per quem conſulto; & de induſtria factum eſſe demonſtratur] Hic locus à nonullis ex modo facti ſecundum agentis intentionem, alijs ex conſilio appellatur. Ego ex uoluntate, quæ ſub ratiocinationem cadit. Ex aggeratur, factum, cum reus ſponte, non imprudenter peccaſſe oſtenditur: vtq́; uenia dignus eſt, qui imprudenter facit; ita pœnam meritus eſt, qui conſulto, & de induſtria peccat. Cato apud Saluſtium hunc egregie per εἰρωνείαν locum tractauit, Cum ait. Verum parcite dignitati P. Lemuli, ſi ipſe pudicitiæ, ſi famæ ſuæ, ſi dijs, aut hominibus ullis unquam pepercit. ignoſcite Cethegi adoleſcentiæ, ſi non iterum patriæ bellum fecerit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Capario loquar? quibus ſi quicquam unquam penſi fuiſſet, non ea conſilia de Repub. habuiſſent. ¶ Septimus locus eſt] hic locus à modo facti dici poteſt, uel à natura, quoties per qualitatem ipſam, uel naturam, crimen amplificatur. Trapezuntius ampliationem appellauit. ¶ Quòd tetrum] contra naturam. ut ſi parricidium, uel aliud aliquod, uel à parentibus in filios, uel à filijs in parentes præter naturam factum amplificetur Cic. in oratione Pro A. Cluentio matris ipſius Cluentij impietatem amplificat. Cum ait. Veſtram ſimul iudices æquitatem, & manſuetudinem una mater oppugnat. atque mater? quam cæcam crudelitate, & ſcelere ferri uidetis, cuius cupiditatem nulla unquã turpitudo retardauit: quæ uitijs animi in deterrimas partes iura hominum conuertit omnia. cuius ea ſtultitia eſt, ut eam nemo hominem; ea uis, ut nemo fœminam; ea crudelitas, ut nemo matrem appellare poſſit. ¶ Crudele] contra humanitatem. Vt de Polyphemo ſcribit Virgilius, qui homines ad ſaxum frangebat, & comedebat. Sic ait ille.

» Vidi egomet duo de numero cum corpora noſtro
» Prenſa manu magna, medio reſupinus in antro
» Frangeret ad ſaxum, ſanieq́; aſperſa natarent
» Limina: uidi, atro cum membra fluentia tabo
» Manderet, & tepidi tremerent ſub dentibus artus.

Aut ut de Timone ſcribit Herodotus, & Cic. in Tuſc. qui ob id μισάνθρωπος dictus eſt, quia homines oderat, eorumq́; congreſſus, & commercia fugiebat. ſolum autem Alcibiadem amaſſe dicitur, quem Athenarum excidij cauſſam fore ſperabat. ¶ Nefarium] contra Deos: uti de Mezentio dicitur; qui rerum primitias quæ dijs conueniunt, ſibi conſecrari uolebat. Proinde Virg. ait in VII. Æneidos.

» Contemptor Diuum Mezentius.

aut de P. Clodio, qui religionem non tanti fecit, ut à ſacrorum Bonæ deæ uiolatione ſeſe abſtineret. ¶ Tyrannicum] hæc uox ſuperiora Complectitur.

tur. Nam Tyrannus omnia ſuperbe, crudelitèr, nefarie, atque impie agit, nec dijs, nec hominibus parcit. ¶ *Per uim*] *Vt in 2. Æn. apud Virg. de Vlyſſe, & Diomede: qui occiſis cuſtodibus, per uim Palladium corripuerūt.*

» *Omnis ſpes Danaum, & cœpti fiducia belli*
» *Palladis auxilijs ſemper ſtetit: impius ex quo*
» *Tydides, ſed enim ſcelerumq́; inuentor Vlyſſes*
» *Fatale aggreſſi ſacrato auellere templo*
» *Palladium, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis,*
» *Corripuere ſacram effigiem; manibusq́; cruentis*
» *Virgineas auſi Diuæ contingere uittas.*

Hiarbas apud ipſum poetam conqueritur de Ænea, quòd Didone peregrinus raptò potiatur. Sic nam ait in 4. Aen.

» *Et nunc ille paris cum ſemiuiro comitatu*
» *Mæonia mentum mitra, crinemq́; madentem*
» *Subnixus, rapto potitur.*

¶ *Manu*] *Vt de P. Clodio apud Cic. qui armata ſatellitum manu Milonem in itinere adortus eſt. Item de Catilina, qui ingentem iuuenum multitudinem compararat, ut Rempub. opprimeret.*

¶ *Octauus locus eſt, per quem demonſtramus non uulgare, neque factitatum*] *multas circunſtantias habet locus iſte: quas ſtatim ipſe declarat. Cic. Pro A. Cluentio factum non uulgare, & inauditum protulit de Saſſia Cluentij matre, quæ facto filiæ diuortio, generi nupſit, quod facinus per exclamationem deteſtando amplificat. cum ait. O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc unam in omni uita inauditum.* ¶ *Hæc erunt quæ in parentes*] *ut de Sex. Roſc. qui parentis ſui cædem feciſſe dicebatur.* ¶ *Liberos*] *Vt de Medea apud Euripidem: quæ liberos ſuos necauit. queritur Priamus apud Maronem in 2. Æn. de Pyrrho: qui gnati ante ora cædem fecit.*

» *At tibi pro ſcelere, exclamat, pro talibus auſis*
» *Dij (ſi qua eſt cælo pietas, quæ talia curet)*
» *Perſoluant grates dignas: & præmia reddant*
» *Debita: qui nati coram me cernere lethum*
» *Feciſti, & patrios fœdaſti funere uultus.*

¶ *Coniuges*] *queritur de Ænea Dido in 4. Æn. quòd ab Ænea deſeritur. cum ait.*

» *Diſſimulare etiam ſperaſti perfide tantum*
» *Poſſe nefas? tacitusq́; mea decedere terra?*
» *Nec te noſter amor, nec te data dextra quondam,*
» *Nec moritura tenet crudeli funere Dido?*

& paulo infra.

Q 2 Cui

» *Cui me moribundam deſeris hoſpes?*
» *Hoc ſolum nomen quoniam de coniuge reſtat.*

¶ *Conſanguineos*] *Vt de Pygmalione apud Virg. in.* I. *Æn. qui Sichæum ſororis ſuæ coniugem interfecit. notiſſima ſunt Maronis carmina.* ¶ *Supplices, crudeliter facta dicentur*] *poſſet, ſi quis uellet, crudelitatem Æneæ amplificari, qui Mago ſupplici, ac genua amplexanti parcere noluit. Factum deſcribit Virg. in x. Æn. ijs uerſibus.*

» *Inde Mago procul infenſam cum tenderet haſtam,*
» *Ille actu ſubit, ac tremebunda ſuperuolat haſta,*
» *Et genua amplectens effatur talia ſupplex.*
» *Per patrios manes, & ſpes ſurgentis Iuli*
» *Te precor, hanc animam ſerues natoq́, patriq́.*

& quæ ſequuntur.

Sed Æneas ijs precibus parum commotus.

» *Galeam leua tenet, atque reflexa*
» *Ceruice orantis capulo tenus abdidit enſem.*

¶ *In maiores natu*] *Pyrrhus apud Virg. in* 2. *Æn. Priamum in ſanguine nati crudeliter necat, inquiens.*

» *Referes ergo hæc, & nuncius ibis*
» *Pelidæ genitori: illi mea triſtia facta,*
» *Degeneremq́, Neoptolemum narrare memento.*
» *Nunc morere. hæc dicens, altaria ad ipſa trementem*
» *Traxit, & in multo lapſantem ſanguine nati,*
» *Implicuitq́, comam læua, dextraq́, coruſcum*
» *Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit enſem.*

¶ *In hoſpites*] *Ut de Polymneſtore Thracum Rege, qui auri potiundi cupiditate Polydorum Priami filium obtruncauit, factum deſcribit Euripides inter initia Hecubæ tragædiæ, & Virg. in* 3. *Æn. diuerſe ab Euripide ijs uerſibus.*

» *Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno*
» *Infelix Priamus furtim mandarat alendum*
» *Threicio Regi, cum iam diffideret armis*
» *Dardaniæ, cingiq́, urbem obſidione uideret.*
» *Ille, ut opes fractæ Teucrum, & fortuna receſſit,*
» *Res Agamemnonias, uictriciaq́, arma ſecutus,*
» *Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro*
» *Vi potitur.*

¶ *In mortuos, in miſeros*] *ut de Mezentio ſcibit Virg. qui uiuos cum mortuis legatos mori ſinebat: nam ſic ait in* VIII. *Æn.*

Quid

» *Quid memorem infandos cædes, quid facta Tyranni*
» *Effera? Dij capiti ipſius, generiq́ reſeruent.*
» *Mortua quin etiam iungebat corpora uiuis*
» *Componens manibusq́ manus, atque oribus ora;*
» *Tormenti genus, & ſanie, taboq́ ſluentes*
» *Complexu in miſero longa ſic morte necabat.*

Non ne hoc facinus inauditum eſt? & à feris, barbarisq́ hominibus etiam alienum? ¶ In eos, qui neque lædere alium, nec ſe defendere potuerunt, ut in pueros, ſenes.] Vatinius in epiſtola ad Cic. facinus cuiuſdam ſceleſtiſs. hominis amplificat: quod ad hunc locum uehementer facere uidetur. De Catilio, inquit neſcio quid ad me ſcripſiſti deprecationis diligentiſſima: apage te cum noſtro Sex. Seruilio: nam mehercule ego illum quoque amo. Sed huiuſcemodi uos clientes huiuſmodi cauſſas recipitis? hominem unum crudeliſſimum, qui tot ingenuos, matresfamilias, ciues Ro. occidit, arripuit, diſperdidit, regiones uaſtauit. ¶ Nonus locus] locus iſte ex comparatione appellatur, nam crimen cum crimine confertur & maius hoc illo eſſe dicitur. Ut apud Saluſtium Cato. Apud maiores noſtros, inquit, A. Manilius Torquatus bello Gallico filium ſuum, quòd is contra imperium in hoſtem pugnauerat, necari iuſſit: atque ille egregius adoleſcens moderata fortitudinis pœnas dedit. Vos de crudeliſſimis parricidis quid ſtatuatis cunctamini? Huc etiam acciri poteſt illud Cic. inuect. prima in Cat. P. Scipio Pont. Max. Tib. Gracchum mediocriter labefactantem Rempublicam priuatus interfecit; Catilinam orbem terræ cæde, atque incendijs uaſtare cupientem nos coss. perferemus? ¶ Et ita per contentionem] rectè per contentionem: nam locus iſte per comparationem tractatur, quæ contentionis amantiſſima eſt: habet enim contentio uerba uerbis contraria. ¶ Decimus locus eſt] hunc locum quidam collectionem appellarunt: ob id, quia in eo tractando, quid ante rem, in re, & poſt rem factum ſit, colligitur. in oratione pro Milone, in Inuect. contra Catilinam multa colligi poſſunt huiuſmodi exempla, ea forma, & figura dicendi pertractata, vt planè delineare, totumq́ negotium ob oculos audientium geri uideatur. ¶ Vndecimus locus eſt, per quem oſtendimus ab eo factum, à quo minime oportuerit] quidam hunc locum indecentiam, nonnulli inconuenientiam appellant, Q. Metellus in Epiſt. Fam. queritur, ſe ab ijs male tractari, à quibus minime conueniebat: factum illud hoc modo amplificat. Exiſtimaram pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia neque me abſentem ludibrio læſum iri, nec Metellum fratrem ob dictum, capite, ac fortunis per te oppugnatum iri: quem ſi parum pudor ipſius defendebat, uel familiæ debebat noſtræ dignitas, uel meum ſtudium erga uos, remq́ pub. ſatis ſubileuare.

leuare. nunc uideo illum circumuentum, me deſertum, à quibus minime conueniebat. Iulius Cæſar cum à percuſſoribus feriretur, animaduertiſſetq; ſe à Bruto percuti, queſtus eſt de illo inquiens. καὶ σὺ τέκνον; perinde ac ſi dixiſſet, non decere, ſed immane facinus eſſe à filio parentem occidi. Nam Brutus Cæſaris filius eſſe putabatur propter Seruiliam, quam Cæſar amauit. queritur et apud Euripidem Hecuba Polydorum à Rege Thraciæ occiſum, quem ſæpenumero ipſa benigne hoſpicio ſuſceperat. perinde ac ſi diceret, ſi alios parum decebat filium meum occidere, tanto minus hoſpitem, & à me multis beneficijs affectum. Verſus Euripidis hoc habent.

» κοινῆς τραπέζης πολλάκις τυχὼν ἐμοὶ,
» ξενίας τ' ἀριθμῷ, πρῶτα τῶν ἐμῶν φίλων.

Tu reliqua lege apud Euripidem, ſatis eſt enim mihi indicaſſe locum. ¶ Duodecimus locus eſt, per quem indignamur, quod nobis hoc primis acciderit] Hic locus à ſuperiore quodam modo comprehendi uidetur. cuius multa extant apud Tragicos, & Comicos poetas exempla. Sed ille Homeri locus ex Il. ω. ad hunc locum maxime facit; ubi Priamus cum Achille conqueritur, ſe perpeſſum fuiſſe, quæ nemo alius unquam paſſus eſt. Sic enim ait.

» Ἔτλην δ' οἷ' οὔπω τις ἐπιχθόνιος βροτὸς ἄλλος
» Ἀνδρὸς παιδοφόνοιο, ποτὶ ςόμα χεῖρ' ὀρέγεσθαι.

¶ Tertius decimus locus eſt, ſi cum iniuria contumelia iuncta demonſtratur.] Uti apud Terentium in Adelphis Sannio de Æſchine adoleſcente.

» *Prò ſupreme Iupiter*
» *Minimè miror, qui inſanire occipiunt ex iniuria.*
» *Domo me eripuit, uerberauit, me inuito abduxit meam i*
» *Homini miſero plus quingentos colapſos infregit mihi.*
» *Ob malefacta hæc tantidem emptam poſtulat ſibi tradier.*

non planè diſſimile eſt illud Cic. in Uerr. act. v. Retinere ſolitus erat aratores, atque ab ijs non modo per iniuriam, ſed etiam per contumeliam tantum exprimere frumenti, quantum Apronius imperaſſet. ¶ Quartus decimus locus eſt] hunc locum non nulli conuerſionem appellant. ¶ Vt ad ſuas res noſtras iniurias referant] Vt in alieno malo ſuas calamitates conſiderent, exempla huic loco T. Liuij orationes, & Verrinæ Cic. abundè ſuppeditabunt. Sed & Lyſias orator clariſſimus cum ſe ipſum de Heratoſtenis adulteri nece defenderet, inter initia ſuæ orationis optat, ut iudices iniuriam ſuam ad ſuas iniurias referant: cum ita ferè ait. Plurimi certe facerem, Uiri Athenienſes, ſi tales uos iudices mea in cauſſa præberetis, quales ueſtram, ubi eiuſmodi ſitis contumelia affecti, ſuſciperetis. profectò, graue eſt uidere aut parentes, aut liberos, aut uxorem in primis ab alijs peſſime

ſime tractari. hinc propterea eſt, quòd Æneas in 2. Æn. de matre ualde conqueritur, cum ait.

» *Hocce erat alma parens, quòd me per tela, per igneis*
» *Eripis? vt medijs hoſtem in penetralibus, utq́;*
» *Aſcaniumq́;, patremq́; meum iuxtaq́; Creuſam*
» *Alterum in alterius mactatos ſanguine cernam?*

Chorœbus in eodem lib. Caſſandram ſibi deſponſatam ab hoſtibus raptari pati non poteſt.

» *Non tulit hanc ſpeciem furiata mente Chorœbus*
» *Et ſe ſe in medium iniecit moriturus in agmen.*

¶ *Quintus decimus locus eſt, per quem dicimus inimicis quoque, & hoſtibus ea, quæ nobis acciderint, indigna uideri.*] *locus iſte indignationem commiſerationi admixtam habere uidetur. quam ob rem illud Virgilianum ab hoc loco minime abhorrere uidetur.*

» *Quis talia fando*
» *Mirmidonum, Dolopum ue, aut duri miles Vlyſſis,*
Temperet à lacrymis? ¶ *Et indignatio quidem*] μετάβασιν *facit ad conqueſtionem.* ¶ *Conqueſtio eſt oratio*] *Definitio conqueſtionis: quam alij commiſerationem: nonnulli miſericordiam, Græci* ἔλεον *uocant.* ¶ *Hac primum animum auditoris mitem*) *Ariſtotelis in 3. de Arte Rhet. (ut ante admonuimus) docet primam perorationis partem eſſe, ut conciliemus nobis, auertamusq́; ab aduerſario iudices.* ¶ *Id locis communibus efficere oportebit*] *qui ex ui potiſſimum fortunæ, & ex hominum infirmitate ducuntur. hosq́; in ſexdecim partes Cic. diſtribuit. vt patet in textu.* ¶ *Primus locus eſt miſericordia, perquem quibus in bonis fuerint, & nunc quibus in malis ſint, oſtenditur.*] *hic locus à commutatione fortunæ appellari poteſt. quo uſus eſt frequenter Cic. cum alibi, tum maxime in Oratione pro P. Sylla. cum ait. O miſerum, & infilicem illum diem, quo conſul omnibus centurijs. P. Sylla renuntiatus eſt: O fálſam ſpem, ò uolucrem fortunam, ò cæcam cupiditatem, ò præpoſteram gratulationem. quàm cito illa omnia ex lætitia, & uoluptate ad luctum, & lacrymas reciderunt: ne qui paulo ante coss. deſignatus fuiſſet, retineret repente nullum ueſtigium priſtinæ dignitatis? & alia, quæ ſequuntur. quibus non poterat profectò expreſſius fortunæ commutationem oſtendere. talis eſt illa Æneæ deploratio per locum communem apud Virg. in 1. Æn.*

» *Sum pius Æneas, raptòs qui ex hoſte penates*
» *Claſſe ueho mecum, fama ſuper æthera notus.*
» *Bis denis Phrygium conſcendi nauibus æquor*
» *Matre dea monſtrante uiam, data fata ſecutus.*

Vix

» *Ciuitas, nutrix, ſcipio, dux uiæ.*

¶ *Quartus] hic locus cum ſecundo cognationis quodam uinculo continetur: nam & ipſe eſt ex diſtributione temporum: uariaq́ requirit exempla propter rerum uarietatem. rem turpem, humilem, & illiberalem, indignam ætate, genere, fortuna, priſtino honore protulit Homerus, ſummo cum miſericordiæ affectu Il. 10. cum Priamum ſenem, ditiſſimumq́ Regem ſupplicem inducit ad pedes Achillis petere corpus Hectoris filij ſui. Quod egregie quoque, nec abſque conqueſtionis affectu Virgilius ſignificauit in 1. libro Æn. cum ait.*

» *Tum uerò ingentem gemitum dat pectore ab imo,*
» *Vt ſpolia, vt currus, vtq́ ipſum corpus amici,*
» *Tendentemq́ manus Priamum conſpexit inermes.*

Rem priſtino honore, ſummiſq́ illius in rempub. meritis indignam paſſum fuiſſe Milonem Cic. per conqueſtionis affectum deſcribit: cum nec animi fortitudinem illius in tribunatu, nec beneficiorum magnitudinem in rempub. ſatis eum ſubleuare potuiſſe ait, quò minus in exilium ageretur. Plebem, inquit, & infimam multitudinem, quæ P. Clodio duce fortunis ueſtris imminebat, eam, quo tutior eſſet uita ueſtra, ſe feciſſe commemorat; vt non modo uirtute flecteret; ſed etiam tribus ſuis patrimoniis deliniret: nec timet, ne, cum plebē muneribus placarit; uos non conciliarit meritis in remp. ſingularibus ¶ *Quintus, per quem omnia ante oculos ſingillatim incommoda ponentur.] ex deploratione locus iſte appellatur, per* ὑποτύπωσιν *ad quem facere uidetur illud Virgilianum in 2. Æn. de Laocoonte, eiusq́ filijs à ſerpentibus deuoratis: ita enim negotij circunſtantias, & caſum deſcribit, vt ante oculos legentium fieri uideatur.*

» *Diffugimus uiſu exangues. illi agmine certo*
» *Laocoonta petunt: & primum parua duorum*
» *Corpora natorum ſerpens complexus uterque*
» *Implicat, & miſeros morſu depaſcitur artus.*
» *Poſt ipſum auxilio ſubeuntem, ac tela ferentem*
» *Corripiunt, ſpiriſq́ ligant ingentibus: et iam*
» *Bis medium amplexi, bis collo ſquamea circum*
» *Terga dati ſuperant capite, & ceruicibus altis.*
» *Ille ſimul manibus tendit diuellere nodos*
» *Perfuſus ſanie uittas, atroq́ ueneno.*
» *Clamores ſimul horrendos ad Sydera tollit.*
» *Quales mugitus, fugit cum ſaucius aras*
» *Taurus, & incertam excuſſit ceruice ſecurim.*

huc ſimiliter aduocari poteſt illud Cic. in Oratione pro Roſcio Am. Pa-

ter occiſus nefarie, domus obſeſſa, ab inimicis bona adempta, poſſeſſa, direpta, filij uita infeſta, ſæpe ferro, atque inſidijs appetita. ❡ Sextus, per quem præter ſpem] locus eſt ex euentu præter ſpem, quo utitur Cic. cum alibi, tum in oratione pro Milone, cum ait. Quid enim nobis duobus iudices laborioſius? quid magis ſolicitum, magis exercitum dici, aut fingi poteſt? qui ſpe ampliſſimorum præmiorum ad rempub. adducti, metu crudeliſſimorum exitiorum carere non poſſumus: & quidem ceteras tempeſtates, et procellas in illis duntaxat fluctibus concionum ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas, quòd ſemper pro bonis contra improbos ſenſerat, in iudicio uerò, & in eo conſilio, in quo ex cunctis ordinibus ampliſſimi uiri iudicarent, nunquam exiſtimaui ſpem ullam eſſe habituros Milonis inimicos. Sed huiuſmodi exemplis plenus eſt Virgilius. ❡ Septimus, per quem ad ipſos, qui audiunt] hic locus appellatur ex conuerſione, quo ſæpe numero quidem utitur Homerus. ſed in primis. Il. ω. ſub perſona Priami cum ait.

» μνῆσαι πατρὸς σεῖο θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ,
» τηλίκου, ὥσπερ ἐγὼν ὀλοῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ.
» καὶ μέν πού κεῖνον περιναίεται ἀμφὶς ἐόντες
» τείρουσ', οὐδέ τίς ἐστιν ἀρὴν καὶ λοιγὸν ἀμῦναι.

Et paulò infra

» Ἀλλ' αἰδεῖο θεοὺς Ἀχιλλεῦ αὐτόν, τ' ἐλέησον
» μνησάμενος σοῦ πατρὸς.

Idem facit Virg. ex perſona Turni 12. Æn.

» Equidem merui, nec deprecor, inquit.
» Vtere ſorte tua. miſeri te ſi qua parentis
» Tangere cura poteſt, oro: fuit & tibi talis
» Anchiſes genitor: Dauni miſerere ſenectæ.

❡ Octauus, per quem aliquid dicitur] locus iſte appellatur ex deploratione ſingulorum, quæ in geſtione negotij ſunt: quo modo, ſe ipſe declarat inquiens. ❡ Non affui, non uidi.] hunc locum eleganter expreſſit Maro in IX. Æn. ex perſona matris Euriali, quæ filij ſui caſū acerbiſſimū ita deplorat.

» Nec te tua funera mater.
» Produxi: preſſi'ue oculos, aut uulnera laui,
» Veſte tegens: tibi quam noctes feſtina, dieſq;
» Vrgebam, & tela curas ſolabar aniles.

❡ Item inimicorum in manibus mortuus eſt, hoſtili in terra turpiter iacuit inſepultus.] hac quoque amplificatione conqueſtionis uſus eſt Maro libro ſuperius citato. ex eademmet mulieris perſona.

» Heu terra ignota canibus data præda Latinis,
» Alitibuſq; iaces.

❡ Nonus

¶ *Nonus, per quem oratio ad mutas, & animi expertes res refertur.*] *hic locus ex* προσωποποΐια *dici poteſt.* ¶ *Vt ſi ad equum.*] *Vt apud Virg. Mezentius facit. in* 10. *Æn.*

» *Rhœbe diu, res ſi qua diu mortalibus ulla eſt,*
» *Viximus:*

& quæ ſequuntur. ¶ *Domum*] *hinc eſt illa Virgiliana exclamatio in.* 2. *Æn. ex perſona Æneæ.*

» *O' patria, ò diuum domus Ilium, & inclyta bello*
» *Mœnia Dardanidum.*

& apud Euripidem Menelaus in Oreſte.

» *O' domus, partim quidem te libens aſpicio*
» *Troia reuerſus, partim uerò uidens ingemiſco:*
» *Vndiq; enim implicatam miſeris malis*
» *Nunquam aliam magis uidi domum.*

uel ſi mauis græce.

» ὦ δῶμα, τῇ μὲν σ' ἡδέως προσδέρκομαι
» πρόσθεν ἐλθὼν, τῇ δ' ἰδὼν κατασένω.
» κύκλῳ γὰρ εἱλιχθεῖσαν ἀθλίοις κακοῖς
» οὐ πώποτ' ἄλλην μᾶλλον εἶδον ἑςίαν.

¶ *Veſtem*] *Vt apud Virg. in* 4. *Æn. Dido facit, quæ moritura hunc in modum ſuas, Æneæq; exuuias alloquitur.*

» *Dulces exuuiæ, dum fata, deusq; ſinebant,*
» *Accipite hanc animam, meq; his exoluite curis.*

¶ *Decimus, per quem inopia, infirmitas, ſolitudo demonſtratur*] *& hic locus ex deploratione eſt per* ὑποτύπωσιν. *cuius exemplũ eſt apud Virg. in* 1. *Æn.*

» *Ignari hominumq;, locorumq;*
» *Erramus, uento huc, uaſtis & fluctibus acti.*

& infra.

» *Ipſe ignotus, egens, Lybiæ deſerta peragro,*
» *Europa, atque Aſia pulſus.*

¶ *Vndecimus, per quem aut liberorum, aut parentum, aut ſui corporis ſepeliendi*] *locus iſte ex commendatione ſumitur. Apud Terentium in And. Chryſis moriens Pamphilo Glycerium commendat.*

» *Quod ego per hanc te dextram oro, & genium tuum,*
» *Per tuam fidem, perq; huius ſolitudinem*
» *Te obteſtor, ne abs te hanc ſegreges, neu deſeras.*

Item Mezentius in 10. *Æn. corpus ſuum commendat Æneæ.*

» *Unum hoc per, ſi qua eſt uictis uenia hoſtibus, oro;*
» *Corpus humo patiare tegi.*

Item Achemenides in 3. Æn.

» *per ſydera teſtor*
» *Per ſuperos, atque hoc cæli ſpirabile lumen,*
» *Tollite me Teucri, quaſcunque abducite terras.*
» *Hoc ſat erit.*

¶ Quintusdecimus] ex pietate in alios. quo utitur Cic. in Verrem, qui cum patrem, filiumq́; ultimo ſupplicio affeciſſet, pater de morte filij, filius de morte patris querebatur. Grandis, inquit, natu parens adductus ad ſupplicium, ex altera parte filius. Flebat uterque non de ſuo ſupplicio, ſed pater de filij morte, de patris filius. & pro Milone dicens, illum ait magis de republicæ, quàm de ſua ſalute perturbari. Hecuba apud Euripidem Vlyſſem, alioſq́; Græcos rogat, vt ſeipſam potius, quàm filiam interficiant. Sic enim ait.

» *Vos ò Vlyſſes hanc quidem non interficite,*
» *Me uerò ducentes ad pyram Achillis*
» *Pungite, ne parcite*

¶ Sextusdecimus] Cicero pro Milone. Quid reſtat? niſi ut orem, & obteſter uos iudices, vt eam miſericordiam tribuatis fortiſſ. uiro, quam ipſe non implorat. & mox. Nolite, ſi in ueſtro omnium fletu nullam lacrymam aſpexiſtis Milonis, ſi uultum ſemper eundem, ſi uocem ſi orationem ſtabilem, ac non mutatam uidetis, hoc minus ei parcere, atque haud ſcio, an multo etiam ſit adiuuandus magis. ¶ Quemadmodum enim dixit rhetor Apollonius, lacryma nil citius areſcit] Verba Apollonij græca iſta ſunt. οὐδὲν τάχιον ξηραίνεσθαι δακρύου.

FINIS PRIMI LIBRI.

M. TVLLII CICERONIS DE INVENTIONE LIBER II.

CROTONIATAE quondam, cum florerent omnibus copiis, & in Italia cum in primis beati numerarentur, templum Iunonis, quod religioſiſsime colebant, egregiis picturis locupletare uoluerunt. Itaque Heracleoten Zeuxim, qui tum longe ceteris excellere pictoribus exiſtimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is & ceteras tabulas complures pinxit (quarum nonnulla pars, uſque ad noſtram memoriam propter fani religionem remanſit) &, ut excellentem muliebris formæ pulchritudinem muta in ſeſe imago contineret, Helenæ ſe pingere ſimulacrum uelle dixit. Quod Crotoniatæ, qui eum muliebri in corpore pingendo plurimum aliis præſtare ſæpe accepiſſent, libenter audierunt. Putauerunt enim eum, ſi, quo in genere plurimum poſſet, in eo magnopere elaboraſſet, egregium ſibi opus illo in fano relicturum. Neque tum eos illa opinio fefellit. Nam Zeuxis illico quæſiuit ab eis quaſnam uirgines formoſas haberent. Illi autem ſtatim hominem duxerunt in paleſtram, atque ei pueros oſtenderunt multos magna præditos dignitate. Etenim quodam tempore Crotoniatæ multum omnibus corporum uiribus, & dignitatibus anteſteterunt, atque honeſtiſsimas ex gymnico certamine uictorias domum cum maxima laude retulerunt. Cum puerorum igitur formas, & corpora magno hic opere miraretur; Horum, inquiunt illi, ſorores ſunt apud nos uirgines. Quare qua ſint illæ dignitate, potes ex his ſuſpicari. Præbete igitur mihi quæſo, inquit, ex iſtis uirginibus formoſiſsimas, dum pingo id, quod pollicitus ſum uobis, ut mutum in ſimulacrum ex animali exemplo ueritas transferatur. Tunc Crotoniatæ publico de conſilio uirgines unum in locum conduxerunt, & pictori, quas uellet eligendi poteſtatem dederunt. Ille autem quinque delegit, quarum nomina multi poetæ memoriæ tradiderunt, quòd eius eſſent iudicio probatæ, qui ueriſsimum pulchritudinis habere iudicium

dicium debuiſſet. Neque enim putauit omnia, quæ quæreret ad uenuſtatem, uno in corpore ſe reperire poſſe, ideo quòd nihil ſimplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expoliuit. itaque tanquam ceteris non ſit habitura quod largiatur, ſi uni cuncta conceſſerit, aliud alii commodi aliquo adiuncto incommodo muneratur. Quod quoniam nobis quoque uoluntatis accidit, ut artem dicendi perſcriberemus, non unum aliquod propoſuimus exemplum, cuius omnes partes, quocunque eſſent in genere, exprimendæ nobis neceſſario uiderentur: ſed omnibus unum in locum coactis ſcriptoribus, quod quiſque commodiſsime præcipere uidebatur, excerpſimus, & ex uariis ingeniis, excellentiſsima quæque libauimus. Ex his enim qui nomine, & memoria digni ſunt, nec nihil optime, nec omnia præclariſsime quiſquam dicere nobis uidebatur. Quapropter ſtultitia nobis uiſa eſt, aut à bene inuentis alicuius recedere, ſi quo in uitio eius offenderemur; aut ad uitia quoque eius accedere, cuius aliquo bene præcepto duceremur. Quòd ſi in ceteris quoque ſtudiis à multis eligere homines commodiſsimum quodque, quàm ſeſe uni alicui certo uellent addicere; minus in arrogantiam offenderent, non tantopere in uitiis perſeuerarent, aliquanto ex inſcitia leuius laborarent. Ac ſi par in nobis huius artis, atque in illo picturæ ſcientia fuiſſet; fortaſſe magis hoc ſuo in genere opus noſtrum, quàm ille in ſua pictura nobilis eniteret. Ex maiore enim copia nobis, quàm illi, fuit exemplorum eligendi poteſtas. Ille una ex urbe, & ex eo numero uirginum, quæ tum erant, eligere potuit: nobis omnium quicunque fuerunt ab ultimo principio huius præceptionis, uſque ad hoc tempus expoſitis copiis, quodcunque placeret, eligendi poteſtas fuit. Ac ueteres quidem ſcriptores artis uſque ab principe illo, atque inuentore Tyſia repetitos, unum in locum conduxit Ariſtoteles, & nominatim cuiuſque præcepta magna conquiſita cura perſpicue conſcripſit, atque enodata diligenter expoſuit: ac tantum inuentoribus ipſis ſuauitate, & breuitate dicendi præſtitit, ut nemo illorum præcepta ex ipſorum libris cognoſcat, ſed omnes, qui, quod illi præcipiant, uelint intelligere, ad hunc, quaſi ad quendam multo commodiorem explicatorem reuertantur. Atque hic quidem ipſe & ſeſe ipſum nobis, & eos, qui ante ſe fuerant, in medio poſuit, ut ceteros, & ſeipſum per ſe cognoſceremus. Ab hoc autem, qui profecti ſunt, quanquam in maximis philoſo-

phiæ

phiæ partibus operæ plurimum conſumpſerunt, ſicut & ipſe, cuius inſtituta ſequebantur, fecerat; tamen per multa nobis præcepta dicendi reliquerunt. Atque alii quoque alio ex fonte præceptores dicendi emanauerunt: qui item per multum ad dicendum, ſi quid ars proficit, opitulati ſunt. Nam fuit tempore eodem, quo Ariſtoteles, magnus & nobilis rhetor Iſocrates: cuius ipſius quam conſtet eſſe artem, non inuenimus. Diſcipulorum autem, atque eorum, qui protinus ab hac ſunt diſciplina profecti, multa de arte præcepta reperimus. Ex his duabus diuerſis, ſicuti familiis, quarum altera cum uerſaretur in philoſophia, nonnullam rhetoricæ quoque artis ſibi curam aſſumebat, altera uerò omnis in dicendi erat ſtudio, & præceptione occupata: unum quoddam eſt conflatum genus à poſterioribus: qui ab utriſque ea, quæ commode dici uidebantur, in ſuas artes contulerunt: quos ipſos ſimul atque illos ſuperiores nos nobis omnes, quoad facultas tulit, propoſuimus, & ex noſtro quoque nonnihil in commune contulimus. Quòd ſi ea, quæ in his libris exponuntur, tantopere eligenda fuerunt, quanto ſtudio electa ſunt; profecto neque nos, neque alios induſtriæ noſtræ pœnitebit. Sin autem temere aliquid alicuius prætériiſſe, aut non ſatis eleganter ſecuti uidebimur; docti ab aliquo facile, & libenter ſententiam commutabimus. Non enim parum cognoſſe, ſed in parum cognito ſtulte, & diu perſeueraſſe turpe eſt: propterea quòd alterum communi hominum infirmitati, alterum ſingulari uniuſcuiuſque uitio eſt attributum. Quare nos quidem ſine ulla affirmatione ſimul quærentes dubitanter unumquodque dicemus, ne, dum paruulum hoc conſequimur, ut ſatis commode hæc perſcripſiſſe uideamur; illud amittamus, quod maximum eſt, ut ne cui rei temere, atque arroganter aſſenſerimus. Verùm hoc quidem nos, & in hoc tempore; & in omni uita ſtudioſe, quoad facultas feret, conſequemur: nunc autem, ne longius oratio progreſſa uideatur, de reliquis, quæ præcipienda uidentur eſſe, dicemus. Igitur primus liber expoſito genere huius artis, & officio, & fine, & materia, & partibus, genera controuerſiarum, & inuentiones, & conſtitutiones continebat. Deinde partes orationis, & in eas omnes omnia præcepta. Quare cũ in eo ceteris de rebus diſtinctius dictum ſit, diſperſe autem de confirmatione, & de reprehenſione; nunc certos confirmandi, & reprehendendi in ſingula cauſſarum genera locos tradendos arbitramur. Et

quia,

quia, quo pacto tractari conueniret argumentationes, in libro primo non indiligenter expoſitum eſt, hic tantum ipſa inuenta unamquanque in rem exponentur ſimpliciter ſine ulla exornatione, ut ex hoc inuenta ipſa, ex ſuperiore autem expolitio inuentorum petatur. Quare hæc, quæ nunc præcipientur, ad confirmationis, & reprehenſionis partes referre oportebit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NASCIMBAENI
NASCIMBAENII
IN SECVNDVM M. TVLLII CICERONIS DE INVENTIONE LIBRVM COMMENTARIVS.

CROTONIATAE *quondam] in hoc proœmio (quod profecto elegantiſſimum eſt) Cicero ex uarijs auctoribus, qui de arte dicendi perſcripſerunt, quæ præcepta conuenirent, in hos libros ſe contuliſſe profitetur exemplo Zeuſidis Heracleotis; qui à Crotoniatis, ut Iunonis templum egregijs picturis illuſtraret, pretio conductus, cum Helenæ ſimulacrum illis pingere decreuiſſet, ex quinque uirginibus forma præſtantibus exemplar ſumpſit: ut quod in ſingulis pulcherrimum erat, id in mutum ſimulacrum pingendo transferret. Zeuſidi tamen præfert opus ſuum Cicero: quòd ipſe præteriti, præſentisq́; temporis ſcriptores, nec unius linguæ, ſed Græcos, & Latinos, Zeuſis uerò ex una tantum ciuitate, & ſuæ ætatis eligendi uirgines facultatem habuit. Crotoniatæ populi ſunt Italiæ, Strabone auctore, in ſinu Tarentino. ¶ Et in Italia cum in primis beati numerarentur] inter Italiæ populos propter diuitias beati iudicarentur. ¶ Templum Iunonis] templum Iunonis Laciniæ intelligit; quod eſt in Italia inter Adriaticum, & Ionium mare, à Lacinio latrone (uti Theocriti interpres ait) cognominatum: quem cum Hercules occidiſſet, expiato loco Iunoni templum conſtituit. Virgilius in 3. Æn.*

» *Hinc ſinus Herculei, ſi uera eſt fama, Tarenti*
» *Cernitur, attollit ſe diua Lacinia contra.*

¶ Egregijs picturis locupletare] multis picturis, illisq́; egregijs ornare. ¶ Ita-

que Heracleoten Zeuſim] Plinius libro Nat. hiſt. 35. cap. 9. hanc quoque hiſtoriam deſcribit: ſed non à Crotoniatis, uerum ab Agrigentinis condu ctum fuiſſe memorat. Itaque ualde miror, hos duos ſcriptores alioqui doctiſſ. ac fide digniſſ. uariare, Nam Crotoniatæ, uti iam dictum eſt, populi ſunt in ſinu Tarentino poſiti, Agrigentini uero Siciliæ. uerba Plinij ita habent. Deprehenditur tamen Zeuſis grandior in capitibus, articuliſq́; alioquin tantus diligentia, vt Agrigentinis facturus tabulam, quam in templo Iunonis Laciniæ publice dicarent, inſpexerit uirgines eorum nudas, & quinque elegerit: vt quod in quaque laudatiſſ. eſſet, pictura redderet. hæc Plinius. ¶ Qui tum longe ceteris] Plinius libro 35. cap. 9. ¶ Conductum adhibuerunt] conduxerunt. proba, elegansq́; locutio. ¶ Helenæ ſe pingere ſimulacrum] Hoc Helenæ ſimulacrum eſt, (niſi fortè aliud quoque Helenæ ſimulacrum pinxit) quod Zeuſis ſpectatum admittebat nemi nem, niſi qui manu pretium dediſſet. ob idque uulgo tunc Zeuſidis Helena meretrix uocata; quoniam quæſtuaria. Politianus Miſcell. cap. 74. Cælius Rhod. lib. 10 cap. 67. Plin. lib. 35. cap. 10. ſcriptum reliquit, Helenam manu Zeuſidis pictam ſuis temporibus Romæ in Philippi porticibus fuiſſe. neque illud tacite prætereundum eſt, quod Valerius Max. de Zeuſi ſcriptum reliquit libro 3. quòd cum Helenam pinxiſſet, quid homines de illa ſentirent, expectare noluit: ſed Homeri uerſibus additis, talem ſe eam pinxiſſe credidit, qualem aut Læda pepererat, aut Homerus deſcripſerat. ¶ Etenim quodam tempore] uetus adagium eſt; Crotone ſalubrius. quod inde ortum eſſe Strabo iudicat libro. 6. quia Crotoniatarum locus ad ſalubritatem plurimum conferat; hoc argumento ſuffultus, quod breui temporis interuallo quamplurimos produxerit tum athletas, tum philoſophos: hoc eſt corporibus pariter, atque animo præſtantes uiros; inter athletas, præcipuum Milonem, inter philoſophos, Pythagoram.

¶ Atque honeſtiſſ. ex gymnico certamine uictorias] Strabo libro ſuperius adducto Crotoniatas athletis exercendis operam dediſſe memorat, adeò vt in Olympico certamine ſeptem uiri, qui reliquos uirtute præſtit erant, omnes pariter fuerint Crotoniatæ: quæ res adagio locum fecit. Qui Crotoniatarum poſtremus eſt, is reliquorum Græcorum primus eſt. quo ſignificari uidetur Crotoniatas tanto interuallo præcedere reliquos Græcos, vt qui in illis infimus ſit, in iis poſſit uideri primus. ¶ Quæ ſint illæ dignitate] hic obſeruandum eſt, dignitatem de mulieribus, quoque dici. Nam Cic. in primo de off. duo pulchritudinis genera facit, quorum alterum dignitatis, alterum uenuſtatis nomine appellat. dignitas uirilis eſt pulchritudo; uenuſtas uerò muliebris.

¶ Neque enim putauit omnia, quæ quæreret] cur non unam, ſed quin-

que

que delegerit uirgines Zeuſis, cauſſam aſſignat: quam ex defectu naturæ deducit. nihil eſt enim ſub globo lunæ tam undique abſolutum, cui non aliquid uel addi, uel minui poſſit.

¶ Muneratur.] impertit, dono dat. Cic. ad Att. lib. epiſt. 7. me opipare muneratus eſt. ¶ Quod quoniã nobis quoque] per adaptationem comparationis, quam ſuo accommodat inſtituto, attentionem ſibi comparat, & beneuolentiam à ſua perſona, & ex rebus ipſis. ¶ Ex ijs enim, qui nomine, & memoria] cur magis ex multis, quàm ex uno rhetorices præcepta excipere maluerit, planũ facit: quia unus, inquit, non omnia egregie, aliqua tamen optime perſcribere poteſt. ¶ Quapropter ſtultitia] eos non immeritò refellit, qui multa ab aliquo præclare inuenta negligunt, ſi quid aliquando peſſime dixerit, aut ſi quid optimè ſcripſerit, ob id omnia eius uitia imitari uolunt. ¶ Quod ſi in cæteris] oſtendit in quacunque ſtudij, ac diſciplinæ ratione utilius, atque hõneſtius eſſe ex multis auctoribus quod commodum & probabile eſt deligere, quam uni alicui certo ſe ſe auctori deſtinare. ¶ In arrogantiam offenderent] ex arrogantia peccarent: uel in arrogantiam inciderent. ¶ Ac ſi par in nobis] alteram proœmij partem aggreditur, quam per extenuationem, quæ Græcis μείωσις dicitur, & per comparationem tractare uidetur. Nam ſe longe minus iudicat in arte dicendi excellere, quàm Zeuſis in pictura excelluerit, idq; comprobat ab effectu, quòd in ſe non tantopere luceat ars, & facultas oratoria, quantopere in Zeuſi pictura ſplendeſcit. ¶ Ex maiore enim copia] rationem à facultate confirmat; quam amplificando per comparationem à loco, à tempore, numeroq; deſumptam exornat. ¶ Ille una ex urbe.] Zeuſis ex una Crotone urbe. ¶ Ab ultimo principio huius præceptionis] ex remoto principio. hoc eſt, ex quo cœpta ſunt rhetoricæ facultatis documenta tradi. nam duplex principium eſt. remotum, & propinquum. à remoto principio auſpicari idem eſt, quod Horatius in poetica dixit ab ouo ordiri.

» Et gemino bellum Troianum orditur ab ouo.

¶ Ac ueteres quidem ſcriptores artis] quoniam obijci poterat, non ex omnibus, qui de arte ſcripſerunt, præcepta artis depromi poſſe, cum fortaſſe ex illis uetuſtiſſ. artis ſcriptoribus deſiderentur, multi, huic obiectioni προληπτικῶς occurrit, hoc ex uno Ariſtotele commode percipi poſſe: qui omnes huiuſce facultatis ſcriptores uſque ad ſuam ætatem unum in locum conduxit.

¶ A principe illo, atque inuentore Tiſia] non artis rhetoricæ inuentorem Tiſiam intelligit, & ſi eum principem, & inuentorem appellat: non enim artis inuentor extitit, ſed primus artis præcepta docuit. Ergo præceptorum artis inuentor, & doctor primus. Nam cum ſublatis in Sicilia tyrannis priuatæ res longo interuallo iudicijs repeterentur, Corax, & Ti-

ſias Siculi prima rhetoricæ facultatis præcepta tradiderunt. quis autem rhetoricam primus inuenerit, ſcriptores certant, & ad huc ſub iudice lis eſt. Ægyptij hoc inuentum Mercurio tribuerunt. Ariſtoteles Empedoclem auctorem facit. ſed utcunque, Lyſias primus hanc artem profeſſus eſt. Antiphon primus omnium ſcripſit, indeq́; magnam (auctore Thucydide) laudem aſſecutus eſt; ſed lege Platonem in Phædro. ¶ In medio poſuit] in communem uſum, vt in primo de Nat. Deorum. ponam in medio ſententias philoſophorum. alias afferre in medium dixit Cicero.

¶ Ab hoc qui profecti ſunt] Theophraſtus, & alij multi.

¶ In maximis philoſophiæ partibus.] in difficilibus, ut quæ natura occulta inueſtigant inferiora, & ſuperiora.

¶ Tamen permulta nobis præcepta dicendi reliquerunt] Theophraſtus, uti Laertius memorat, inter cætera, quæ ſcripſit, librum quoque rhetoricæ artis reliquit. idem alij Ariſtotelis diſcipuli fecerunt. ¶ Atque alij quoque alio ex fonte] Diſcipulos Iſocratis deſignat, ut ipſemet Cicero inferius aperte declarat.

¶ Magnus, & nobilis rhetor Iſocrates] doctus, & præclarus, cuius inuidia ductus Ariſtoteles pomeridianis horis rhetoricam docere cœpit. cum diceret αἰσχρὸν ἡμᾶς σιωπᾶν, καὶ Ισοκράτην ὁμιλεῖν. cuius domus, ut inquit Cic. in Oratore, patuit cunctæ Græciæ quaſi ludus, atque officina dicendi. Ipſe uerò in diuerſo dicendi genere adeo nitidus, & comptus fuit, ut omnes dicendi ueneres aſſecutus fuiſſe diceretur. ¶ Ex ijs duabus quaſi familijs] Ariſtotelis, & Iſocratis. ¶ Altera] Ariſtotelis. ¶ Altera uerò] Iſocratis.

¶ Non enim parum cognoſſe] uerißima ſententia eſt: cui etiam ſubſcribit Fabius Quint. Fruſtra, inquit, nati eſſemus, niſi in dies meliora inueniremus. Hippocrates, Cicero, alijq́; multi libros à ſe editos alijs ſcriptis damnarunt: ne poſteri errarent; ſapientißimeq́; feciſſe iudicati ſunt. ¶ Quare nos quidem.] concludit ſe nihil eſſe affirmaturum. nam cum hominis ferè proprium ſit errore labi; ſapientis eſt in rebus difficillimis nihil affirmare, ſed omnia, more Academicorum, ſub dubitatione relinquere; ne cui forte arroganter, ac temere aſſenſiſſe uideatur. ¶ Igitur primus liber.] κατὰ μετάβασιν, quæ in primo libro dicta ſunt, ſummatim colligit, & quæ in ſecundo dicturus ſit, breuiter oſtendit. ¶ Expoſito genere huius artis] qualitatem artis deſignat: id eſt qualis, quantaque ſit rhetorica: quam antea partem ciuilis rationis appellauit. ¶ Et partibus] qualitatis, id eſt officijs oratoris; quæ Græcis τὰ ἔργα τοῦ ῥήτορος appellari docuimus. ¶ Genera controuerſiarum] iudiciale, deliberatiuum, demonſtratiuum, quibus accedunt etiam partes qualitatis, admirabile, honeſtum, turpe, & reliqua. quæ genera cauſſarum appellauit. ¶ Et inuentiones] Victorinus explicans hunc lo-

cum

cum, nam, inquit, de quinq; partibus orationis ſolam inuentionem tractat, quibus uerbis quid ſibi uelit non intelligo, ſatisq; apparet, uim huius loci ignoraſſe. ego uerò crediderim inuentiones, non argumentum, ut quidam falſo exiſtimant, ſed intentionem in primis, & depulſionem eſſe intelligendas. Nam propoſita controuerſia, conſiderandum eſt primum, an cauſſa conſiſtat; quod ex intentione, & depulſione cognoſcitur. intentio eſt, ut antea docuimus, prima pars, cum auctor proponit & facit litem. hanc Græci κατάφασιν appellant. Depulſio eſt reſponſio rei: quam illi ἀπόφασιν uocant; quarum altera ἐκ τοῦ αἰτίου i. ex cauſſa: altera uerò ἐκ τοῦ συνέχοντος, id eſt, ex continente naſcitur. Cum igitur ex intentione, & depulſione omnis controuerſia, id eſt conſtitutio, ſiue quæſtio fiat, meritò inuentiones appellantur. hoc autem ita eſſe facile ex textu intelligi poteſt. nam ſequitur & conſtitutiones. ¶ Hic tantum ipſa inuenta.] id eſt argumenta, nam in partitionibus argumentum appellat probabile inuentum ad faciendam fidem.

OMNIS & demonſtratiua, & deliberatiua, & iudicialis cauſſa neceſſe eſt in aliquo eorum, quæ ante expoſita ſunt, conſtitutionis genere uno, pluribusue uerſetur. Hoc quanquam ita eſt, tamen cum communiter quædam de omnibus præcipi poſsint, ſeparatim quoque aliæ ſunt cuiuſque generis, & diuerſæ præceptiones. Aliud enim laus, aut uituperatio, aliud ſententiæ dictio, aliud accuſatio, aut recuſatio conficere debet. In iudiciis quid æquum ſit, quæritur. In demonſtrationibus, quid honeſtum. In deliberationibus, ut nos arbitramur, quid honeſtum ſit, & quid utile. Nam ceteri utilitatis modo finem in ſuadendo, & in diſſuadendo exponi oportere arbitrati ſunt. Quorum igitur generum fines, & exitus diuerſi ſunt, eorum præcepta eadem eſſe non poſſunt. Neque nunc hoc dicimus, non eaſdem incidere conſtitutiones: ueruntamen oratio quædam ex ipſo fine, & genere cauſſæ naſcitur, quæ pertineat ad uitæ alicuius demonſtrationem, aut ad ſententiæ dictionem. Quare nunc in exponendis controuerſiis in iudiciali genere cauſſarum, & præceptorum uerſabimur. Ex quo pleraque in cetera quoque cauſſarum genera ſimili implicita controuerſia nulla cum difficultate transferentur: poſt autem ſeparatim de reliquis dicemus. Nunc à coniecturali conſtitutione proficiſcemur, cuius exemplum ſit hoc expoſitum: In itinere quidam proficiſcentem ad mercatum quendam, & ſecum aliquantum nummorum ferentem eſt comitatus: cum hoc, ut ferè fit, in uia ſermonem contulit: ex quo factum eſt, ut illud iter familiarius facere uellent. Quare cum in quandam

dam tabernam diuertiſſent, ſimul cænare, & in eodem loco ſomnum capere uoluerunt. Cænati diſcubuerunt ibidem. Caupo autem (nam ita dicitur poſt inuentum, cum in alio maleficio deprehenſus eſſet) cum illum alterum, uidelicet qui nummos haberet, animaduertiſſet, noctu poſtquam illos arctius, ut fit, iam ex laſsitudine dormire ſenſit, acceſsit, & alterius eorum, qui ſine nummis erat, gladium propter appoſitum è uagina eduxit, & illum alterum occidit, nummos abſtulit, gladium cruentum in uaginam recondidit, ipſe ſeſe in lectum ſuum recepit. Ille autem, cuius gladio occiſio erat facta, multò ante lucem ſurrexit, comitem illum ſuum inclamauit ſemel, & ſæpius, illum ſomno impeditum non reſpondere exiſtimauit, ipſe gladium, & cetera, quæ ſecum attulerat, ſuſtulit: ſolus profectus eſt. Caupo non multò poſt conclamauit hominem eſſe occiſum, & cum quibuſdam diuerſoribus illum, qui ante exierat, conſequitur: in itinere hominem comprehendit, gladium eius è uagina educit, reperit cruentum: homo in urbē ab illis deducitur, ac reus fit. In hac intentio eſt criminis, Occidiſti. Depulſio, Non occidi. Ex quibus conſtitutio eſt. Quæſtio eadem in coniecturali, quæ iudicatio, Occiderit'ne. Nunc exponemus locos, quorum pars aliqua in omnem coniecturalem incidit controuerſiam. Hoc autem, & in horum locorum expoſitione, & in ceterorum oportebit attendere, non omnes in omnem cauſſam conuenire. Vt enim omne nomen ex aliquibus, non ex omnibus literis ſcribitur; ſic omnem in cauſſam non omnis argumentorum copia, ſed eorum neceſſaria pars aliqua conueniet.

¶ OMNIS *& demonſtratiua & deliberatiua, & iudicialis cauſſa, neceſſe eſt, in aliquo eorum, quæ ante expoſita ſunt, conſtitutionis genere uno, pluribus'ue uerſetur] non dicit cauſſarum genera tria conſtitutionibus eſſe ſubiecta: nam ſecus eſt; ſed cum in primo lib. genera fuerit complexus communiterq́, de illis præceperit, hic ad ſpecies argumenta reuocat, & quid ſingulis cauſſarum conſtitutionibus conueniat, copioſe demonſtrat. ¶ Cum communiter quadam.] quia iudiciali genere reliqua comprehenduntur. ¶ Aliud enim laus] αἰτιολογία eſt. ¶ In iudicijs quid equum ſit] rem magis perſpicuam facit ſingulorum generū ſingulos fines declarans. ¶ Nam ceteri utilitatis modo finem.] Ariſtotelē præcipue intelligit: qui in primo libro de arte rhetorica utilitatem deliberatiui generis finem ponit. ipſe uerò utile ab honeſto non ſegregat: neque ſegregandum putat. ¶ Quorum igitur.] Concludit diuerſis finibus diuerſa quoque conuenire*

præcepta

præcepta. ❡ *Neque nunc hoc dicimus*] προληπτικῶς *obiectionem occupat. nam occurri poſſet in tria cauſſarum genera eaſdem cõſtitutiones incidere, igitur communiter, non ſeparatim de omnibus præcipi debere.*

❡ *Uerum tamen*] *Soluit obiectionem, non omnem orationem naſci ex conſtitutione; ſed demonſtratiuam, deliberatiuamq́ orationem aliquando ex fine, & genere, id eſt ex qualitate conſiderari.* ❡ *In itinere quidam proficiſcentem.*] *coniecturalis conſtitutionis exemplum eſt; ſanè prudenter conſtitutionum exempla in hunc librum distulit: ubi earum quoque tractandarum rationem, modumq́ docet. illud quoque obiter dignum obſeruatione duxerim, hic exempla in ſingulas conſtitutiones dari quidem, ſed non eadem tantum tractari, uerum communia eſſe præcepta. exempli gratia ſi coniecturæ alicuius exemplum ponat, præcepta huiuſcemodi tradit, ut non illi tantum coniecturæ, cuius allatum eſt exemplum, conueniant; ſed coniecturis omnibus. ita quoque de reliquis conſtitutionibus intelligendum eſt.* ❡ *In hac intentio eſt criminis*] *ea ſeparatim proſequitur, quæ in primo libro communiter inuenienda eſſe præcepit. non enim aliunde controuerſia naſci poteſt, quàm ex intentione, & depulſione.* ❡ *Nunc exponemus locos.*] *attentionis locus eſt.* ❡ *Hoc autem & in horum locorum*] *eſt ſilua communis locorum in omnes cauſſas, uti in primo libro uiſum eſt: eſt & ſeparata ſingularum conſtitutionum, quæ tamen ex communi ſumitur. Sed quemadmodum non omnia loca communia ſunt omnium cauſſarum; ita nec ſeparata omnia in omnem cauſſam conueniunt. Verbi cauſſa coniecturæ tria ſunt loca. cauſſa, uita, factum, ex quibus quæ neceſſaria ad cauſſam fuerint argumenta, in quanlibet coniecturam (nam uarij generis coniecturæ ſunt) transferentur.* ❡ *Ut enim omne nomen*] αἰτιολογία *eſt ex ſimilitudine deducta.*

Omnis igitur, ex cauſſa, ex perſona, ex facto ipſo, coniectura capienda eſt. Cauſſa diſtribuitur in impulſionem, & in ratiocinationem. Impulſio eſt, quæ ſine cogitatione per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur: ut amor, iracundia, ægritudo, uinolentia, & omnino omnia, in quibus animus ita uidetur affectus fuiſſe, ut rem perſpicere, cum conſilio, & cura non potuerit: & id, quod fecit, impetu quodam animi potius, quàm cogitatione fecerit. Ratiocinatio autem eſt diligens, & conſiderata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio. Ea dicitur tũ interfuiſſe, cum aliquid faciendum, aut non faciendum certa de cauſſa uitaſſe, aut ſecutus eſſe animus uidetur, ut ſi amicitiæ quid cauſſa factum dicetur, ſi inimici ulciſcendi, ſi metus, ſi gloriæ, ſi pecuniæ, ſi denique, ut omnia generatim amplectamur, alicuius

reti-

retinendi, augendi, adipiſcendi ue, commodi, aut contra reiicien di, diminuendi, deuitandi ue incommodi cauſſa. Nam horum in genus alterutrum illa quoque incident, in quibus aut incommo dum aliquod maioris uitandi incommodi cauſſa, aut maioris adi piſcendi cõmodi ſuſcipitur, aut maioris uitãdi incõmodi præteri tur. Hic locus ſicut aliquod fundamentũ eſt huius conſtitutionis: nam nihil factum eſſe cuiquam probatur, niſi aliquid, quare factum ſit, oſtenditur. Ergo accuſator, cum aliquid impulſione factum eſſe dicet, illum impetum, & quandam commotionem ani mi, affectionemque uerbis, & ſententiis amplificare debebit, & oſtendere quanta uis amoris ſit, quanta animi perturbatio ex ira cundia fiat, aut ex aliqua cauſſa earum, qua impulſum aliquem id feciſſe dicet. Hic & exemplorum commemoratione, qui ſimili impulſu aliquid commiſerint, & ſimilitudinum collatione, & ipſius animi affectionis explicatione curandum eſt, ut non mirum uideatur, ſi quod ad facinus tali perturbatione commotus animus acceſſerit. Cum autem non impulſione, uerum ratiocinatione aliquem commiſiſſe quid dicet, quid commodi ſit ſecutus, aut quid incommodi fugerit, demonſtrabit, & id augebit quammaxime poterit, ut quoad eius fieri poſsit, idonea quammaxime cauſſa ad peccandum hortata uideatur. Si gloriæ cauſſa, quantam gloriam conſecuturam exiſtimarit. Item ſi dominationis, ſi pecuniæ, ſi amicitiæ, ſi inimicitiarum, & omnino quicquid erit, quod cauſſæ fuiſſe dicet, id ſumme augere debebit. Et hoc eum magno pere conſiderare oportebit, non quid in ueritate modo, uerum etiam uehementius, quid in opinione eius, quem arguet, fuerit. Nihil enim refert non fuiſſe, aut non eſſe aliquid commodi, aut incommodi, ſi oſtendi poteſt ei uiſum eſſe, qui arguatur. Nam opinio dupliciter fallit homines, cum aut res aliuſmodi eſt, ac putatur; aut non is euentus eſt, quem arbitrati ſunt. Res aliuſmodi eſt tum, cum aut id, quod bonum eſt, malum putant: aut contra, quod malum eſt, bonum: aut quod nec malum eſt, nec bonum, malum, aut bonum: aut quod malum, aut bonum eſt, nec malum, nec bonum. Hoc intellecto, ſi quis negabit ullam eſſe pecuniam fratris, aut amici uita, aut denique officio ſuo antiquiorem, aut ſuauiorem, non erit hoc accuſatori negandum. Nam in eum culpa, & ſummum odium transferetur, qui id, quod tam uere, & pie dicetur, negabit. Verum illud dicendum erit, illi non eſſe ita uiſum: quod ſumi oportet ex iis, quæ ad perſonam pertinẽt:

de

de quo poſt dicendum eſt. Euentus autem tum fallit, cum aliter accidit, atque ii, qui arguuntur, arbitrati eſſe dicuntur: ut ſi quis dicatur alium occidiſſe, ac uoluerit, quòd aut ſimilitudine, aut ſuſpicione, aut demonſtratione falſa deceptus ſit: aut eum necaſſe, cuius teſtamento non ſit hæres, quòd eius teſtamento ſe hæredem arbitratus ſit. Non enim ex euentu cogitationem ſpectari oportere, ſed qua cogitatione, & ſpe ad maleficium profectus ſit, conſiderare: & quo animo quid quiſque faciat, non quo caſu utatur, ad rem pertinere. In hoc autem loco, caput illud erit accuſatori, ſi demonſtrare poterit, alii nemini cauſam fuiſſe faciendi. Secundarium, ſi tantam, aut tam idoneam nemini. Sin fuiſſe aliis quoque cauſa faciendi uidebitur; aut poteſtas aliis defuiſſe demonſtranda eſt, aut facultas, aut uoluntas. Poteſtas; ſi aut neſciſſe, aut non affuiſſe, aut conficere aliquid non potuiſſe dicetur. Facultas; ſi ratio, adiutores, adiumenta, & cetera, quæ ad rem pertinebunt, defuiſſe alicui demonſtrabuntur. Voluntas; ſi animus à talibus factis uacuus, & integer eſſe dicetur. Poſtremò, quas ad defenſionem rationes reo dabimus, iis accuſator ad alios ex culpa eximendos abutetur. Verùm id breui faciendum eſt, & in unum multa ſunt conducenda, ut ne alterius defendendi cauſſa hunc accuſare, ſed huius accuſandi cauſſa defendere alterum uideatur. Atque accuſatori quidem hæc ferè ſunt in cauſſa facienda, & conſideranda. Defenſor autem ex contrario: primum impulſionem aut nullam fuiſſe dicet, aut ſi fuiſſe concedet, extenuabit, & paruulam quandam fuiſſe demonſtrabit, aut non ex ea ſolere huiuſmodi facta naſci, docebit. Quo erit in loco demonſtrandum, quæ uis, & natura eius ſit affectionis, qua impulſus aliquid reus commiſiſſe dicetur: in quo & exempla, & ſimilitudines erunt proferendæ, & ipſa diligenter natura eius affectionis quamleuiſsime quietiſsimam ad partem explicanda: ut & res ipſa à facto crudeli, & turbulento ad quoddam mitius, & tranquillius traducatur, & oratio tamen ad animum eius, qui audiet, & ad animi quendam intimum ſenſum accommodetur. Ratiocinationis autem ſuſpiciones infirmabit, ſi aut commodum nullum fuiſſe, aut parum, aut aliis magis fuiſſe, aut nihilo ſibi magis, quàm aliis, aut incommodum ſibi maius, quàm commodum dicet, ut nequaquam fuerit illius commodi, quod expetitum dicatur, magnitudo, aut cum eo incommodo, quod acciderit, aut cum illo periculo, quod ſubeatur, compa-

randa: qui omnes loci ſimiliter incommodi quoque uitatione tractabuntur. Sin accuſator dixerit, eum id eſſe ſecutum, quod ei uiſum ſit commodum, aut id ſugiſſe. quod putarit eſſe incommodum; quanquam in falſa fuerit opinione, demonſtrandum erit defenſori, neminem tantæ eſſe ſtultitiæ, qui tali in re poſsit ueritatem ignorare. Quòd ſi id concedatur, illud non conceſſum iri, nec dubitaſſe quidem hunc, quid eius iuris eſſet, ſed id, quod falſum fuerit, ſine ulla dubitatione pro falſo; quod uerum, pro uero probaſſe. Quòd ſi dubitauerit, ſummæ fuiſſe amentiæ, dubia ſpe impulſum certum in periculum ſe committere. Quemadmodum autem accuſator, cum ab aliis culpam dimouebit, defenſoris locis utetur: ſic iis locis, qui accuſatori dati ſunt, utetur reus, cum in alios ab ſe crimen uolet transferre. Ex perſona autem coiectura capietur, ſi eæ res, quæ perſonis attributæ ſunt, diligenter conſiderabuntur, quas omnes in primo libro expoſuimus. nam & de nomine nonnunquam aliquid ſuſpicionis naſcitur. Nomen autem cum dicimus, cognomen quoque intelligatur oportet. De hominis enim certo, & proprio uocabulo agitur: ut ſi dicamus idcirco aliquem Callidium uocari, quòd temerario, & repentino conſilio ſit: aut ſi ea de re hominibus Græcos imperitis uerba dediſſe, quòd Clodius, aut Cæcilius, aut Mutius uocarentur. Et de natura licet aliquantulum ducere ſuſpicionis. omnia enim hæc, uir, an mulier, huius, an illius ciuitatis ſit, quibus ſit maioribus, quibus conſanguineis, qua ætate, quo animo, quo corpore, quæ naturæ ſunt attributa, ad aliquā coniecturam faciendam pertinebunt. Et ex uictu multæ trahuntur ſuſpiciones, cum quemadmodum, & apud quos, & à quibus educatus, & eruditus ſit, quæritur, & quibuſcum uiuat, qua ratione uitæ, quo more domeſtico uiuat. Et ex fortuna ſæpe argumentatio naſcitur, cum ſeruus, an liber; pecunioſus, an pauper; nobilis, an ignobilis; felix, an infelix; priuatus, an cum poteſtate ſit, aut fuerit, aut futurus ſit; conſideratur: aut denique aliquid eorum quæritur, quæ fortunæ eſſe attributa intelliguntur. Habitus autem, quoniam in aliqua perfecta, & conſtanti animi, aut corporis abſolutione conſiſtit; quo in genere eſt uirtus, ſcientia, & quæ contraria ſunt; res ipſa cauſſa poſita docebit, ecquid hic quoque locus ſuſpicionis oſtendat. Nam affectionis quidem ratio perſpicuam ſolet per ſe gerere coniecturam, ut amor, iracundia, moleſtia: propterea quòd & ipſorum uis intelligitur,

ligitur, & quæ res harum aliquam rem conſequantur, faciles cognitu ſunt. Studium autem, quoniam eſt aſsidua, & uehemens ad aliquam rem applicata magna cum uoluntate occupatio; facile ex eo ducetur argumentatio, quam res ipſa deſiderabit in cauſſa. Item ex conſilio ſumetur aliquid ſuſpicionis. Nam conſilium eſt aliquid faciendi, non faciendi' ue excogitata ratio. Item facta & caſus, & orationes, quæ ſunt omnia (ut in confirmationis præceptis dictum eſt) in tria tempora diſtributa, facile erit uidere, ecquid afferant ad coniecturam confirmandam ſuſpicionis. Ac perſonis quidẽ res eæ ſunt attributæ: ex quibus omnibus unum in locum coactis, accuſatoris erit improbatione hominis uti. Nam cauſſa facti parum firmitudinis habet, niſi animus eius, qui inſimulatur, in eam ſuſpicionem adducetur, ut à tali culpa non uideatur abhorruiſſe. Vt enim animum alicuius improbare nihil attinet, cum cauſa, quare peccauerit, non interceſſerit; ſic cauſſam peccati intercedere leue eſt, ſi animus nulli minus honeſtæ rationi affinis oſtenditur. Quare uitam eius, quem arguit, ex ante factis accuſator improbare debebit, & oſtendere, ſi quo in pari ante peccato conuictus ſit. Si id non poterit, ſi quam in ſimilem ante ſuſpicionem uenerit, ac maxime, ſi fieri poterit, ſimili aliquo in genere eiuſmodi cauſa aliqua commotum peccaſſe, aut in æque magna re, aut in maiore, aut in minore: ut ſi quis pecunia dicat inductum feciſſe, poſsit demonſtrare, aliqua in re, eius aliquod factum auarum. Item in omni cauſa naturam, aut uictum, aut ſtudium, aut fortunam, aut aliquid eorum, quæ perſonis attributa ſunt, ad eam cauſſam, qua commotum peccaſſe dicet, adiungere, atque ex diſpari quoque genere culparum, ſi ex pari ſumendi facultas non erit, improbare animum aduerſarii oportebit: ſi auaritia inductum arguas feciſſe, & auarum eũ, quem accuſes, demonſtrare non poſsis; aliis affinem eſſe uitiis doceas, & ex ea re nõ eſſe mirandum, qui in illa re turpis, aut cupidus, aut petulans fuerit, hac quoque in re eũ deliquiſſe. Quantũ enim de honeſtate, & auctoritate eius, qui arguitur, detractum eſt, tantum de facultate totius eſt defenſionis diminutum. Si nulli affinis poterit uitio reus ante admiſſo demonſtrari, locus inducetur ille, per quem hortandi iudices erunt, ut ueterem famam hominis nihil ad rem putent pertinere: nam eum ante celaſſe, nunc manifeſto teneri: quare non oportere hanc rem ex ſuperiori uita ſpectari, ſed ſuperiorem uitam ex hac re improbari, &

aut poteſtatem ante peccandi non fuiſſe, aut cauſſam. Aut ſi hæc dici non poterunt; dicendum erit illud extremum, non eſſe mirum, ſi nunc primum deliquerit. Nam neceſſe eſt eum, qui uelit peccare, aliquando primum delinquere. Sin uita ante acta ignorabitur, hoc loco præterito, & cur prætereatur demonſtrato, argumentis accuſationem ſtatim confirmare oportebit.

¶O MNIS *igitur ex cauſſa, ex perſona, ex facto ipſo coniectura capienda eſt*] *hic perſona præponitur cauſſa. ſed de cauſſa prius, an de perſona dicendum ſit, quæſitum eſt, ut ait Fabius; uarieq́; ab oratoribus factum eſt. à Cicerone idem ait prælatas frequentiſſime cauſſas fuiſſe; ſibi uerò magis placere, ſi à perſona incipiatur. hic tamen Cicero cauſſæ prius præcepta tradit, quàm perſonæ. tria igitur proponit coniecturæ loca: & rectè profectò ſentit. Verum tamen res tota (ſi diligenter expendatur) ad minorem numerum redigi poteſt. Nam duo præcipue loca eſſe uidentur, in quibus coniecturalis cauſſa tota uerſatur, uoluntas, & facultas. in tota oratione Cic. pro Milone diſſeritur partim de uoluntate Clodij, quòd uoluerit Milonem occidere; partim de facultate, quòd Clodius potuerit inſidias facere, Milo non potuerit. Atque ij quidem loci ex natura ducti uidentur. Nam in omnibus hominum actionibus neceſſe eſt uoluntatem, et facultatem concurrere. facultas ſigna, & circunſtantias habet; de quibus in primo commentario affatim dictum eſt. Voluntas uerò has duas ſpecies complectitur, de quibus Cicero in præſentia diſputat, impulſionem, & ratiocinationem. Impulſio affectus continet; odium, iram, alia quoque: ut amorem, ebrietatem. Vt Vlyſſes oderat Palamedem, ergo cupiebat eum extinctū eſſe. ratiocinatio uerò à finali cauſſa ſumitur, per quam deducitur argumentum à ſpe commodi. nam humanæ mentes plurimum mouentur opinione utilitatis. Vt Apud Virg. Pygmalion, & Polymneſtor: quorum alter Sicheum, alter Polydorum auri potiundi cauſſa necauit. de uoluntate, & facultate diſputat etiam Ariſt. in 2. de arte rhet. ubi de argumentis factum coniectura oſtendentibus uerba facit. Item cap. 28. primi libri, ubi de ſeptem cauſſis humanarum rerum agit. Cicero in partitionibus coniecturam in duas partes diſtribuit, in cauſſam, & euentum.* ¶*Cauſſa diſtribuitur in impulſionem, & ratiocinationem*] *hanc diuiſionem approbaſſe uidetur iure conſultus; qui in lege Reſpiciendum §. penult. ff. de pœnis duobus modis, propoſito, aut impetu, delinqui ab hominibus ſolere, ſcriptum reliquit. Impulſionem Græci* ὀρεκτικὴν, *ratiocinationem uerò* λογικὴν αἰτίαν *appellant.* ¶*Vt ſi amicitia quid cauſſa u factum dicetur, ſi inimici ulciſcendi.*] *his duobus locis quadrare uidetur locus ille Virgilij in 2. Æn. de Sinone: qui cauſſa amicitiæ, quæ ſibi cum*

Palemede fuit, hoſtem Vlyſſem uelle ulciſci palam profitebatur.

» *Nec tacui demens: & me ſors ſi qua tuliſſet,*
» *Si patrios unquam remeaſſem uictor ad Argos,*
» *Promiſi ultorem: & uerbis odia aſpera moui.*

¶ Si metus] Vt de Vlyſſe contra Sinonem apud Virg. ¶ Si gloria] Vt de Manlio Capitolino: qui cum dicere ſoleret, ſe magna eſſe malle, quàm bonæ famæ, id non parum ſuſpicionis conſlare poterat tyrannidis affectatæ.

¶ Si pecunia] Vt pro Sex. Roſc. Am. in Enicium accuſatorem. Videant omnes, qua de cauſſa huic inimicus uenias, ſciunt huiuſce pecuniæ te adductum eſſe. ¶ Hic locus, ſicut aliquod fundamentum.] Cauſſa, inquit, eſt coniecturæ fundamentum. quam ob rem L. ille Caſſius Romanorum ſeueriſs. quærere ſolebat, cui bono, ¶ Ergo accuſator] accuſatoris, defenſoriſque locos, qui ad coniecturam faciunt, deſcribendos aggreditur. ¶ Et oſtendere quanta ſit uis amoris] ſi amore quiſpiam adductus feciſſe dicatur; amplificanda erit uis amoris: ut oſtendatur factum ueri ſimile eſſe. uis amoris deſcribitur à Marone Æn. 4.

» *Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?*
» *Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando*
» *Cogitur: & ſupplex animos ſubmittere amori.*

Sed longè efficacius uim amoris Apollonius Rhod. expreſſit lib. Arg. 4. cum ait.

» χέτλι' ἔρως μέγα πῆμα, μέγα σύγος ἀνθρώποισι
» ἐκ σέθεν ὐλόμεναι τ' ἔριδες, στοναχοί τε, γόοι τε
» Ἄλγεά τ' ἀλλ' ἐπὶ τοῖσιν ἀπείρονα τετρήχασι.

Colligitur præterea uis amoris exemplo Achillis ex primo Il. qui erepta ſibi Briſeide lacrymatur, Agamemnonem Regem conuicijs, & contumelijs afficit, nec pugnare uult. ¶ Quanta animi perturbatio ex iracundia fiat] cum huiuſmodi animorum impetus in iuuenibus magis, quàm in alijs cuiuſq; ætatis hominibus uigeant, non alienum fuerit uidere, quid ſcribat Ariſt. in 2. de arte rhet. de moribus iuuenum cap. 27. locum indicaui, ut à quocunque legi poſſit. Sed Horatius in primo libro carminum, quanta ſit iracundiæ uis, quantaq; animi perturbatio ex iracundia fiat, planum facit ea ode, cui initium eſt.

» *O matre pulchra filia pulchrior.*

¶ Hic & exemplorũ commemoratione] exempla ſuperius adducta de Didone, Achille, adde etiam de Medea, aptiſſima erunt, ſi uis amoris fuerit amplificanda. ſi uerò aliud aliquod factum, requirenda erunt exempla alia cauſſa conſentanea. Vt ſi iracundiæ affectus fuerit amplificandus, ex Horatio ſumendum erit exemplum, Ode paulo ante citata. nam ait.

Ira

» *Iræ Thyeſten exitio graui*
» *Strauere: & altis urbibus ultimæ*
» *Stetere cauſſæ, cur perirent*
» *Funditus, imprimeretq́; muris*
» *Hoſtile aratrum exercitus inſolens.*

¶ *Cum autem*] *quomodo ratiocinatio ab accuſatore tractari debeat, planum facit.* ¶ *Si gloriæ cauſſa*] *toti huic loco inuectiuæ Ciceronis in Catilinam exempla ſuppeditabunt.* ¶ *Et hoc magnopere conſiderare oportebit*] προληπτικῶς *obiectioni occurrit. quid ſi reus nullum commodum ex facto, cuius accuſatur, fuerit aſſecutus? reſpondet, Opinionem huiuſmodi in rebus uehementius, quàm rem conſiderari ſolere: propterea quia opinio homines decipit duobus præſertim modis, re, & euentu. re quidem quadruplici ratione: ſi malum putent, quod bonum eſt: uel ſi bonum, quod malum, uel neutrum; uel utrunque. Euentu uerò, cum aliter reſcadit, atque ipſi opinati fuerant. Dauus ille Terentianus in And. putat ſe poſſe decipere ſenem, ſed ipſum opinio fallit. propterea ait.*
» *Hac non ſucceſſit, alia aggrediemur uia.*

¶ *Hoc intellecto, ſi quis negabit.*] *Si defenſor dixerit, cum reus uel fratrē, uel amicum pecuniæ cauſſa occidiſſe dicatur, uitam fratris, a ut amici, pecunia ſibi cariorem eſſe, non hoc erit ab accuſatore negandum: nam id ualde probabile eſt; & qui rem maxime probabilem negat, culpam in ſe ipſe transfert, atque odium. Sed uidendum eſt, inquit, an quod bonum eſt, id reo bonum eſſe uiſum fuerit.* ¶ *Quod ſumi oportet ex iis, quæ ad perſonam pertinent.*] *hanc illi opinionem fuiſſe ex iis, quæ perſonis attributa ſunt, probari oportebit. Exempli gratia ab anteacta uita, à conſuetudine uiuendi, à fortuna, rebusq́; huiuſmodi aliis: nam quidam mores, & affectiones, ſecundum quas agunt, habent bonas, quidam contrà malas. Sed lege Ariſt. in primo libro de arte rhet. cap. 28. Vbi de ſeptem cauſſis humanarum rerum diſputat. ibi multa reperies, quæ ad hunc locum faciunt.* ¶ *Euentus autem.*] *altera pars opinionis: cum euentus negotii aliter cadit, quàm putarat reus: Quod dupliciter contingere poteſt, caſu, & cogitatione. Caſu quidem, vt ſi dicatur pro homine, quem uolebat, alium, quem nolebat, occidiſſe. quod triplici ratione euenire poſſe demonſtrat. Similitudine, quæ ſæpenumero hominem decipit. Vt C. Mutius ſimilitudine deceptus, cum ſcribam Porſenæ Regis eodem ferè ornatu unà cum Rege ſedentem pro Rege occidit. falſa ſuſpicione. tot ſunt, qui falſa ſuſpicione occiſi fuerunt, & in dies occiduntur, vt exemplis ſuperſederi poſſit. quot uiri ſuas uxores falſa ſuſpicione necarunt? quot eas antiquitus repudiarunt? idem quoq; de demonſtratione dici poteſt. Cogitatione uerò ſi quis*

dicatur

dicatur eum necaſſe, cuius quidem hæres Teſtamento non erat, ſed tamen ſe eſſe credebat; atque hæreditatem aſſecuturum ſperabat. huc acciri poteſt illud immane Pygmalionis facinus in re diuerſa, qui Sichæum occidit, ratus ſe illo occiſo, eius Theſauris potiri poſſe. Cicero in Oratione pro Sex. Roſcio diſputat, Erutium accuſatoris partes ſuſcepiſſe, quia putabat Roſcio patronum fore neminem, ſed cogitatio eum feſellit. Sic enim ait. Vnum illud ſpectaui, quod Chryſogonus aiebat, neminem iſti patronum futurum; de bonorum emptione, deq; ea ſocietate neminem eſſe, qui uerbum facere hoc tempore auderet. hæc te opinio falſa in iſtam fraudem impulit. non mehercule uerbum feciſſes, ſi tibi quenquam reſponſurum putaſſes. ¶ Si demonſtrari poterit, alij nemini cauſſam fuiſſe, aut tam idoneam nemini.] Ad hunc locum facit tota ferè illa Ciceronis diſputatio in Oratione pro Sex. Ro. contra T. Roſcium. ¶ Aut poteſtas alijs defuiſſe, demonſtranda eſt, aut facultas, aut uoluntas.] rectè tria iſta coniunxit. nam poteſtas abſque facultate eſſe non poteſt: nec ibi facultas requiritur, ubi uoluntas non adeſt. Oratio pro Sex. Roſcio ad hæc loca abundè argumenta ſubminiſtrabit. ¶ Quas ad defenſionem rationes reo dabimus.] quibus rationibus ad reum defendendum utemur, iiſdem accuſator ad alios utetur ex culpa eximendos, vt uidelicet planum faciat, ſolum reum in culpa eſſe, neque huius criminis cauſſam ad alium quenquam pertinere. ¶ Defenſor autem ex contrario] locos defenſoris exponendos aggreditur, eodemmet ordine, ac diſpoſitione, qua antea accuſatoris locos expoſuerat. ſunt autem quatuor, ut ex contextu colligi poteſt. negare, extenuare, negare affectum, affectionis naturam docere. ¶ Extenuabit] proprium eſt defenſoris rem extenuare, ſicuti contrà accuſatoris eſt amplificare, & ex muſca, quod aiunt, elephantum facere. Cicero in oratione pro Milone extenuat factum ſeruorum Milonis, qui Popam Licinium uulnerarant, cum ait. Quin etiam audiendus ſit Popa Licinius, neſcio quis de circo Maximo. Seruos Milonis apud ſe ebrios factos, ſibi confeſſos eſſe, de interficiendo Gn. Pompeio coniuraſſe, deinde poſtea ſe gladio percuſſum eſſe ab uno de illis, ne indicaret. Et paulo poſt ſubdit. Sed mirabar tamē credi Popæ, ebrioſorū confeſſionem ſeruorum audiri, uulnus in latere, quod acu punctum uideretur, pro ictu gladiatoris putari. Item in Oratione pro M. Cœlio miris modis obiectum impudicitiæ crimen attenuat, eiusque inuidiam tollit.

¶ Et oratio tamen ad animum eius.] hinc colligi poteſt, quod alibi Cicero admonet, oportere oratorem auditorum animos ualde exploratos habere. ¶ Ratiocinationis autem.] Sequuntur ratiocinationis loci, & quia in re, & in opinione ratiocinatio conſiſtit, primum rei, deinde opinionis loca ſcribendo complectitur. ſunt autem loca rei, ſi ex contextu rectè

colligantur,

colligantur, quinque. nullum commodum, paruum commodum, maius commodum, æque commodum, maius incommodum. quæ omnia ferè loca ex comparatione deducenda eſſe nos planè contextus admonet. ¶ Sin accuſator dixerit] opinionis aggreditur loca. ¶ Quòd ſi dubitauerit, ſummæ fuiſſe amentiæ] Cicero longa diſputatione per enumerationem multarum occaſionum probat Milonem Clodio inſidias non feciſſe, neque de eo occidendo cogitaſſe: nam cum multæ occaſiones illius impune occidendi Miloni contigerint, nec tamen occiderit, putare maximo cum periculo eum noluiſſe occidere, amentia eſt. Sic enim inquit Cicero. Quem ſi interficere noluiſſet, quantæ, quoties occaſiones, quàm præclaræ fuerunt? potuit ne, cum domum, ac deos penates ſuos illo oppugnante defenderet, iure ſe ulciſci? Enumeratis deinde aliis occaſionibus multis, denique concludit. quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc uoluit cum aliquorum querella; quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non eſt auſus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitauit occidere?

¶ Quemadmodum autem] Sunt quidam mutui loci, quibus mutuo accuſator, & reus, ſiue defenſor utuntur. ut ſi duo ſuſpecti eſſent criminis, & alterum accuſaret, alterum purgaret accuſator, in eo purgando ſicuti defenſoris locis uteretur, ita reus, cum ſe purgare, & à ſe in alios culpam transferre uelit, accuſatoris utitur locis. Cicero pro Sex. Roſcio Am. dicens, omnibus ferè accuſatoris locis utitur dum, ut Sex. Roſcium ſuſpicione parricidii liberet, omnem criminis ſuſpicionem in Titum, & Capitonem Roſcios trasferat. notior eſt locus, quàm adſcriptione indigeat. Demoſthenes in Oratione περὶ τοῦ ςεφάνου accuſatus ab Aeſchine, quòd eius ſuaſione Athenienſes cum Philippo Macedone pacem fecerant, hoc crimine ſe purgat, & Ariſtodemum, Philocratem, Fubulum, & Cteſiphontem illius pacis ſuaſores, & Æſchinis participes accuſat. notiſſimus eſt doctis locus. ¶ Ex perſona autem coniectura capietur] alter eſt coniecturæ locus, unde probationes uberius hauriri poſſunt, quàm ex ſuperiore. nam omnia attributa perſonis itidem loca complectitur: quæ licet ſuperiore libro diligenter expoſuerit, eadem tamen rurſus hic repetit, & quemadmodum illis tum accuſator, tum defenſor uti poſſit, oſtendit. ¶ Nam & de nomine nonunquam aliquid ſuſpicionis naſcitur] Vt de nomine Verris, quem, quòd uerrat, Cicero appellari dixit. Sed quæ in primo commentario ſuper attributis perſonis diximus, huc aduocari poterunt. ¶ Nomen cum dicimus, cognomen quoque intelligatur oportet] adde etiam agnomen, quod eſt familiæ nomen, unde non minus commode, quàm ex nomine, & cognomine trahi poſſunt. eſt cognomen non familiæ nomen, ut plerique falſo autumant, ſed quod ex euentu aliquo alicui imponitur. ut à de

uicta

uicta Numantia Numantinus; ab Aſia Aſiaticus, à torque detracto Torquatus, & huiuſmodi alia. Cicero in Oratione pro Sex. Roſcio Amerino. Nam duo iſti ſunt T. Roſcij, quorum alteri Capitoni cognomen eſt, alter, qui adeſt, magnus uocatur. Et in primo de Finibus. Neque cum Torquatum, qui hoc primus cognomen inuenerit, aut torquem illum hoſti detraxiſſe. Agnomen uerò, uti diximus, familia nomen eſt, ut Iulius, Licinius, Portius, Cornelius, & alij multi. unde agnati, qui per uirilis ſexus perſonas cognatione coniuncti ſunt. quaſi, ut inquit Caius iure conſultus, à patre congeniti. ¶ Vt ſi dicamus iccirco aliquem Caldum uocari] ueteres caldum, non calidum dicebant. Auguſtus in epiſtolis Cæſari ſcriptis emendatus eſt, quòd is calidum dicere, quàm caldum maluiſſet; non quia id non eſſet Latinum, ſed quia eſſet odioſum; & ut ipſe græco uerbo ſignificauit περίεργον, hoc eſt curioſum, & nimis affectatum. ex hoc igitur nomine quiſpiam deturpari poteſt: nam caldus pro temerario accipi quandoque poteſt. Simili quoque ratione Tiberius Biberius, Claudius Caldius, Nero Mero dictus eſt.

¶ Quod Clodius, aut Cæcilius, aut Mutius uocarentur] Clodius, quòd claudicet, uel corpore, uel animo, Cæcilius quòd cæcutiat, hoc eſt hebeti ſit ingenio, nulloq́; prorſus conſilio. Mutius, quòd mutilatus. idq́; etiam ad animum transferri poteſt. ¶ Omnia, hac uir, an mulier.] Natura partes enumerat: ex quibus coniectura trahi poteſt. ex ſexu etiam argumentamur: nam aliquid in fœmina probabile eſt, quod in homine uerisimile eſſe non poteſt. & è contrario: nam homicidium facilius in homine, beneficium in fœmina credas. ¶ Huius, an illius ciuitatis.] ciuitatum alia optime, aliæ peſſime audiunt. item nationibus, & gentibus proprij ſunt mores: nec idem in Barbaro, Romano, Græco, ſed aliud in alio probabile eſt. Sed lege, quæ in primo commentario diximus.

¶ Quibus maioribus, quibus conſanguineis] ex ijs quoque coniectura capi ſolet probitatis, & improbitatis; & profecto ad honeſte, turpiterq́; uiuendum probabiles cauſſæ fluunt. nam qui honeſtis maioribus, probitateq́; inſignibus natus eſt; is quoque probus, honeſtusq́; cenſeri ſolet. ac uti ex parentibus filij, & ex filijs parentes; ita quoque nepotes ex auis, minores ex maioribus honeſtari, deturpariq́; ſolent. Demoſthenes in oratione pro Corona, ideſt περὶ τοῦ στεφάνου accuſatus ab Aeſchine turpitudinis uitæ, ſe defendit à genere, petens ab Athenienſibus, ut ſi ab eis ipſe ſit cognitus melior, & ex melioribus ortus, quàm ſit Æſchines, ipſi ne credant Æſchini: ſi uerò talis exiſtimetur, qualem depinxit Æſchines, ab illis ſe condemnari non recuſat. quibus uerbis indicium facit, ſe uirum optimum eſſe, quòd optimis maioribus ſit natus. Æſchinem uerò peſſimum,

quòd infimo genere ſit natus, ideoq; illi minime credendum uerba Demoſthenis hoc habent. εἰ μὲν ἴστε με τοιοῦτον, οἷον οὗτος ᾐτιᾶτο, οὐ γὰρ ἄλλοθί που βεβίωκα, ἢ παρ᾽ ὑμῖν: μὴ δὲ φωνὴν ἀνάσχησθε, μήδ᾽ εἰ πάντα, τὰ κοινὰ ὑπερευπεπολίτευμαι: ἀλλ᾽ ἀναστάντες κατὰ ψηφίσασθε ἤδη. εἰ δὲ πολλῷ βελτίω, τούτου, καὶ ἐκ βελτιόνων, καὶ μηδενὸς τῶν μετρίων, ἵνα μηδὲν ἐπαχθὲς λέγω, χείρονα καὶ ἐμὲ, καὶ τοὺς ἐμοὺς ὑπειλήφατε, καὶ γινώσκετε: τούτῳ μὲν, μήδ᾽ ὑπὲρ τῶν ἄλλων πιστεύετε: δῆλον γὰρ, ὡς ὁμοίως ἅπαντ᾽ ἐπλάττετο: ἐμοὶ δ᾽ ἣν παρὰ πάντα τὸν χρόνον εὔνοιαν ἐνδεδείχατε ἐπὶ πολλῶν ἀγώνων τῶν πρότερον γεγενημένων, καὶ νυνὶ παράσχεσθε. *¶ Qua ætate] aliud alij ætati magis conuenit, alia alijs uitijs, uirtutibusq; ætas detinetur: quod tamen non ætatis cauſſa, uti antea ex Ariſtotele oſtendimus, contingere ſolet, uerum appetitionis impetu, cui ætas illa obnoxia eſt. Exempli gratia. adoleſcentibus iracundos, & libidinoſos, ſenibus uerò auaros eſſe uſu uenit, idq; non ætatis uitio, ſed appetitionum earum cauſſa, quæ adoleſcentibus, ſenibusq; natura ineſſe, conſueuerint; quam ob rem non ætas, ſed ætatis uitium incuſandum eſt.*

¶ Quo animo, quo corpore] commoda naturæ conſiderat, ſiue conſideranda monet: quæ quidem aut ſunt in animo, aut in corpore. adeas loca argumentorum in primo libro. ¶ Studium autem] locus iſte non tantum ſcientias, liberaleſq; diſciplinas, uerum etiam mechanicas artes complectitur. Nam ruſticus, forenſis, negotiator, miles, nauta, medicus, aliud, ut ait Fab. atque aliud efficiunt. Cicero ſuſpicionem minuit parricidij in Sex. Roſcio, quòd ruri uitam egerit, ac in agro colendo ſeſe exercuerit. quod genus uitæ plus ſimplicitatis, minus uitiorum habet. illud quoque intuendum admonet Fab. quid affectet quiſque, locuples uideri, an diſertus: iuſtus, an potens. ¶ Item ex conſilio ſumetur aliquid ſuſpicionis.] ſuſpicio ex conſilio ad eam partem argumentorum refertur, quam ex cauſſa deducimus: id quod liquidò ex conſequenti definitione perſpici poteſt. Nam Conſilij, & ratiocinationis, quæ eſt pars cauſſæ, eadem afferri definitio uidetur. ¶ Item facta, & caſus, & orationes] Hæc tribus temporibus conſiderari poſſe admonet; præterito, præſenti, futuro. Fabius duorum tantum meminit dictorum, & factorum præteriti, futuriq; temporis. ſed ex præteritis præſentia, ac futura conijcimus; nam qui aliquando occiderit, eum quoque in præſentia occidiſſe, occiſurumq; eſſe facile ſuſpicamur. Nam qui ſemel eſt improbus, in eodem maleficij genere ſemper improbus iudicatur. Trapezuntius, ut antea docuimus, quæ à præterito tempore trahuntur confirmationi maxime accommodari poſſe, quæ uerò à futuro, perorationi aptiora eſſe exiſtimat. ¶ Nam cauſſa facti] rationem aſſignat, quam ob rem ad reum accuſandum deducenda ſint à turpitudine uitæ argumenta: quia & ſi cauſſa extet facti, nec abſque cauſſa aliquid unquam fiat, unde

eſt illud Caſſianum, Cui bono, tamen ſola cauſſa fidẽ facere non poteſt reum peccaſſe, niſi alia quoque extent indicia, ex quibus conflari ſuſpicio poſſit, crimen à reo fuiſſe commiſſum: quæ quidem ſuſpicio ex turpitudine uitæ præſertim deduci ſolet. ¶ *Si quo in pari ante peccato conuictus ſit*] *ut ſi, cum in præſentia arguatur homicidij, oſtendi poſſit alias etiam occidiſſe. ad hunc locum facit totus ille in Oratione pro Sex. Roſcio Am. locus contra Capitonem. Audio, inquit, præterea non hanc ſuſpicionem in Capitonẽ nunc primum conferri, multas eſſe infames palmas, hanc primam eſſe tamen lemniſcatam, quæ Romæ deferatur: nullum eſſe modum hominis occidendi, quo ille non aliquot occiderit, multos ferro, multos ueneno. habeo etiã dicere, quem contra morem maiorum minorem annis 60. de ponte in Tyberim deiecerit.* ¶ *Si id non poterit*] *ubi effectus reperiri non poteſt; ibi ſuſpicio ualeat.* ¶ *Aut in æque magna re, aut in maiore, aut in minore*] *quo modo id intelligendum ſit, exemplo declarat, inquiens.* ¶ *Vt ſi quis pecunia dicat inductum fuiſſe*] *Pygmalionem pecuniæ cupiditate inductum Sichæo cædem obtuliſſe, ex eius auaritia Virgilius fidem fecit, cum in primo Æn. ita ait.*

» *Ille Sichæum*
» *Impius ante aras, atque auri cæcus amore*
» *Clam ferro incautum ſuperat.*

¶ *Item in omni cauſſa*] *hæc loca ad cauſſas probãdas adeo neceſſaria ſunt, uti ex omnibus ferè cum Ciceronis, tum Demoſth. Orationibus exempla haberi poſſint.* ¶ *Si ex pari ſumendi facultas non erit*] *Cicero in Oratione pro Sex. Roſcio cum T. Roſcium in ſuſpicionem cædis Sex. Roſcij adducere uellet, eum pauperem, auarum, audacemq́; eſſe monſtrauit. cum ait. Quid ſi accedit eodem, ut tenuis antea fueris? quid ſi, ut auarus? quid ſi, vt audax? mox ſubdit. tenuitas hominis eiuſmodi eſt, vt diſſimulari non queat. atque eo magis eluceat, quo magis occultatur. auaritiam præfers, qui ſocietatem coieris de municipis, cognatiq́; fortunis cum alieniſſimo; & alia, quæ ſequuntur. In oratione pro M. Cœlio cum aduerſarij plane probare nequirent, Cœlium Clodiæ uenenum dediſſe, Catilinæ familiaritatem obiecerunt.*

DEFENSOR autem primum, ſi poterit, debebit uitam eius, qui inſimulabitur, quam honeſtiſsimam demonſtrare. Id faciet, ſi oſtendet aliqua eius nota, & communia officia, quod genus in parentes, cognatos, amicos, affines, neceſſarios: etiam quæ magis rara, & eximia ſunt, ſi ab eo cum magno aliquo labore, aut periculo, aut utraque re, cum neceſſe non eſſet officii cauſſa; aut in rempub. aut in parentes, aut in aliquos eorum,

qui modo expoſiti ſunt, facta eſſe dicet. Deinde ſi nihil deliquiſſe, nulla cupiditate impeditum ab officio receſsiſſe. Quod eò confirmatius erit, ſi cum poteſtas impune aliquid faciendi minus honeſte fuiſſe dicetur, uoluntas ei faciendi demonſtrabitur abfuiſſe. Hoc autem ipſum genus erit eò firmius, ſi eo ipſo in genere, quo arguetur, integer antea fuiſſe demonſtrabitur: ut ſi cum auaritiæ cauſſa feciſſe arguatur, minime omni in uita pecuniæ cupidus fuiſſe doceatur. Hic illa magna cum grauitate inducetur indignatio, iuncta conqueſtioni, per quam miſerum facinus eſſe, & indignum demonſtrabitur, cum animus omni in uita fuerit à uitiis remotiſsimus, eam cauſſam putare, quæ homines audaces in fraudem rapere ſoleat, caſtiſsimum quoque hominem ad peccandum potuiſſe impellere: aut iniquum eſſe, & optimo cuique pernicioſiſsimum, nō uitam honeſte actam tali in tempore, quamplurimum prodeſſe, ſed ſubita ex criminatione, quæ confingi facile poſsit: non ex ante acta uita, quæ neque ad tempus fingi, neque ullo modo immutari poſsit, facere iudicium. Sin autem in ante acta uita aliquæ turpitudines erunt, aut falſo ueniſſe in eam exiſtimationem dicentur, aut ex aliquorum inuidia, aut obtrectatione, aut falſa opinione: aut imprudentiæ, neceſsitudini, aut perſuaſioni, adoleſcentiæ, aut alicui non malitioſæ animi affectioni attribuentur, aut diſsimili in genere uitiorum, ut animus non omnino integer, ſed à tali culpa remotus eſſe uideatur. Ac ſi nullo modo uitæ turpitudo, aut infamia leniri poterit oratione, negari oportebit de uita eius,& moribus quæri, ſed de eo crimine, quo de arguatur: quare ante factis omiſsis, illud, quod inſtet, agi oportere. Ex facto autem ipſo ſuſpiciones ducentur: ſi totius adminiſtratio negotii ex omnibus partibus pertentabitur: atque hæ ſuſpiciones partim ex negotio ſeparatim, partim communiter ex perſonis, atque ex negotio proficiſcentur. Ex negotio duci poterunt; ſi eas res, quæ negotiis attributæ ſunt, diligenter conſiderabimus. Ex iis igitur in hanc conſtitutionem conuenire uidentur genera eorum omnia, partes generum pleræque. Videre igitur primum oportebit, quæ ſint continentia cum ipſo negotio, hoc eſt, quæ ab re ſeparari non poſſunt. Quo in loco ſatis erit diligenter conſiderare, quid ſit ante rem factum,ex quo ſpes perficiendi nata,& faciendi facultas quæſita uideatur: quid in ipſa re gerenda, quid poſtea conſecutum ſit. Deinde ipſius eſt negotii geſtio pertractanda. Nam hoc genus

nus earum rerum, quæ negotio attributæ ſunt, ſecundo in loco nobis eſt expoſitum. Hoc ergo in genere ſpectabitur locus, tem pus, occaſio, facultas, quorum uniuſcuiuſque uis diligenter in confirmationis præceptis explicata eſt. Quare, ne aut hic non admonuiſſe, aut ne eadem iterum dixiſſe uideamur, breuiter de moſtrabimus, quid quaque in parte conſiderari oporteat. In lo co igitur opportunitas, in tempore longinquitas, in occaſione commoditas ad faciendum idonea, in facultate copia, & poteſtas earum rerum, propter quas aliquid facilius fit, aut ſine qui bus omnino confici non poteſt, conſideranda eſt. Deinde uiden dum eſt, quid adiunctum ſit negotio, hoc eſt, quid maius, quid minus, quid æque magnum ſit, quid ſimile: ex quibus coniectu ra quædam ducitur, ſi quemadmodum res maiores, minores, æque magnæ, ſimilesque agi ſoleant, diligenter conſiderabitur. Quo in genere euentus quoque uidendus erit: hoc eſt, quid ex unaquaque re ſoleat euenire, magnopere conſiderandum eſt, ut metus, lætitia, titubatio. Quarta autem pars erat ex iis, quas negotiis dicebamus eſſe attributas, conſecutio. In ea quæruntur ea, quæ geſtum negotium confeſtim, aut ex interuallo conſequuntur. In qua uidebimus, ecquæ conſuetudo ſit, ecquæ lex, ecquæ actio, ecquod eius rei artificium ſit, aut uſus, aut exerci tatio hominum, aut approbatio, aut offenſio, ex quibus nonnunquam elicitur aliquid ſuſpicionis. Sunt autem aliquæ ſuſpiciones, quæ communiter, & ex negotiorum, & ex perſonarum attributionibus ſumuntur. Nam ex fortuna, & ex natura, & ex uictu, ſtudio, factis, caſu, orationibus, conſilio, & ex habitu animi, aut corporis pleraque pertinent ad eaſdem res, quæ rem credibilem, aut incredibilem facere poſſunt, & cum facti ſuſpicione iunguntur. Maxime enim quæri oportet in hac conſtitutione. Primum potuerit ne aliquid fieri. Deinde ecquo ab alio po tuerit. Deinde facultas, de qua ante diximus. Deinde utrum id facinus ſit, quod pœnitere fuerit neceſſe. Item quod ſpem celan di haberet. Deinde neceſsitudo, in qua, num neceſſe fuerit id aut fieri, aut ita fieri, quæritur. Quorum pars ad conſilium pertinet, quod perſonis attributum eſt, ut in ea cauſſa, quam expoſuimus. Ante rem erit, quòd in itinere ſe tam familiariter appli cauerit, quòd ſermonis cauſſam quæſiuerit, quòd ſimul diuerterit, dehinc cœnarit. In re, nox, ſomnus. Poſt rem, quòd ſolus exierit, quòd illum tam familiarem comitem tam æquo animo

mo reliquerit, quòd cruentum gladium habuerit. Horum pars ad conſilium pertinet. Quæritur enim utrum uideatur diligenter ratio faciendi eſſe habita, & excogitata, an ita temere, ut non uerisimile ſit quenquam tam temere ad maleficium acceſsiſſe. In quo quæritur, num quo alio modo commodius potuerit fieri, uel à fortuna adminiſtrari. Nam ſæpe ſi pecuniæ adiumenta, ſi adiutores deſint, facultas fuiſſe faciendi non uidetur. Hoc modo ſi diligenter attendamus, apta inter ſe eſſe intelligimus hæc, quæ negotiis, & illa, quæ perſonis, ſunt attributa.

¶ DEFENSOR *autem primum*] *ad locos denſoris ſe explicandos tranſitum facit.* ¶ *Quam honeſtiſs. demonſtrare*] *id obſeruauit Cicero cũ alibi, tum maxime cum pro Sex. Roſcio, & pro Milone diceret. Nihil, inquit, per uim unquam Clodius, omnia per uim Milo, quæ quidem per* εἰρωνείαν *dicta fuiſſe, exempla, quæ ſequuntur, indicium faciunt: quibus optimum Milonis animum, honeſtiſs. que uitam copioſiſſime probat. Idem facit in oratione pro Roſcio. notiſs. eſt locus. Item pro Deiotaro rege aduerſus ſeruum, qui Deiotarum ebrietatis accuſarat, & ſe eum ſaltantem uidiſſe omni cum aſſeueratione confirmarat. Omnes ſunt, inquit, in illo regiæ uirtutes: quod te Cæſar ignorare non arbitror; ſed præcipue ſingularis, & admiranda frugalitas. & quæ ſequuntur. Item in Oratione pro A. Cluentio, ipſius Cluentij uitam honeſtiſs. eſſe demonſtrat, cum ait. at in ipſum Habitum animaduerterunt. nullam quidem ob turpitudinem, nullum ob totius uitæ non dicam uitium, ſed erratum: neque enim hoc homine ſanctior, neque probior, neque in omnibus officijs retinendis diligentior eſſe quiſquam poteſt. neque illi aliter dicunt, ſed eandem illam corrupti iudicij famam ſecuti ſunt.* ¶ *Id faciet*] *quo modo demonſtrari debeat, uarijs exemplis planum facit.* ¶ *Si oſtendes aliqua eius nota, & communia officia, quod genus in parentes, in cognatos, amicos, affines, neceſſarios*] *hæc pene ſingula, ac alia multa officia in orationibus à Cicerone deſcribuntur: quæ cuique legenti ultrò ſub oculos uenient. ſed adimendi laboris gratia ſtudioſis duo exempla proferenda putamus: quæ huic loco ualde quadrare uidentur. Cicero in oratione pro C. Rabirio Poſth. illius Rabirij beneficia extollit in plurimos, cum ait. Multa geſſit, multa contraxit, magnas partes habuit publicanorum, credidit populis, in pluribus prouincijs eius uerſata res eſt. dedit ſe etiam regibus, huic ipſi Alexandrino grandem iam antea pecuniam credidit: nec interea locupletare amicos unquam ſuos deſtitit, mittere in negotium, dare partes, augere, fide ſuſtentare. idem facit in oratione prò Deiotaro rege. qui ut animum Deiotari ab omni in Cæſarem odio alienum eſſe indicium faceret, beneficia illius in amicos*

Ca-

Cæſaris, & in ipſum Cæſarem narrando percenſet. Ille, inquit, exercitum Cn. Domitij ampliſſimi uiri ſuis tectis, & copijs ſuſtentauit. ille Epheſum, ad eum, quem tu ex. tuis fideliſſimum, & probatiſſ. omnibus delegiſti, pecuniam miſit. ille iterum, ille tertio auctionibus factis pecuniam dedit, qua ad bellum utereris. ille corpus ſuum, periculo obiecit, tecumq́; in acie contra Pharnacem fuit: tuumq́; hoſtem eſſe duxit ſuum: quæ quidem à te in eam partem accepta ſunt, C. Cæſar, ut eum ampliſſimo regis honore, & nomine affeceris. ¶ Si ab eo cum magno aliquo labore] ex oratione pro P. Sextio multa huc peti exempla poſſunt.

¶ Deinde ſi nihil deliquiſſet] ſumendum eſt iterum ſuperius uerbum, oſtendet. locus iſte totus à Cicerone tractatur in Miloniana: ubi oſtendit Milonem, neque odio in Clodium, neque ulla cupiditate adductum, ſed rei pub. cauſſa tantum eius uim ſemper oppreſſiſſe: cum ille de repub. opprimenda cogitaret. itaque ait. Quid ſimile Milonis? cuius uis omnis hæc ſemper fuit, ne P. Clodius, cum in iudicium detrahi non poſſet, ui oppreſſam ciuitatem teneret. ¶ Ab officio receſſiſſe] ille ab officio ſuo recedit, qui præter decorum, id eſt, præter id, quod ipſum decet, aliquid facit. ¶ Quod eo confirmatius erit] hoc eſt, ſi eius, qui arguitur, innocentia confirmari poterit à prætermiſſa peccandi occaſſione, firmius erit. quod Cicero feciſſe uidetur eodem met loco, cum ait. quem ſi interficere uoluiſſet, quantæ, quoties, occaſiones, quam præclaræ fuerunt? ¶ Hoc autem ipſum genus erit eo firmius] confirmatio, inquit, firmior erit, ſi exemplis amplificari poterit, & demonſtrari reum antea in ipſo genere criminis, cuius accuſatur, integrum fuiſſe. id ipſum fecit Cicero, qui uarijs exemplis Milonis innocentiam amplificando confirmauit. ſubdit enim. potuit ne, cum domũ, ac deos Penates ſuos illo oppugnante defenderet, iure ſe ulciſci? potuit ne ciue egregio, & uiro fortiſſimo P. Sextio collega ſuo uulnerato? & alia, quæ ſequuntur. ¶ Hic illa magna cum grauitate inducetur indignatio iuncta conqueſtioni] locum communem indignationis miſericordiæ admixtũ cum grauitate inducendum eſſe admonet. indignatur Cicero in Oratione pro Sex. Roſcio non abſque conqueſtionis affectu iniquitatem, acerbitatemq́; Syllani temporis à ſicariis, & ſectoribus, qui Romæ erant aſſidui, Roſcio obijci, eumq́; in crimen parricidij uocari, qui ne Romæ quidem unquam fuerat: & ab omnibus remotiſs. ruri aſſidue uixerat. ſic enim ait. Ii denique, qui tum armati dies, noctesq́; concurſabant, qui Romæ erant aſſidui, qui omni tempore in præda, & ſanguine uerſabantur, Sex. Roſcio temporis illius acerbitatem, iniquitatemq́; obijcient? & illam ſicariorum multitudinem, in qua ipſi duces, ac principes erant, huic crimini putabunt fore, qui non modo Romæ non fuit, ſed omnino quid Romæ ageretur, neſciret: propterea

pterea quòd ruri aſſiduus, quemadmodum tute confiteris, fuit. quibus uerbis aperte declarat nefas eſſe, & indignum facinus putare Roſcium tali uita hominem in illud crimen impelli potuiſſe, ad quod ne ſceleſtiſs. quidem homines niſi raro induci ſolent.

¶ Si autem in anteacta uita aliquæ turpitudines erunt] quomodo reus defendi poſſit, ſi qua forte turpitudinis labe uita eius infecta fuerit, multorum locorum enumeratione planum facit.

¶ Aut falsò ueniſſe] optimum eſt, ut inquit Fabius, negare, cum poſſis dicere, non feci. ¶ Aut ex aliquorum inuidia] ut de Palamede apud Virg. in 2. Æn. qui ex inuidia Vlyſſis falſo in proditionis ſuſpicionem uenit. ita enim ait Virg.

» *Fando aliquid ſi forte tuas peruenit ad aures*
» *Belidæ nomen Palamedis, & inclyta fama*
» *Gloria, quem falſa ſub proditione Pelaſgi*
» *Inſontem, infando indicio, quia bella uetabat,*
» *Demiſere neci: nunc caſſum lumine lugent:*
» *Illi me comitem, & conſanguinitate propinquum*
» *Pauper in arma pater primis huc miſit ab annis*
» *Dum ſtabat regno incolumis, regnumq́; uigebat*
» *Conſilijs, & nos aliquid nomenq́; decusq́;*
» *Geſſimus: inuidia poſtquam pellacis Vlyſſi*
» *(Haud ignota loquor) ſuperis conceſſit ab oris,*
» *Adflictus uitam in tenebris, luctuq́; trahebam,*
» *Et caſum inſontis mecum indignabar amici.*

¶ Aut obtrectatione] ut Deiotarus ex obtrectatione Caſtoris, Cicero pro Deiotaro rege. ¶ Aut falſa opinione] ut Milo apud Ciceronem, & Pedianum Aſconium: qui à Q. Cornificio falſa opinione accuſatus fuerat, quòd intra tunicam pugionem femori alligatum in ſenatu habebat. cumq́; poſtulaſſet, ut femur uideret, confeſtim Milo tunicam leuauit. tum M. Cicero exclamauit, omnia illi ſimilia crimina eſſe, quæ in Milonem dicerentur.

¶ Aut imprudentia] ſi probari non poterit falſam eſſe ſuſpicionem, & omnino aliqua turpitudinis labe infectus fuerit reus, ad purgationis ſtatum, qui ex conceſſione naſcitur, transferri cauſſam oportet. ac primum per imprudentiam peccatum fuiſſe oſtendendum erit. Sic Chærea apud Terent. in Eunucho, cum à Pythia obiurgatur, quod uirgini ingenuæ uitium obtuliſſet, ex imprudentia peccatum excuſauit; cum diceret conſeruam eſſe credidi. ¶ Neceſſitudini) Cicero in Oratione pro lege Manilia L. Syllam, & L. Murænam clariſſ. imperatores excuſat à neceſſitate, dandam que illis ueniam

ueniam oſtendit, ſi quid in Mithridatico bello facere deſierunt, quod in rem populi Ro. foret. propterea quòd, inquit, ab eo bello Syllam in Italiam reſpub. Murænam Sylla reuocauit. & in eademmet oratione eodem modo L. Lucullum excuſat: cum ait. Hic ipſo illo malo, grauiſſimaq́; belli offenſione L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortaſſe potuiſſet, ueſtro iuſſu coactus, quod imperij diuturnitati modum ſtatuendum ueteri exemplo putauiſtis, partem militum, qui iam ſtipendijs confectis erant, dimiſit, partem Glabrioni tradidit. ¶ Aut perſuaſioni] Cicero in Cat. ij perſuaſerunt, ij hortati ſunt, quibus credere par erat, à quibus decipi quiuis eius ætatis poterat. ¶ Adoleſcentia] Thais apud Terent. in Eunucho, Chærea, à quo, uitiata Pamphila, iniuriam acceperat, adoleſcentiam excuſat. & apud Horatium Cato adoleſcentem illum, quem è fornice exeuntem conſpexerat, laudauit ratus cupiditati Venereæ nonnunquam indulgendum, & adoleſcentibus in primis, ſi quandoque hac in re peccant, ignoſcendum eſſe. ſic ergo ait in primo Serm. Sat. 2.

» Quidam notus homo, cum exiret fornice, macte
» Virtute eſto, inquit; ſententia dia Catonis.
» Nam ſimulac uenas inflauit tetra libido
» Huc iuuenes æquum eſt deſcendere non alienas
» Permolere uxores.

¶ Ac ſi nullo modo uita turpido] ſi turpiſſima hominis, qui arguitur, uita nullo defenſionis genere mitigari poterit, ad locum communem confugiendum eſſe docet. uitam illius anteactam ſpectari non oportere, ſed de crimine, quo arguitur, quærendum eſſe: quando non de moribus, apud cenſores, uerum de crimine illato apud iudices agatur. hac extrema in hoc genere defenſio eſt: quam nonnulli tranſpoſitionis tranſlationem appellant. ¶ Ex facto autem] tertius eſt coniecturæ locus: ex quo pacto ſuſpiciones trahi poſſint, planum facit. ¶ Si totius adminiſtratio negocij ex omnibus partibus pertentabitur] ſi controuerſia ex omnibus circunſtantijs inueſtigabitur, tractabiturq́;. locus iſte à nonnullis comprehenſio appellatur: propterea quòd negotium certioribus coniecturis, & quaſi firma ſuſpicione comprehenditur. alij uerò hunc locum à ſummo ad imum, ſiue græce ἀπὸ ἀρχῆς ἄχρι τέλους nominant, quòd ex omnibus circunſtantijs conficiatur.

¶ Atque hæ ſuſpiciones partim ex negotio ſeparatim] hæc facile declarant, quod antea dixerat orator, ex omnibus partibus pertentabitur. nam cum, quæ perſonis, & negotio attributa ſunt, ſimul tractentur, proculdubio totius negotij adminiſtratio ex omnibus circunſtantijs pertentatur. ¶ Ex ijs igitur in hanc conſtitutionem conuenire uidentur genera eorum omnia] genera eorum, quæ negotijs attributa ſunt, hæc iam antea

recenſuit. continentia cum negotio, conſiderata in geſtione negotij, adiuncta negotio, & conſequentia negotium. partes autem horum generum ſunt ſingula res, quæ ſingulis generibus ſubijciuntur. ad continentia cum negotio referuntur hæc, breuis complexio totius negocij, cauſſa, & quæ tribus temporibus facta dicantur ante rem, in re, poſt rem. ijs, quæ in geſtione negotij conſiderantur, ſubijciuntur, locus, tempus, occaſio, & alia. adiuncta negotio comparata continet, maius, minus, par: item contrarium diſparatum, aliaq́; multa. conſecutio negotij alias ſpecies habet. factum quo nomine debeat appellari, qui ſint eius facti principes, adiutores, conſcij, & alia, quæ deſcribuntur in primo libro. ¶ Pleræque] recte pleraque: quia non omnes generum partes ad coniecturam probandam uſquequaque neceſſariæ ſunt. ¶ Hoc eſt, quæ ab re ſeparari non poſſunt] perſonam, factum, cauſſa à negotio ſeiungi nequeunt. id eſt quis fecit, quid factum eſt, propter quid factum eſt. ¶ Quid ſit ante rem factum] Hæc potiſſimum circunſtantia quid, ex tribus locis conſiderari ſolet. ex antecedentibus, ex coniunctis, ex conſequentibus. in antecedentibus quæritur, an ſimultas aliqua præceſſerit, aut comminatio, uel apparatus, idq́; genus alia. Lyſias in oratione contra Heratoſtenem adulterum, conatur perſuadere iudicibus nihil unquam aut odij, aut iurgij, aut contumeliæ ſibi cum Heratoſtene accidiſſe, ut fidem faciat, ſe non alia, quam adulterij cum ſua uxore ab eo commiſſi, gratia illum occidiſſe. ſic enim ferè, inquit. Ita hac de re quæritantes, ſi quæ mihi aduerſus Heratoſtenem inimicitiæ unquam fuerint, præter haſce, certe inuenietis nullas. Nam neque me conſcriptis tabellis unquam per calumnias accuſauit. neque ex urbe tentauit eijcere, neque priuatam aduerſus me cauſſam ullam egit. neque improbi alicuius mihi facinoris eram conſcius. & paulo poſt. At illum hominem niſi ea nocte uideram nunquam. quam igitur ob rem huiuſmodi ipſe periculum adijſſem, niſi id in me ille delictum patraſſet, quod unum omnium eſt maximum? in crimine uero adulterij, an uir ſolitus ſit ambulare per loca ſuſpecta, an ſpectatus ſit, tentauit ne famulas, quod Labeoni iure conſulto maxima coniectura eſt. ff. de iniurijs l. Item apud Labeonem. an mulier præter morem fuco ſibi faciem infecerit, aut domo frequentius quam ſolebat, egreſſa fuerit, aut ueſtitu, cultu, odore'ue præter conſuetudinem ſeſe ornarit. aliaq́; quæ hac in re ſuſpicionem conflare ſolent, fecerit. Lyſias in oratione contra Heratoſtenem ueriſimile adulterium uxoris ſuæ facit ex fuco. Cum ait Verum uiſa eſt mihi, iudices, eius facies depicta ceruſſa, cum nondum tamen frater triginta dies ex hac luce migraſſet. In coniunctis, an cum clamore occiderit reus, an uiſus ſit occiſo aſtitiſſe, ut de Vlyſſe auct. ad Herenn. refert. huic loco adaptari etiam poteſt alia circunſtantia iuxta Trape-

zuntij

Quintij ſententiam uidelicet à rebus relictis: per quas cognoſci etiam poteſt, quis fuerit reus. in conſequentibus ſigna ſunt, quæ factum conſequuntur, fuga, pallor, titubatio, & alia, quæ paulo infra à Cicerone recenſentur. ❡ *In loco igitur opportunitas*] *an locus fuerit opportunus, id eſt aptus ad negotium conficiendum, conſiderari ſolet. quod Cicero diligentiſſime conſiderauit in cauſſa pro Mil. cum ait. Videamus nunc id, quod caput eſt; locus ad inſidias ille ipſe, ubi congreſſi ſunt, utri tandem fuerit aptior. id uero, iudices, etiam dubitandum, & diutius cogitandum eſt? ante fundum Clodij: quo in fundo propter inſanas illas ſubſtructiones facile mille hominum uerſabatur ualentium aduerſari. atqui excelſo loco ſuperiorem ſe fore putabat Milo, & ob eam cauſſam eum locum ad pugnam potiſſimum delegerat, an eo in loco potius expectandum ab eo, qui ipſius loci ſpe facere impetum cogitarat?* ❡ *In tempore longinquitas*] *id eſt, an idoneum fuerit temporis ſpatium ad rem tranſigendam.* ❡ *In occaſione commoditas*] *occaſio pars temporis eſt, ut in primo libro dictum eſt, Græcis* καιρὸς *appellatur. requiritur ergo non ſolum temporis ſpatium, ſed quæ etiam fuerit temporis occaſio: an quo tempore plebs in comitijs, in templo, ad ludos ad ſpectacula fuerit congregata: an tempore meſſis, uindemiæ occupatis hominibus, an noctis tempore ſomno oppreſſis. hæc omnia quamdiligentiſſime conſiderantur à Cicerone in cauſſa Milonis: quæ cuique legenti facile patebunt.* ❡ *In facultate copia, & poteſtas earum rerum, propter quas aliquid facilius fit*] *ut ſeruorum, liberorum, clientum, diuitiarum. ijs enim rebus negocia facilius fiunt, aut re uera aliter fieri nequeunt. has Græci* ἀφορμὰς τῶν ἔργων *appellant.* ❡ *Deinde uidendum eſt.*] *tertius locus eſt ex ijs, quæ negotio ſunt attributa: in quo ponuntur ea, quæ uulgo comparata, Quintiliano nunc appoſita, nunc comparatiua dicuntur.*

❡ *Hoc eſt quid maius, quid minus, quid æque magnum, quid ſimile*] *plura huic loco ſubiecit genera in primo libro tanquam loco magis communi. hic uerò ea tantum colligit, ex quibus coniectura trahi poteſt.* ❡ *Quo in genere euentus*] *hunc locum in primo libro tribus temporibus conſiderari poſſe admonuit: hic uero quid ex facto euenire poſſit, tantum inſpiciendum monet.* ❡ *Vt metus, lætitia, titubatio*] *Hæc ſigna ſunt admiſſi facinoris: nam qui aliquid admiſit, ſemper timet: magna enim uis conſcientiæ (inquit Cicero) & magna in utranque partem, ut neque timeant, qui nihil commiſerint, & poenam ſemper ante oculos uerſari putent, qui peccarint. hinc fidem facit Cicero Milonem ab omni inſidiarum ſuſpicione immunem, qui occiſo Clodio, urbem ingreſſus magiſtratum nihilominus petere cœpit eo animo ac ſi nihil admiſiſſet. nullo enim conſcientiæ ſtimulo agitabatur, quia inſidiatorem occiderat. atque*

ia ait. Recordamini per Deos immortales quæ fuerit celeritas reditus eius; qui ingreſſus in forum ardente curia, quæ magnitudo animi, qui uultus, quæ oratio, & alia. Lætitia quoque præſertim immodica, & inſolita aliquid arguit mali cõmiſſi. Chærea poſt uitiatam Pamphilam præ lætitia ſtare loco nequit. optatq́; ſibi dari aliquem, cui tantam potiundæ amicæ ſuæ occaſionem ſibi præter ſpem oblatam narrare poſſit: ſic enim ait in Eunucho.

» *Iam ne erumpere hoc licet mihi gaudium? pro Iuppiter,*
» *Nunc tempu' profectò, eſt cum perpeti me poſſum interfici:*
» *Ne uita aliqua hoc gaudium contaminet ægritudine.*
» *Sed neminem ne curioſum interuenire nunc mihi,*
» *Qui me ſequatur, quoquò eam, rogitando obtundat, enecet,*
» *Quid geſtiam, aut quid lætus ſim, quò pergam, unde emergam.*

& alia, quæ ſequuntur. ¶ Quarta autem pars erat ex ijs] quartus ſequitur locus, conſecutio: qui non ideo conſecutio dicitur (auctore Fabio) quia factum conſequantur, ſed quia, quæ in loco continentur, ſunt adiuncta negotio, & ἀκόλουθα. hic quoque tantum ponuntur, quæ ad coniecturam faciunt, quæ enumerantur in contextu. ¶ Sunt autem aliquæ ſuſpiciones) hactenus quæ ex ſingulis locis ſeparatim ſuſpiciones trahi poſſent, oſtendit: iam uero communiter, & mixtim ex duobus locorum generibus ſuſpiciones duci, ideſt argumenta communiter fieri poſſe, declarat. Nam quæ ex perſonis ſumuntur, cum facti ſuſpicione iungi poſſunt. vt ſi quæ ex fortuna coniectura eſt, ad factum transferatur, hoc modo. diues eſt, affectat tyrannidem. ſeruus, potuit occidere. ingenuus, non furatur. magiſtratus, inimicum ulciſci, ſi uelit, poteſt. ita de alijs dici poteſt, pluribus. ¶ Maxime enim quæri oportet] quo pacto ex vtriſque locorum generibus argumenta trahi poſſint, exemplo declarat. Nam in coniecturali conſtitutione, an potuerit aliquid fieri, etſi ab alio potuerit, & an facultas rei agendæ fuerit, quæritur, & alia, quæ in contextu ponuntur: quæ uel omnia, uel eorum maior pars ad conſilium referuntur, quæ in attributis perſonæ uerſantur. igitur communiter ex utriſq; locorum generibus coniectura duci poſſunt. ¶ Deinde facultas] hinc facile colligitur, poſſe, & facultatem habere diuerſa ſignificatione capi. Nam cum negotij efficiendi copia ineſt, aut deeſt; de facultate agitur: ut ſunt uires, diuitiæ, cognationes, clientelæ: ubi uerò uel loci, uel temporis opportunitas, uel occaſio ad rem agendam deeſt; tunc quæritur, an potuerit. ¶ Vt in ea cauſſa, quam expoſuimus] in eo themate, & exemplo, quod ſupra adduxit de conſtitutione coniecturali; de eo, qui hominem pecunioſum ad mercatum proficiſcentem comitatus fuerat. ¶ Ante rem erit] exemplis à ſuperiore themate deductis, de-

clarat argumenta ex attributis negotio ad conſilium pertinere, quod eſt ex perſonis locus: ergo communiter fieri poſſe. hac enim loca, quæ ex antecedentibus, ex coniunctis, & ex conſequentibus enumerat, ad negotium pertinent, & cum negotio continentur. ¶ *Horum pars ad conſilium pertinet*] *quia abſque conſilio fieri nequit.* ¶ *Quæritur enim utrum uideatur*] *probat, conſequentia factum, & alia quoque ad conſilium referri, ratione ſumpta à conſuetudine iudiciorum: in quibus diligenter inueſtigari ſolet, cum ab accuſatore, tum à defenſore, utrum conſulto, an temere reus feciſſe uideatur. ut inde probabile, aut non probabile eſſe appareat maleficium ab eo fuiſſe admiſſum.* ¶ *Facultas fuiſſe faciendi non uidetur*] *hinc apparet, id quod ſupra docuimus, pecuniæ adiumenta, clientelæ, cognationes, cæteraq; id genus ad facultatem referri.* ¶ *Hoc modo ſi diligenter attendamus*] *concludit argumenta ex perſonis, & ex negotio apte inter ſeſe cohærere.*

HIC neque facile eſt, neque neceſſarium diſtinguere, ut in ſuperioribus partibus, quo pacto quidque accuſatorem, & quo modo defenſorem tractare oporteat. Non neceſſarium, propterea quòd cauſſa poſita, quid in quanque conueniat, res ipſa docebit eos, qui non omnia hic ſe inuenturos putabunt, ſed ad ea, quæ præcepta ſunt, comparationis modo quandam in commune mediocrem intelligentiam conferent. Non facile autem, quod & infinitum eſt tot de rebus utranque in partem ſingillatim de unaquaque explicare, & alias aliter hæc in utranque partem cauſſæ ſolent conuenire. Quare conſiderare, hæc, quæ expoſuimus, oportebit. Facilius autem ad inuentionem animus incedet, ſi geſti negotii & ſuam, & aduerſarii narrationem ſæpe, & diligenter pertractabit, & quid quæque pars ſuſpicionis habebit, eliciens conſiderabit. Quare, quo conſilio, qua ſpe perficiendi quidque factum ſit: cur hoc modo potius, quàm illo: cur ab hoc potius, quàm ab illo: cur nullo adiutore, aut cur hoc: cur nemo ſit conſcius, aut cur ſit, aut cur hic ſit: cur hoc ante factum ſit, cur hoc ante factum nõ ſit: cur hoc in ipſo negotio: cur hoc poſt negotium: aut quid factum de induſtria, aut quid rem ipſam conſecutum ſit, conſtet'ne oratio aut cum re, aut ipſa ſecum: hoc huius'ne rei ſit ſignum, an illius, an huius, & illius, & utrius potius: quid factum ſit, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit. Cum animus hac intentione omnes totius negotii partes conſiderabit, tum illi ipſi in medium conſeruati loci procedent, de quibus ante dictum eſt: & cum ex ſingulis, tum ex

con-

coniunctis argumenta certa naſcentur. Quorum argumentorum pars probabili, pars neceſſario in genere uerſabitur. Accedunt autem ad coniecturam ſæpe quæſtiones, teſtimonia, rumores, quæ contra omnia uterque ſimili uia præceptorum torquere ad ſuæ cauſſæ commodum debebit. Nam & ex quæſtione ſuſpiciones, & ex teſtimonio, & ex rumore aliquo pari ratione, ut ex cauſſa, & ex perſona, & ex facto duci oportebit. Quare nobis & ii uidentur errare, qui hoc genus ſuſpicionum artificii non putant indigere, & ii, qui aliter hoc de genere, ac de omni coniectura præcipiendum putant. Omnis enim iiſdem ex locis coniectura ſumenda eſt. Nam & eius, qui in quæſtione aliquid dixerit; & eius, qui in teſtimonio, & ipſius rumoris cauſſa, & ueritas ex iiſdem attributionibus reperiretur. Omni autem in cauſſa pars argumentorum eſt adiuncta ei cauſſæ ſolum, quæ dicitur, & ab ipſa ita ducta, ut ab ea ſeparatum in omnes eiuſdem generis cauſſas transferri non ſatis commode poſſit. Pars autem eſt peruagatior: & aut in omnes eiuſdem generis, aut in pleraſque accommodata. Hæc ergo argumenta, quæ transferri in multas cauſſas poſſunt, locos communes nominamus, Nam locus cōmunis aut certæ rei quandam continet amplificationem: ut ſi quis hoc uelit oſtendere, eum, qui parentem necarit, maximo ſupplicio eſſe dignum: quo loco, niſi perorata, & probata cauſſa, non eſt utendum. Aut dubiæ, quæ ex contrario quoque habeat probabiles rationes argumentandi: ut ſuſpicionibus credi oportere, & contrà, ſuſpicionibus credi non oportere. Ac pars locorum communium aut per indignationem, aut per conqueſtionem inducitur, de quibus ante dictum eſt: pars per aliquam probabilem utraque ex parte rationem. Diſtinguitur autem oratio, atque illuſtratur maxime, raró inducendis locis communibus, & aliquo loco, iam certioribus illis auditoribus, & argumentis confirmatis. Nam & tū conceditur commune quiddam dicere, cum diligenter aliquis proprius cauſſæ locus tractatus eſt, & auditoris animus aut renouatur ad ea, quæ reſtant, aut omnibus iam dictis exuſcitatur. Omnia enim ornamenta elocutionis, in quibus & ſuauitatis, & grauitatis plurimum conſiſtit, & omnia, quæ in inuentione uerborum, & ſententiarum aliquid habent dignitatis, in communes locos conferuntur. Quare, non ut cauſſarum, ſic oratorum quoque multorum communes loci ſunt. Nam niſi ab iis, qui multa exercitatione magnam ſibi &

uer-

uerborum, & ſententiarum copiam comparauerint, tractari non poterunt ornate, & grauiter, quemadmodum natura ipſorum deſiderat. Atque hoc ſit nobis dictum communiter de omni genere locorum communium. Nunc exponemus, in coniecturalem conſtitutionem qui loci communes incidere ſoleant. Suſpicionibus credi oportere, & non oportere. Rumoribus credi oportere, & non oportere. Teſtibus credi oportere, & non oportere. Quæſtionibus credi oportere, & non oportere. Vitam ante actam ſpectari oportere, & non oportere. Eiuſdem eſſe, qui in illa re peccarit, & hoc quoque admiſiſſe, & non eſſe eiuſdem. Maxime ſpectari cauſſam oportere, & non oportere. Atque hi quidem, & ſi qui eiuſmodi ex proprio argumento communes loci naſcentur, in contrarias partes diducentur. Certus autem locus eſt accuſatoris, per quem auget facti atrocitatem, & alter, per quem negat malorum miſereri oportere. Defenſoris, per quem calumnia accuſatorum cum indignatione oſtenditur, & per quem cum conqueſtione miſericordia captatur. Hi, & ceteri omnes loci communes, ex iiſdem præceptis ſumuntur, quibus ceteræ argumentationes: ſed illæ tenuius, & acutius, & ſubtilius tractantur: hi autem grauius, & ornatius, & cum uerbis, tum etiam ſententiis excellentibus. In illis enim finis eſt, ut id, quod dicitur, uerum eſſe uideatur. In his tametſi hoc quoque uideri oportet, tamen finis eſt amplitudo. Nunc ad aliam conſtitutionem tranſeamus.

¶ HIC *neque facile eſt*] προληπτικῶς *occupat, quod obijci poſſet; cur uti in ſuperioribus, non ita etiam in ijs locis accuſatoris, defenſoriſq; partes diſtinguat, uidelicet quo modo accuſator, & defenſor ante rem, quo modo in re, quo modo poſt rem dicere debeat: obiectionemq; duplici ratione diluit, altera ex difficultate, altera ex non neceſſario deducta: & utranque optimis rationibus confirmat. non neceſſarium eſt, quia explorato diligenter themate poterit quiſque ex ijs, quæ præcepta ſunt, & ſimilitudines trahere, & plurima ex dictis non dicta cognoſcere: non facile uerò, quia omnibus præceptis exempla uelle ſubijcere, infinitum eſt. ergo id ſatius eſt oratori cuncta ex propoſito themate geſti negocij & ſuam, & aduerſarij narrationem diligenter conſiderare: in quo quid omnino conſiderandum ſit, infra breuiter, & ſummatim declarat.* ¶ *Quare, quo conſilio*] *ſingillatim circunſtantias recenſet, quas ſatis eſt cognoſcere ijs, qui coniectura fidem facere uolunt.* ¶ *Cum animus hac intentione*] *ijs, inquit, quam diligentiſſime conſideratis, cetera, quæ ad cauſſam coniecturalem probandam*

dam neceſſaria ſunt argumenta, ſponte ſe ſe offerent, cum ex perſona, & facto ſeparatim, tum ex utriſque communiter. ¶ Accedunt autem ad coniecturam ſæpe quæſtiones, teſtimonia, rumores.] hactenus de artificioſis argumentis, quæ Græcis ἔντεχνα *uocantur, quomodo inueniri ex arte poſſint ad coniecturam confirmandam diſputatum eſt. Iam uero remota orator aggreditur, id eſt artis expertia, quæ Græcis* ἄτεχνα *dicuntur, ut quæſtiones, teſtimonia, rumores. totidem etiam recenſet quidem Ariſtoteles in primo lib. de arte rhet. ſed paulo diuerſe. ijs uocibus* μάρτυρες, βάσανοι συγγραφαὶ. *hoc eſt. teſtimonia, quæſtiones. i. tormenta, tabulæ. rumorum non meminit. Fab. Quintilianus in quinto libro, & Cicero ipſe in partit. orat. locos* ἀτέχνους *plures tribus recenſet. & profecto plures ſunt tribus ij, in quibus maxima pars contentionum forenſium conſiſtere uidetur. ſed coniecturæ ijs præſertim tribus locorum generibus probantur, quorum hic Cicero meminit, teſtimonijs, quæſtionibus, rumoribus.*

¶ Quare nobis & ij uidentnr errare] Ariſtoteles in primo de arte rhet. huiuſmodi locorum genera artificio contineri negat: propterea quia ab oratore non excogitantur, ſed in re poſita, & extra dicendi rationem accepta ad oratorem deferuntur. uerba ipſius hoc habent. τῶν δὲ πίστεων, αἱ μὲν, ἀτεχνοί εἰσιν. αἱ δὲ, ἔντεχνοι. ἄτεχνα δὲ λέγω, ὅσα μὴ δι' ἡμῶν πεπόρισται ἀλλὰ προϋπῆρχεν. οἷον μάρτυρες, βάσανοι, συγγραφαὶ. ἔντεχνα δὲ ὅσα διὰ τῆς μεθόδου, καὶ δι' ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατὸν. ὥστε δεῖ τούτων τοῖς μὲν χρήσασθαι τὰ δὲ εὑρεῖν. *i. perſuaſionum autem aliæ quidem artis expertes, aliæ uero artificioſæ exiſtunt. artis expertes illas appello, quæ à nobis non excogitantur. ſed cum extra dicendi rationem ſint, aſſumuntur. ut teſtimonia, quæſtiones, tabulæ. Artificioſas uerò, quæ ratione excogitari, atque ex ipſa cauſſa trahi poſſunt. itaque ex ijs alijs quidem utimur, alias uerò inuenimus. hæc ille. Quidam autem non inuentione, ſed tractatione artificioſa eſſe opinantur. Nam licet teſtimonia, cruciatus, tabulæ, rumores, idq́; genus alia ex arte non inueniantur, ſicuti quæ ex perſona, & negotio inueniri argumẽta ſolent; tamen abſque arte tractari non poſſunt: ideoq́; non omnino artis expertia eſſe iudicarunt. atque id ipſum Cicero in partitionibus ſenſiſſe uidetur. hic uero palàm profitetur, inuentione quoque ea artificioſa eſſe, cum ait, ex ijs tribus locis ſuſpiciones perinde duci poſſe atque ex cauſſa, ex uita, & ex facto. quæ proculdubio ex arte petuntur. huic ſententiæ ſubſcribit Quintilianus in quinto: qui eos damnandos putat, qui totum hoc locorum genus à præceptis remouerunt: cum tamen antea dixerit ipſa carere arte per ſe, ſed ſummis eloquentiæ uiribus & eleuanda eſſe plerunque, & refellenda. Quamobrem putat eos errare Cicero, qui huiuſmodi loca artificio indigere negant, & proculdubio Ariſtotelem deſignat. ¶ Omnis*

enim]

enim] *ratio eſt:* ¶ *Nam eſt eius*] *confirmatio rationis.* ¶ *Omni autem in cauſſa pars argumentorum*] *locos proprios à communibus diſtinguit, proprij (ita eos auctor ad Herenn. uocat) ſunt, qui ita deducuntur à cauſſa, ut ne in alias quidem eiuſdem generis cauſſas commode transferri poſſint. exempli gratia, coniecturalium controuerſiarum cum plura ſint genera, ſingula tamen proprios locos habent, quæ aliò non abſque incommodo transferri poſſunt: quædam uerò ſunt argumenta peruagatiora, quæ ad alias eiuſdem generis, aut etiam ad pleraſque cauſſas commodius aptari poſſint. hæc cōmunia uocantur. et loci, unde petuntur loci cōmunes dicuntur.* ¶ *Hec ergo argumenta*] *loci communes eo in oratione munere funguntur, quo epiſodia in poemate: de quibus Ariſtoteles in poetica.* ¶ *Nam locus communis*] *locum communem in duas partes diſtribuit: in eum, qui rem certam amplificat: quo in peroratione accuſator vtitur: & in eum, qui rei dubiæ exaggerationem continet: ſuſcipitque argumentationem à contrario. ut ſi alter dixerit ſuſpicionibus credendum, alter ſuſpicionibus credendum eſſe negabit. Hæc uox* NAM, *non rationalis eſt, ſed incœptiua. ſignificatq; præterea.* ¶ *Ac pars locorum communium*] *oſtendit eam locorum communium partem, qua in peroratione utimur, tam defenſori, quàm accuſatori conuenire.* ¶ *Pars per aliquam probabilem vtraque ex parte rationem*] *altera locorum communium pars eſt, qua non in peroratione, ſed ſparſe vtimur in confirmatione poſt proprios ipſius cauſſæ locos. ijs Cicero ſæpius uſus eſt cum alibi, tum præcipue in cauſſa Sex. Roſcij Am. ubi per locum communem de honeſtate uitæ ruſticæ, de infamia eorum, qui mala fide uel ſocietatem gerunt, uel mandatum exequuntur: ubi denique de officio accuſatorum grauiter, & copioſe diſſerit. neque ullus iſtorum communium locorum (ut ante dictum eſt) prius cauſſæ interponendus eſt, quàm proprijs locis, & ex cauſſæ, ſi fieri poterit, uiſceribus eductis negotium fuerit comprobatum.* ¶ *Diſtinguitur autem oratio*] *duo hic de locis communibus præcepta traduntur: alterum, vt raro inducantur, alterum, ut non niſi comprobata proprijs locis cauſſa interponantur.* ¶ *Et auditoris animus aut renouatur*] *locorum communium vtilitatem oſtendit: per quos animus auditoris excitatur. quod tamen non ui ipſius ſimpliciter, ſed elegantia, ſuauitateq; verborum, quibus communis locus ornari debet, fieri oſtendit: nam ſubdit.* ¶ *Omnia enim ornamenta*] *quidquid ex arte dicendi leporis, elegantiaq;, quidquid iucunditatis, ſuauitatiſq; (quibus auditoris animus delectari ſolet) hauriri poteſt, illud totum in communes locos conferri debet. Cicero in oratione pro Milone, cum reuocata hypotheſi ad theſim locum communem tractaret, illum omni uerborum ſuauitate, atque elegantia, uarijſq; figuris ac oratorum pigmentis, coloribuſq; illuſtrauit.*

luſtrauit. Eſt enim, inquit, hæc iudices non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus: ut ſi uita noſtra in aliquas inſidias, ſi in uim, in tela, aut latronũ, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. ¶ Suauitatis, & grauitatis] altera in uerbis, altera in ſententijs ineſt. ¶ In inuentione uerborum, & ſententiarum] in ijs duobus omnis uis oratoris, ut ait Cicero in partit. poſita eſt. uerba ſunt, quibus animi ſententiæ explicantur: ſententia uerò & id dicitur, quod animus ſentit: quam alij notionem, quidam etiam conceptum, Græci διάνοιαν appellant: & quæ uerbis exprimit τὰ ἐνόντα, ut inquit Ariſtoteles, καὶ τὰ ἁρμόττα; id eſt, quæ rebus inſunt, & quæ ad rem aliquam uerbis explicandam faciunt. et hoc ſenſu accipienda eſſe uidetur hoc in loco ſententia. de qua Ariſtoteles in rhet. & in poetica copioſe diſputauit. in iis igitur duobus plurimum dignitatis eſſe debet. quæ quidem dignitas perinde eſt in oratione, ut in homine eſſe dicitur. ſed ut non in omni homine, ita nec in omni oratione reperitur. Nam uti hominem dignitate præditum appellamus, cuius corporis moderatam proceritatem apta quædam, & conſentanea membrorum proportio ornet; ita quoque orationem dignitate præditam uocamus, quæ apta uerborum, ſententiarumq́, compoſitione firmata, & quaſi coagmentata ſit. ¶ Quare non ut cauſſarum, ſic oratorum] locorum communium dignitatem extollit à difficultate tractandi. omnium quidem cauſſarum, inquit, ſunt loci communes, ſed non omnes oratores, uerum eos duntaxat, qui elegantiſſimi ſunt, & in cauſſis agendis diutiſſime uerſati fuerunt, ad eos tractandos idonei eſſe cenſentur. ¶ Atque hoc ſit nobis dictum communiter] per μετάβασιν à communi, ad ſingularem locorum communium enumerationem, quæ coniecturalibus cauſſis conueniunt, tranſitionem facit. ¶ Nunc exponemus in coniecturalem] quia paulo ante admonuerat locos communes & certæ, & dubiæ rei amplificationes continere, hic primum dubios, ut ita dicam, coniectura locos, quos nonnulli theticos appellant, inferius certos cum accuſatoris, tum defenſoris locos explicabit. ¶ Suſpicionibus credi oportere, & non oportere] ſuſpicionibus credendum indicat Cicero in oratione pro Mil. cum P. Clodium deſcribit armatum, & expeditum in equo pridie eius diei Roma profectum fuiſſe, quam Milo diſceſſerit. ¶ Rumoribus credi] Rumores ſæpe falſi, quandoque ueri. Cicero innuit rumoribus non eſſe credendum in Miloniana, quando quæ de Milone à multis ſparſa, & iactata in urbe fuerant, non uera fuerunt. ita enim ait. An uero obliti eſtis, iudices, recenti illo nuntio necis Clodianæ non modo inimicorum Milonis ſermones, & opiniones, ſed nonnullorum

etiam

etiam imperitorum, qui negabant eum Romam eſſe rediturum, & paulo poſt. Multi etiam Catilinam, atque illa portenta loquebantur: erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriæ faciet. at contra Catilinam dicens rumoribus credendum eſſe, indicium facit. itaq; fit, ut in huiuſmodi rebus oratores quod ſuis cauſſis commodo eſt, ſequi poſſe uideantur.
¶ Teſtibus credi oportere] de teſtibus quoque non eadem eſt omnium opinio. quidam enim exiſtimant plus adhibendum fidei rationibus, quam teſtibus: quoniam argumenta ſunt rerum propria; id eſt natura monſtrant ea, quorum ſunt, & oſtenduntur argumenta, & inde nomen habent à demoſtratione. Teſtimonia uerò ſunt uoluntatum: ideoq; pro ſua quiſque libidine confingere poteſt. Cicero pro Valerio Flacco inſectatur uniuerſum genus teſtium Græcorum, tanquam diffluens uanitate, ac leuitate. Teſtimoniorum, inquit, religionem, & fidem nunquam iſta natio coluit, & quæ ſequuntur. & in oratione pro A. Cæcina Fidiculanum teſtem arguit, quoniam aliter dixerat, quàm ceteri teſtes: quia inconſtanter, qui nullos armatos fuiſſe cum dixiſſet, poſtea ſeruos ſuos armatus fuiſſe dixit.
¶ Quæſtionibus credi] neque ex quæſtionibus ſemper ueritas elici poteſt. nam multi in tormentis, vt ait Cic. in part. ſæpe ementiti ſunt, ut dolorem fugerent. alij uitam ſuam neglexerunt, ut alienam ſeruarent. vt Philippus Fuluij Flacci ſeruus, qui octies tortus pro domino ſuo nihil dixit. non nulli ementiti ſunt in eos, quos oderant. ut Caſca ſeruus in Milonem: de qua re ſic Cicero in Oratione. in reum de ſeruis accuſatoris cum quæritur, uerum ne inueniri poteſt? age uerò quæ erat, aut qualis quæſtio? heus ubi Ruſcio, ubi Caſca? Clodius inſidias fecit Miloni? fecit: certa crux. nullas fecit: ſperata libertas. hæc igitur pars pro utilitate cauſſæ tractari tutoque poterit. ¶ Certus autem locus eſt accuſatori, per quem auget facti atrocitatem; & alter per quem negat malorum miſereri oportere.] iam uerò certos aggreditur locos; hoc eſt qui certæ rei amplificationem continent. primum accuſatoris locum proponit. quem duplicem eſſe oſtendit; alterum, per quem facti atrocitas exaggeratur: alterum, per quem negat prauis hominibus ignoſcendum eſſe. hunc bipertitum locum Lyſias in oratione contra Heratoſtenem paucis complexus fuiſſe uidetur, cum ita ait. Quam igitur ob rem huiuſmodi ipſe periculum adijſſem, niſi id in me ille delictum patraſſet, quod unum omnium maximum. adulterium deſignat. & mox. Ego itaque uiri Athenienſes haud pro me priuato hanc de ſceleſtiſſ. homine multam, ſed pro omni potius ciuitate ſumptam exiſtimo. Nam qui agere talia conſueuerint, cum uiderint qualia præmia huiuſmodi facinoribus conſtituta ſunt, minus in alios peccabunt. ſed huius poſtre-

mæ partis ſi quis plura exempla requirat, adeat orationem Catonis contra coniuratos apud Saluſtium. Demoſthenes in oratione aduerſus Midiam facinoroſis hominibus non eſſe ignoſcendum docet: propterea quia magnam ad peccandum feneſtram aperit impunitatis ſpes. ¶ Defenſoris, per quem calumnia accuſatorum cum indignatione oſtenditur.] *ut in oratione pro Sex. Roſcio T. Roſcij, & Capitonis, nec non Chryſogoni calumniam, hoc eſt, malitioſam, mendacemq́; infamationem aduerſus Roſcium filium Cicero maxima cum indignatione extollit. ¶ Hi, & ceteri omnes loci ex iyſdem præceptis ſumuntur*] *ex attributis perſonis, & negotio. ¶ Sed illæ tenuuius, & acutius*] *quid inter proprium, communiumq́; locorũ tractationem interſit, planum facit. proprij, inquit, ſubtilius, & acutius, ut pote in quibus omnis uincendi ſpes poſita ſit: communes autem ornatius tractantur. præterea proprij eo reſpiciunt, ut uera continere, atque afferre uideantur: communes autem magis amplificationibus innituntur. igitur illis fidem, iys uero ornatum tribuit. illorum finis eſt ueritas, horum amplificatio.*

Cvm eſt nominis controuerſia, quia uis uocabuli definienda uerbis eſt, conſtitutio definitiua dicitur. Eius generis exemplo nobis poſita ſit hæc cauſſa. C. Flaminius is, qui cos. rempub. male geſsit bello punico ſecundo, cum trib. pleb. eſſet, inuito ſenatu, & omnino contra uoluntatem omnium optimatũ, per ſeditionem ad populum legem agrariam ferebat. Hunc pater ſuus concilium plebis habentem de templo deduxit: accerſitur maieſtatis. Intentio eſt, Maieſtatem minuiſti, quòd tribunum pleb. de templo deduxiſti. Depulſio eſt, Non minui maieſtatem. Quæſtio eſt, Maieſtatem'ne minuerit. Ratio, In filium enim, quam habebam poteſtatem, ea uſus ſum. Rationis infirmatio, At enim qui patria poteſtate, hoc eſt priuata quadam, tribunitiam poteſtatem, hoc eſt populi poteſtatem infirmat, minuit is maieſtatem. Iudicatio eſt, Minuat'ne is maieſtatem, qui in tribunitiam poteſtatem patria poteſtate utatur. Ad hanc iudicationem argumentationes omnes afferri oportebit. Ac, ne quis fortè arbitretur nos non intelligere aliam quoque incidere conſtitutionem in hanc cauſſam, eam nos partem ſolam ſumimus, in qua præcepta nobis danda ſunt. Omnibus autem partibus hoc in libro explicatis, quiuis omni in cauſſa, ſi diligenter attendet, omnes uidebit conſtitutiones, & earum partes, & controuerſias, ſi quæ forte in eas incident. Nam de omnibus perſcribemus. Primus ergo accuſatoris locus eſt, eius nominis, cuius de ui quæritur,

ritur, breuis, & aperta, & ex hominum opinione definitio, hoc modo. Maieſtatem minuere eſt de dignitate, aut amplitudine, aut poteſtate populi, aut eorum, quibus populus poteſtatem dedit, aliquid derogare. Hoc ſic breuiter expoſitum, pluribus, uerbis eſt, & rationibus confirmandum, & ita eſſe, ut deſcripſeris, oſtendendum. Poſtea ad id, quod definieris, factum eius, qui accuſabitur, adiungere oportebit, & ex eo quod oſtenderis eſſe, uerbi cauſſa, Maieſtatem minuere, docere aduerſarium maieſtatem minuiſſe, & hunc locum totum communi loco confirmare, per quem ipſius facti atrocitas, aut indignitas, aut omnino culpa cum indignatione augeatur. Poſt erit infirmanda aduerſariorum deſcriptio. Ea autem infirmabitur, ſi falſa demonſtrabitur. hoc ex opinione hominum ſumetur, cum, quemadmodum, & quibus in rebus homines in conſuetudine ſcribendi, aut ſermocinandi eo uerbo uti ſoleant, conſiderabitur. Item infirmabitur, ſi turpis, aut inutilis eſſe oſtendetur eius deſcriptionis approbatio, & ſi quæ incommoda conſecutura ſint, eo conceſſo oſtendetur. Id autem ex honeſtatis, & utilitatis partibus ſumetur, de quibus in deliberationis præceptis exponemus. et ſi cũ definitione noſtra aduerſariorum definitionem conferemus, & noſtram ueram, honeſtam, utilem eſſe demonſtrabimus, illorum contrà. Quæremus autem res, aut maiori, aut minori, aut pari in negotio ſimiles, ex quibus affirmetur noſtra deſcriptio. Iam ſi res plures erunt definiendæ; ut ſi quæratur, fur ſit, an ſacrilegus, qui uaſa ex priuato ſacra ſurripuerit, erit utendum pluribus definitionibus. Deinde ſimili ratione cauſſa tractanda. Locus autem communis in eius malitiam, qui non modo rerum uerum etiam uerborum poteſtatem ſibi arrogare conetur, ut & faciat, quod uelit, & id, quod fecerit, quo uelit nomine appellet. Deinde defenſoris primus locus eſt, item nominis breuis, & aperta, & ex opinione hominum deſcriptio, hoc modo. Maieſtatem minuere eſt aliquid de repub. cum poteſtatem non habeas, adminiſtrare. Deinde huius confirmatio eſt ſimilibus, & exemplis, & rationibus. Poſtea ſui facti ab illa definitione ſeparatio. Deinde locus communis, per quem facti utilitas, aut honeſtas adaugetur. Deinde ſequitur aduerſariorum definitionis reprehenſio, quæ iiſdem ex locis omnibus, quos accuſatori præſcripſimus, conficitur: & cetera poſt eadem præter communem locum inducentur. Locus autem communis erit defenſoris is,

per

per quem indignabitur, accuſatorem ſui periculi cauſſa, non res ſolum conuertere, uerum etiam uerba commutare conari. Nam illi quidem communes loci, qui aut calumniæ accuſatorum demonſtrandæ, aut miſericordiæ captandæ, aut facti indignandi, aut à miſericordia deterrendi cauſſa ſumuntur, ex periculi magni tudine, non ex cauſſæ genere dicuntur. Quare non in omnem cauſſam, ſed in omne cauſſæ genus incidunt. Eorum mentionem in coniecturali conſtitutione fecimus. Inductione autem eorum, cum cauſſa poſtulabit, utemur.

¶ CVM *eſt nominis controuerſia, quia uis uocabuli definienda uerbis eſt, conſtitutio definitiua dicitur*] *Ad alterum conſtituti onis genus tranſitum facit: quam, quia definitione opus eſt, Latini definitiuam, Græcorum alij* ὁριστικὴν, *quidam* περὶ τῆς ἰδιότητος, *nonnulli uero* περὶ τοῦ αὐτοῦ, καὶ ἑτέρου, *ut antea docuimus, appellant. hac fit, cum factum quidem confitemur, ſed accuſantis intentionem negamus. meminit huiuſce conſtitutionis etiam Ariſt. in primo libro de arte rhet. cap. 34. exemplum proponitur à Cicerone C. Flaminij trib. plebis: qui cum legem agrariam ferre uellet, inuito ſenatu, à patre de templo eductus fuit. inde oritur controuerſia de diminuta maieſtate: cuius quidem controuerſiæ partes omnes diligenter explicantur in textu.* ¶ *C. Flaminius*] *C. Quintius, ſiue mauis Quinctius Flaminius dicebatur.* ¶ *Is, qui cos. rempub. male geſſit bello punico ſecundo*] *poſt pugnam ad Trebiam Arimini cos. factus à T. Sempronio cos. & ad Traſumenum lacum Hetruriæ ab Annibale inſidijs circumuentus. cuius exercitus fuſus, fugatusq́; eſt: ipſe uero lancea transfixus obijt. Liuius lib. 2. de bello p. 2.* ¶ *Legem agrariam ferebat*] *de agro Gallico, & Piceno uiritim diuidendo. hanc legem aliquot annis ante bellum punicum ſecundum tulit, quæ lex Quintia dicta fuit.* ¶ *Ad hanc iudicationem argumentationes omnes afferri oportebit.*] *tanquam ad ſignum ſagitta.* ¶ *Ac ne forte arbitretur nos non intelligere aliam quoque incidere conſtitutionem in hanc cauſſam*] *cauſſa coniuncta appellatur, quæ ex duabus, pluribus'ue conſtitutionibus conſtat: quarum una præcipua eſt, quam principalem nominant: aliæ incidentes appellantur. Vt in cauſſa pro Milone quæſtio iuridicialis præcipua eſt, an iure Clodium occiderit Milo. Unde altera oritur coniecturalis, uter utri inſidias fecerit. in hanc igitur definitiuam conſtitutionem alteram quoque incidere poſſe memorat: cuius & ſi nomen ſupprimit, tamen facile intelligitur iuridicialem eſſe; quam ſi quis diligenter animaduertat: tribus ex locis fieri, ac tractari poſſe cognoſcet. Nam aut abſoluta eſſe poteſt, hoc modo. Deduxi quidem tribunum de concione, ſiue de templo; uerum id pro meo iure, ac patria in fi*

lium

lium poteſtate mea facere potui. aut aſſumptiua eſt ex relatione criminis: hoc modo. Deduxi eum de templo, & iure id feci: nam præter ſenatus, optimatumq́; uoluntatem legem ferre uolebat. aut ex comparatione tractabitur, ad hunc modum. Profui, cum impedimento fuerim, ne legem ſenatui pernicioſam ferret. ¶ *Eam nos partem ſolam ſumimus*] *definitiuæ conſtitutionis tantum ſe hoc in loco præcepta daturum pollicetur, ob id quia de omnibus conſtitutionibus ſeparatim in hoc ſecundo libro à ſe præceptiones traditæ fuerunt.* ¶ *Primus ergo accuſatoris locus eſt*] *uti in conjecturali conſtitutione fecerat, ſic in hac quoque accuſatoris defenſoriſq́; locos ad probandam cauſſam proponit. in hac tamen conſtitutione communia dari uidentur accuſatori, ac defenſori præcepta. nam uterque definit, uterque definitionem ſuam confirmat, & alterius infirmat: uterque partibus iuris nititur: uterque ſimilia, contraria, conſequentia pertractat. ſumma autem diſputationis huius, & controuerſia in definitione poſita eſt. non enim crebris argumentis hæc controuerſia tractatur. ſicuti coniectura, & qualitas (quanquam & ipſa etiam argumenta recipit) ſed explicando, excutiendoq́; uerbo, eiusq́; uim apertiſſime demonſtrando, id quale ſit exemplo demonſtrat. præcipuus ergo accuſatoris locus erit ex definitione: quam & confirmandam rationibus, & ad negotium, de quo controuerſia eſt, deducendam monet.* ¶ *Maieſtatem minuere*] *definitionem læſæ maieſtatis accuſator ad ſuæ cauſſæ utilitatem accommodat.* ¶ *Pluribus uerbis eſt, & rationibus confirmandum*] *cum aliunde, tum maxime ab exemplo ductis. exempla extabunt Gracchorum, Saturnini, atque aliorum, qui leges agrarias, frumentariasq́; cum ferre uellent, prohibiti ſunt. Q. Cæpio Saturnino, alij alijs interceſſerunt, quo minus ferrent. Gracchorum leges latæ quidem, ſed, illis occiſis, poſtea neglectæ fuerunt.* ¶ *Poſteà ad id*] *aſſumendum eſſe negotium dicit, quod in controuerſia eſt, & ad definitionem accommodandum, hoc modo. Maieſtatem minuere eſt aliquid de dignitate magiſtratuum populi Ro. derogare, pater Flaminij de tribuni plebis dignitate non parum derogauit, cum eum de templo eduxerit, igitur maieſtatem minuit.* ¶ *Ea autem infirmabitur, ſi falſa demonſtrabitur*] *quatuor locis aduerſariorum definitionem infirmari poſſe oſtendit: ſi falſa, ſi turpis, ſi inutilis eſſe probetur, aut ſi collata noſtra cum aduerſarij definitione, noſtram ex communi opinione utilem, honeſtamq́;, aduerſariorum utrò falſam, turpem, inutilemq́; eſſe demonſtrabimus.* ¶ *Quæremus autem res aut maiori, aut minori, aut pari negotio ſimiles*] *probanda eſt noſtra definitio argumentis à comparatione maiorum, minorum, pariumq́; deductis. maiorum, ut ſi is minuit maieſtatem, qui tribuno plebis conuitium dicit, ergo & qui eum à ferenda le-*

ge

ge prohibet. à minorum comparatione, hoc modo. Si maieſtatem lædit, qui tribuno plebis non paruit, aut ei in uia non ceſſit; ergo magis qui eum è templo deducit: id enim eſt uim magiſtratui inferre. à pari, ſic. Ut is maieſtatem offendit, qui à magiſtratu concionem auocat, ſic & qui à concione, ſiue de templo magiſtratum abducit. Ut conſulis, ſi ei ſummæ grauitatis ſenator interceſſerit, quo minus aliquid in ſenatu referat, auctoritas minuitur; ſic, qui tribunum plebis de concione abducit, quo minus legem ferat, is maieſtatem tribuni minuit: ergo & populi Ro. ¶ Ex quibus affirmetur noſtra deſcriptio] quod antea definitionem, nunc deſcriptionem appellat. ex quo intelligi poteſt nomen deſcriptionis pro definitione poſitum eſſe. Sic in primo libro de Orat. ex perſona Antonij. philoſophi, inquit, denique ipſius, qui de ſua ui, ac ſapientia, unus omnia penè profitetur. eſt tamen quædam deſcriptio. &c. quo in loco deſcriptionem pro definitione poſitam eſſe doctiſs. homines arbitrantur. ¶ Erit utendum pluribus definitionibus] ut in cauſſa pro A. Cæcina. ¶ Locus autem communis in eius malitiam] per locum communem indignationis aduerſarij amplificanda malitia eſt. qui ex arbitrio, & uoluntate ſua. non ex ratione, & æquitate rerum, uerborumq́; ſibi poteſtatem uſurpet. in hanc ſententiam extat Ciceronis amplificatio contra P. Clodium in Oratione pro Milone: quæ etſi longa eſt, tamen hic eam adſcribere non pigebit, ut qualis eſſe debeat locus iſte, exemplo intelligi poſſit. Occidi, Occidi, non Spurium Melium. & paucis interiectis lineis, ſubdit. Sed eum, qui ciuem, quem Senatus, quem populus, quem omnes gentes urbis, ac uitæ ciuium conſeruatorem indicabant, ſeruorum armis exterminauit: eum, qui regna dedit, ademit, orbem terrarum quibuscum uoluit partitus eſt: eum, qui, pluribus cædibus in foro factis, ſingulari uirtute, & gloria ciuem domum ui, & armis compulit: eum, cui nihil unquam nefas fuit nec in facinore, nec in libidine: eum, qui ædem Nympharum incendii, ut memoria publicæ recenſionis tabulis publicis impreſſam, extingueret: eum denique, cui iam nulla lex erat, nullum ciuile ius, nulli poſſeſſionum termini: qui non calumnia litium, nō iniuſtis uindicijs, ac ſacramentis alienos fundos, ſed caſtris, exercitu, ſignis inferendis petebat. & alia, quæ ſequuntur. ¶ Deinde defenſoris primus locus eſt] eodem ferè ordine defenſori utendum eſſe admonet, quem accuſatori antea obſeruandum præcepit. primum afferendam eſſe breuem, atque probabilem maieſtatis definitionem; deinde argumentis à ſimili, atque ab exemplo deductis confirmandam. poſtea factum à maieſtatis definitione diuerſum eſſe deinde locum communem ad rem amplificandam ex utili, & honeſto inducendum deinde ex iiſdemmet locis, quos antea accuſatori tribuerat, refellendam eſſe aduerſarij definitionem. poſtremò locum

cum

tum communem cum indignatione ex temeritate, uel malitia potius aduerſarij, qui res, & uerba commutare conetur, proferendum docet. ¶ *Deinde huius confirmatio eſt, ſimilibus & exemplis, & rationibus*] *ſimilibus quidem, hoc modo. Quemadmodum ſi quis Regis alicuius domeſticus nulla auctoritate ductus, & abſque licentia Regis uel ſupplicem libellum, uel publicas litteras regij nominis inſcriptione firmaret, Regis ipſius maieſtatem minueret, ita etiam, qui aliquid de repub. cum poteſtatem non habeat, adminiſtrat, is reipub. maieſtatem lædere uidetur. Exemplis. T. Manlius Torquati filius, quòd bello Latino contra imperium patris pugnauerat, ab eo minuiſſe maieſtatem iudicatus, & ſecuri percuſſus eſt. Nam pater eo tempore cos. exercitum ducebat. Rationibus, hoc modo. Qui enim reipub. curam ſuſcipit, aut aliquid de ea, cum poteſtatem nullam habeat, adminiſtrat; is reipublicæ auctoritatem, poteſtatemq́ negligere, atque illi iniuriam inferre uidetur.* ¶ *Poſtea ſui facti ab illa definitione ſeparatio*] *hoc præceptum ſuperiori contrarium eſt, ubi de locis accuſatoris agitur. Nam accuſatoris definitionem facto, de quo controuerſia eſt, adiungendam docuit: hic uerò factum, de quo quæritur, à definitione ſeparandum monet: hoc, ut opinor, modo. maieſtatem minuere, eſt aliquid de repub. abſque poteſtate adminiſtrare, pater Flaminij nihil in repub. adminiſtrauit, ſed filium duntaxat de templo abduxit, quod longè diuerſum eſt à reipub. adminiſtratione. igitur maieſtatem non minuit.* ¶ *Quare non in omnem cauſſam, ſed in omne cauſſæ genus incidunt*] *In omnes quidem incidunt conſtitutiones, ſed non in omnes cauſſas ſingulárum conſtitutionum: Nam unaquæque conſtitutio plures diuerſi generis controuerſias habere poteſt. exempli gratia. Coniecturalis conſtitutio aliam quidem homicidij, aliam furti, aliam adulterii controuerſiam recipit: idem quoque de reliquis conſtitutionibus dici poteſt. itaque fit, ut et loci exiſtant communes omnium conſtitutionum, & loci communes ſingularum cuiuſque conſtitutionis controuerſiarum.*

CVM autem actio tranſlationis, aut commutationis indigere uidetur, quòd non aut is agit, quem oportet, aut cum eo, quî cum oportet, aut apud quos, qua lege, qua pœna, quo crimine, quo tempore oportet, conſtitutio tranſlatiua appellatur. Huius nobis exempla permulta opus ſunt, ſi ſingula tranſlationum genera quæramus: ſed quia ratio præceptorum ſimilis eſt, exemplorum multitudine ſuperſedendum eſt. Atque in noſtra quidem conſuetudine multis de cauſsis fit, ut rarius incidant trãſlationes. Nam & prætoriis exceptionibus multæ excluduntur actiones, & ita ius ciuile habemus conſtitutum, ut à cauſſa cadat

is, qui non quemadmodum oportet, egerit. Quare in iure plerunque uerſantur. Ibi enim & exceptiones poſtulantur, & quodammodo agendi poteſtas datur, & omnis conceptio priuatorum iudiciorum conſtituitur. In ipſis autem iudiciis rarius incidunt, & tamen ſi quando incidunt, eiuſmodi ſunt, ut per ſe minus habeant fortitudinis: confirmentur autẽ aſſumpta alia aliqua conſtitutione. Vt in quodam iudicio, cum uenefici cuiuſdam nomen eſſet delatum, & quia parricidii cauſſa ſubſcripta eſſet, extra ordinẽ eſſet acceptum, cum in accuſatione alia quædam crimina teſtibus, & argumentis cõfirmarentur, parricidii autẽ ſolum mentio facta eſſet, defenſor in hoc ipſo multum oportet, ut diu conſiſtat, cum de nece parentis nihil demonſtratum ſit, indignum facinus eſſe ea pœna afficere eum, qua parricidæ afficiuntur. Id autem ſi damnaretur, fieri neceſſe eſſet, quoniam & id cauſſæ ſubſcriptum, & ex ea re nomen extra ordinem ſit acceptum. Ea igitur pœna ſi affici reum non oporteat, damnari quoque non oportere, quoniam ea pœna damnationem neceſſario conſequatur. Hic defenſor pœnæ commutationem ex translatiuo genere inducendo, totam infirmabit accuſationem. Veruntamen ceteris quoque criminibus defendendis coniecturali conſtitutione translationem confirmabit. Exemplum autem translationis in cauſſa uobis poſitum ſit huiuſmodi. Cum ad uim faciendam quidam armati ueniſſent, armati contra præſto fuerunt, & cuidam equiti Romano quidam ex armatis reſiſtenti gladio manum præcidit. Agit is, cui manus præciſa eſt, iniuriarum: poſtulat is, qui cum agitur, à Prætore exceptionem, extra quam in rerum capitis præiudicium fiat. Hic is, qui agit, iudicium purum poſtulat. ille, qui cum agitur, exceptionem addi ait oportere. Quæſtio eſt, Excipiendum, ſit an non. Ratio. Non enim oportet in recuperatorio iudicio eius maleficii, de quo inter ſicarios quæritur, præiudicium fieri. Infirmatio rationis. Eiuſmodi ſunt iniuriæ, ut de his indignum ſit non primo quoque tempore iudicari. Iudicatio. Atrocitas iniuriarum ſatis'ne cauſſæ ſit. Quare dum de ea iudicetur, de aliquo maiore maleficio, de quo iudicium comparatum ſit, præiudicetur. atque exemplum quidem hoc eſt. In omni autem cauſſa ab utroque quæri oportebit, à quo & per quos, & quo modo, & quo tempore aut agi, aut iudicari, aut quid ſtatui de ea re conueniat. Id ex partibus iuris, de quibus poſt dicendum eſt, ſumi oportebit, & ratiocinari quid in ſimilibus

milibus rebus fieri ſoleat, & uidere utrum malitia quid aliud agatur, aliud ſimuletur, an ſtultitia, an neceſsitudine, quòd alio modo agi non poſsit, an occaſione agendi ſic ſit iudicium, aut actio conſtituta, an recte ſine ulla re eiuſmodi res agatur. Locus autem communis contra eum, qui translationem inducet, fugere iudicium, ac pœnam; quia cauſſæ diffidat. A' translatione autem omnium fore perturbationem, ſi non ita res agatur, & in iudicium ueniat quo pacto oporteat: hoc eſt, ſi aut cum eo agatur, qui' cum non oporteat, aut alia pœna, alio crimine, alio tempore; atque hanc rationem ad perturbationem iudiciorum omninm pertinere. Tres igitur eæ conſtitutiones, quæ partes non habent, ad hunc modum tractabuntur. Nunc generalem conſtitutionem, & partes eius conſideremus.

¶ CVM *autem actio translationis] conſtitutionem translatiuam, quam Græci μετάληψιν uocant, tractandam aggreditur. quam modis quatuor fieri poſſe affatim in primo commentario diximus. à perſona, à re à loco, à tempore: quæ omnia rurſus hic attingit Cicero. quin etiam illud addidimus, de medio conſtitutionum prorſus tollendam eſſe translationem, ob id quia à controuerſia facti ſeiuncta omnino eſſe uidetur.* ¶ *Quòd non aut is agit, quem oportet, aut cum eo, qui cum oportet] perſonam deſignat auctoris uidelicet, & rei. cum ab eo aliquid petitur, à quo peti non debet.* ¶ *Apud quos] hoc ad locum refertur, cum à ſubſellijs, ad ſubſellia, ſiue à iudice ad iudicem cauſſa transfertur.* ¶ *Qua lege, qua pœna, quo crimine] rem dicit. Nam actor, & reus, pœnæ, legis, criminiſq; translationem petere poteſt: cum dicat, hac lege, non illa agendum, hac pœna, non illa; ob hoc crimen, non ob illud reum puniendum eſſe. hæc eadem præcepta traduntur à Cic. in part. Orat. ijs uerbis. Atque etiam ante iudicium, de conſtituendo ipſo iudicio ſolet eſſe contentio, cum aut ſit' ne actio illi, qui agit, aut iam ne ſit, aut num iam eſſe deſierit, aut illa' ne lege, ijs' ne uerbis ſit, quæritur: quæ etiam, ſi ante quàm res in iudicium uenit, aut concertata, aut diiudicata, aut confecta non ſunt, tamen in ipſis iudicijs permagnum ſæpe habent pondus cum ita dicitur. Plus petiſti: ſerò petiſti: non fuit tua petitio: non à me; non hac lege: non ijs uerbis, non hoc iudicio.* ¶ *Huius nobis] ſi ſingulis translationum generibus ſingula adaptanda exempla eſſent, infinita utiq; quærere oporteret. ideoq; omittenda eſſe arbitratur.* ¶ *Atq; in noſtra quidem conſuetudine] κατ' ἔκβασιν parum à re digreditur, & rationem quamobrem rarò translationes in cauſſis fiant, aſſignat.* ¶ *Nam prætorijs exceptionibus] Prætoris erat excipere, & excludere, quæ in iudicio tractari nollet: quin etiam modum,*

rationemq́ agendi præſcribebat, ne in medio actionis tranſlatio peteretur, aut actio de integro iniretur, id enim erat incommodo tum actori, tum etiam reo. itaque cum forma litis conſtituta, hoc eſt lis conteſtata eſſet, nullus in iudicio amplius translationi locus erat. quo circa fiebat, ut rarius inciderent translationes in cauſſas. hinc propterea eſt, quòd in cauſſis præſertim de ui, præiudicia fieri ſolebant, ut in cauſſa Milonis factum fuiſſe apparet. quod nihil aliud erat, niſi præſcriptio; & exemplar iudicibus datum, quod ſequi deberent in cauſſa. ¶ Vt cauſſa cadat] iura litis amittat. Cicero Trebatio fam. 7. Quod ſi ſcribere oblitus es, minus multi iam te aduocato cauſſa cadent. ¶ Ibi enim & exceptiones poſtulantur] à reo: interdum etiam ab actore. hoc quid eſſet, & quo modo fieret, paulo infrius declarabimus. ¶ Confirmentur autem aſſumpta alia aliqua conſtitutione] hoc ſequenti exemplo declaratur. ¶ Vt in quodam iudicio] exemplum hoc, ob id poſitum eſt, ut tranlsationem alia conſtitutione firmari demonſtret. huiuſmodi autem eſt. Quidam cum eſſet accuſatus primum ueneficij, deinde parricidij (ob idq́, extra ordinem eius cauſſa ageretur, ac probato ueneficio, alijsq́, criminibus, de ſolo parricidio, quod incertum erat, mentio fieret, iudiciumq́, ageretur de reo pœna parricidarum puniendo, defenſor inſtabat indignum eſſe facinus, eum pœna parricidij damnari, cuius parricidium nondum planè eſſet probatum. Quòd ſi ea pæna reum affici nefas eſt, nec damnari quidem ob alia crimina oportet: quia non inde conſtitutum eſt iudicium, ſed ex ſuſpicione parricidij tantum. hic defenſor agit de commutanda pœna: quod eſt translationis proprium. quam ſua ſponte infirmã coniecturali conſtitutione confirmat. Nam dum translationem per coniecturalem conſtitutionem inducit, omnem omnium criminum accuſationem infirmat. ¶ Extra ordinem eſſet acceptum] Quia de parricidio erat accuſatio, ideo extra ordinem cauſſa agebatur. Sciendum autem eſt, quod apud Ro. cauſſæ reorum ordine agebantur: nam quæ ordine temporis priores fuerant, earum item prior locus erat. Excipiebantur uerò cauſſæ, quæ cum cauſſis iam iudicatis coniunctionem aliquam habebant, ut earum quaſi appendices quædam uiderentur. eiuſmodi enim cauſſis, & ſi poſt multas alias delatæ fuerant, tamen primus locus erat conſtitutus. itaque apud Ciceronem in oratione pro Cluentio Fabritius, ut ſua cauſſa primus poſt cauſſam Scamandri locus conſtitueretur, impetrauit: ob id quia Fabritij cauſſa coniunctionem habebat, immo eadem erat cum cauſſa Scamandri, qui antea condemnatus fuerat. excipiebantur præterea cauſſæ de ui illata: quæ primo loco agebantur omiſſis alijs cauſſis, quæ ordine temporis priores fuerant. Sic Milonis, M. Cœlij atque aliorum cauſſæ, quia de ui erant, extra ordinem di

Eta

ctæ ſunt. quam ob rem hoc in loco Cicero nomen rei extra ordinem delatũ fuiſſe ait, quia cauſſa parricidij ſubſcripta eſſet. nam de ui erat. ¶ *Id autem ſi damnaretur*] *Si reus parricidij damnaretur, utiq; parricidarum pœna afficiendus eſſet.* ¶ *Totã infirmabit accuſationem*] *parricidij, ueneficij, cæterorumque, quorum accuſatus fuerat, criminum. hoc modo, negat reus ſe non modo parricidij damnandum, ob id, quia adhuc non conſtat de parricidio, ſed ne ob alia quidem, de quibus conſtat, crimina ſupplicio afficiendum: propterea quia iudicium de parricidio tantum, non autem de alijs criminibus conſtitutum eſt. nec ante iudicium iure quiſpiam condemnari poteſt. itaque fit, ut translatio inducta à reo utrunque iudicium infirmet & ipſa ſua ſponte infirma coniecturali ſtatu confirmetur.* ¶ *Cum ad uim faciendam*] *Hactenus, quo modo translatio coniecturali conſtitutione firmetur, oſtenſum eſt, iam uerò exemplum ipſius translationis aggreditur. & de ui armata intelligit, quæ cum telo fit, id quod facile indicant uerba ſequentia. nam ſubdit. quidam armati ueniſſent. fuit & uis non armata, quæ ſine armis fiebat: quam animaduerti à poſterioribus iureconſultis exturbatiuam appellari. eam Cicero pro A. Cæcina uim quotidianam nominaſſe uidetur. quòd huiuſmodi poſſeſſores quotidie contendant, dum uterque poſſeſſionem ſibi uendicat.* ¶ *Agit is, cui manus præciſa eſt, iniuriarum*] *Iuſtinianus libro 4. Inſtit. tit. de iniurys, inferri iniuriam docet, non ſolum cum quis pugno pulſatus, aut fuſte caſus eſt: uerum etiam cui conuicium factum fuerit. ſiue cuius bona quaſi debitoris, qui nihil debet, poſſeſſa fuerint ab eo, qui intelligebat nihil eum ſibi debere, uel ſi quis ad infamiam alicuius libellum, aut carmen, aut hiſtoriam ſcripſerit, ediderit, nonnullaq; alia, quæ ex ipſius contexiu intelligi poſſunt. Plato in Memnone rrfert iniuriam alicui inferre Athenis olim grauiſſimum fuiſſe. Ariſt. in primo de arte rhet. copioſe diſputat quid ſit iniuriam inferre, & iniuria affici.* ¶ *A prætore exceptionem. extra quã in reũ capitis præiudicium fiat*] *rectè à prætore. nam pœna iniuriarum quæ olim ex lege 12. tab. introducta fuit, ætate Cic. abolita erat, quam uerò prætores introduxerant, quæ & honoraria dicebatur, eo tempore in uſu erat: ideoq; prætoris hic mentio fit. Sed & lex Cornelia iniuriarum actionem introduxit, lege Iuſtinianum in 4. libro Inſtit. cap. de iniurijs. igitur poſtulat reus exceptionem, illam. ſ. extra quam præiudicium fieri ſolet de capite, id eſt eam exceptionem, quæ niſi à prætore daretur in reum, licet non occiderit, capitis tamen iudicium fieret, ob id quia uim intulit. Nam in cauſſis atrocibus præiudicia fiebant interdum à ſenatu, ut in cauſſa Milonis: quandoque à conſule; ut in eadem met cauſſa: aliquando etiam à prætore. in quibus plus timoris, & periculi erat, quàm ſi uia, ut ita dicam,*

cam, ordinaria negotium fuiſſet cognitum. Nam in iudicijs ordinarijs multæ exceptiones, negotij prorogationes, ſtudia amicorum ualent. in præiudicijs uerò in anguſtius arctantur cauſſæ, præſcriburq́; iudicibus, quid agere debeant, & reus ferè pro damnato habetur. itaque in hoc exemplo reus exceptionem poſtulat, ueritus ne prætor noua quadam quæſtione, & non ordinario iudicio iubeat hanc cauſſam agi: reumq́; propter uim illatam iudicio capitis, perinde quaſi occidiſſet, damnari.

¶ *Iudicium purum poſtulat*] *ſine exceptione, & excluſione rei alicuius.* ¶ *Non enim oportet in iudicio recuperatorio*] *ratio hæc eſt illius, qui cum agitur: quæ à conſuetudine iudicandi deducta eſſe uidetur. Nam dabantur à prætore iudices, qui priuatas cauſſas cognoſcerent, ijq́; recuperatores iudices appellantur. Cum igitur prætor huius cauſſæ iuris dictionem recuperatorijs iudicibus mandaſſet, iure negat reus in iudicio recuperatorio præiudicium fieri debere. Nam cauſſa priuata eſt; & præiudicia niſi in cauſſis atrocibus, ut de ui, fieri ſolent. ait igitur non æquum eſſe in iudicio recuperatorio negotium perinde agi, atque ſi maleficium de capite eſſet.* ¶ *De quo inter ſicarios quæritur*] *hoc eſt maleficium de capite.* ¶ *Primo quoque tempore*] *ſtatim, abſque ulla temporis prorogatione. ut in oratione pro Sex. Roſcio. Vos & audaciæ reſiſtere, & hominum eiuſmodi pernitioſam, atque intolerandam potentiam primo quoque tempore extinguere, atque opprimere debetis.* ¶ *Atrocitas iniuriarum*] *atrox iniuria auctore Iuſtiniano loco ſuperius adducto, uaria ratione æſtimari ſolet, ex facto, ex loco, ex perſona, item ex alijs circunſtantijs. ex facto quidem, ut ſi quis quempiam uulneret, aut fuſte cædat. ex loco, ut ſi uel in theatro uel in foro, uel coram prætore quiſpiam alterum iniuria affecerit. ex perſona, ut ſi magiſtratui uel maiori à minore iniuria inferatur.* ¶ *In omni autem cauſſa*] *in quacunque translatiua cauſſa hæ quatuor potiſſimum circunſtantiæ inueſtigandæ ſunt, perſona, factum, tempus, locus, id eſt quid, à quo, per quos, quó ue tempore fieri debeat, quo modo ſtatui, iudicariq́; ſoleat.* ¶ *Id ex partibus iuris*] *natura, lege, conſuetudine, æquo, & bono, huiuſmodiq́; alijs. eſt enim ius triplex, naturæ, conſuetudinis, ſcripti. ſed ijs de partibus iuris, ut hic ipſe pollicetur, paulo infra copioſe diſputabit.*

¶ *Et ratiocinari quid in ſimilibus rebus fieri ſoleat*] *Vtrum ſubſequi purum iudicium, an exceptio dari couſueuerit.* ¶ *Et uidere utrum malitiæ quid aliud agatur*] *Coniecturis quoque agi poſſe admonet, quibus inueſtigetur, an malitioſe hac in controuerſia aliud agatur, aliud agi ſimuletur, an ſtulte, hoc eſt temere, & iuris ignoratione, uel ex neceſſitate negotium tractetur, uel tandem ex occaſione, perinde quaſi iudicium ab actione nihil differat: ſed ut actio ex occaſione, ita etiam iudicium ex eademmet oc*

caſione

-caſione conſtitutum eſſe uideatur. ¶ Locus autem communis] locus iſte actoris eſt contra reum: Nam reus transferri iudicium uolebat. itaque nunc ait Cicero id ei per locum communem ab actore abyciendum eſſe, quaſi ſubterfugere iudicium uideatur, quia cauſſæ ſuæ diffidat. hæc iudicij fuga, & diffidentia cauſſæ (in conſtitutione licet diſſimili) obijcitur Capitoni, & Chryſogono in oratione pro Sex. Roſcio. qui ſeruos à reo in quæſtionem poſtulatos, dare noluerunt, ob id quia iniquitati cauſſæ ſuæ diffidebant. Sic enim ait Cic. Te nunc appello P. Scipio, te Metelle: uobis aduocatis, uobis agentibus, aliquoties duos ſeruos paternos in quæſtionem ab aduerſarijs poſtulauit Sex. Roſcius. Meminiſti' ne te T. Roſci recuſare? quid? ij ſerui ubi ſunt? Chryſogonum iudices ſectantur: apud eum ſunt in honore, & in pretio. etiam nunc ut ex ijs quæratur, ego poſtulo: hic orat, & obſecrat. quid facitis? cur recuſatis? Dubitate etiam nunc iudices, ſi poteſtis, à quo ſit Sex. Roſcius occiſus: ab eo' ne, qui propter illius mortem in egeſtate, & inſidijs uerſatur, cui ne quærendi quidem de morte patris poteſtas permittitur? an ab ijs, qui quæſtionem fugitant, bona poſſident, in cæde, atque ex cæde uiuunt? ¶ A translatione autem] locus communis eſt defenſoris, qui translationem fieri poſtulabat. is inquit, oſtendere debet omnes perturbatos iri, niſi hoc iudicium cum exceptione fiat: nam nimium atrox uideretur, ſi cum eo pœna capitis ageretur, qui hominem non occidiſſet, ſed ei tantum modo manum præcidiſſet.

Cvm & facto, & facti nomine conceſſo, neque ulla actionis illata controuerſia, uis, & natura, & genus negotii ipſius quæritur, conſtitutionem generalem appellamus, Huius primas eſſe partes duas nobis uideri diximus, negotialem, & iuridicialem. Negotialis eſt, quæ in ipſo negotio iuris ciuilis habet implicitam controuerſiam. Ea eſt huiuſmodi. Quidam pupillum hæredem fecit, pupillus autem ante mortuus eſt, quàm in ſuam tutelam ueniret. De hæreditate ea, quæ pupillo uenit, inter eos, qui patris pupilli hæredes ſecundi ſunt, & inter agnatos pupilli controuerſia eſt, poſſesſio hæredum ſecundorum eſt. Intentio eſt agnatorum. Noſtra pecunia eſt, de qua is, cuius agnati ſumus, teſtatus non eſt. Depulſio eſt. Immo noſtra, qui hæredes ſecundi teſtamento patris ſumus. Quæſtio eſt. Vtrorum ſit. Ratio eſt. Pater enim & ſibi, & filio teſtamentum ſcripſit, dum is pupillus eſſet, Quare, quæ filii fuerunt, teſtamento patris noſtra fiant neceſſe eſt. Infirmatio eſt rationis, Immo pater ſibi ſcripſit, & ſecundum hæredem non filio, ſed ſibi iusſit eſſe. Quare præterquã quod ipſius fuit in teſtamento, ullius ueſtrum eſſe non poteſt.

Iudicatio. Posſit'ne quiſquam de filii pupilli re teſtari. An hæredes ſecundi ipſius patris familias, non filii quoque eius pupilli hæredes ſint. Atque hoc non alienum eſt, quòd ad multa pertineat, ne aut nuſquam, aut uſquequaque dicatur, hic admonere. Sunt cauſſæ, quæ plures habent rationes in ſimplici conſtitutione: quod fit, cum id, quod factum eſt, aut quod defenditur, pluribus de cauſis rectum, aut probabile uideri poteſt: ut in hac ipſa cauſſa. Supponatur enim ab hæredibus hæc ratio. Vnius enim pecuniæ plures disſimilibus de cauſis hæredes eſſe non posſunt: nec unquam factum eſt, ut eiuſdem pecuniæ alius teſtamento, alius lege hæres eſſet. Infirmatio autem hæc erit. Non eſt una pecunia, propterea quòd altera iam erat pupilli aduentitia, cuius hæres non illo in tempore in teſtamento quiſquam ſcriptus erat, ſi quid pupillo accidiſſet: & de altera patris etiam nunc mortui uoluntas plurimũ ualebat, quæ iam mortuo pupillo ſuis hæredibus concedebat. Iudicatio eſt. Vna'ne pecunia fuerit, aut ſi hac erũt uſi infirmatione, Poſſe plures eſſe unius hæredes pecuniæ disſimilib. de cauſſis. de eo ipſo iudicatio naſcitur. Posſint'ne eiuſdẽ pecuniæ plures diſsimilibus generibus eſſe hæredes. Ergo una in cõſtitutione intellectũ eſt, quomodo & rationes, & rõnum infirmationes, & præterea iudicationes plures fiant. Nunc huius generis præcepta uideamus. Vtriſque, aut etiam omnibus, ſi plures ambigent, ius ex quibus rebus conſtet, eſt conſiderandum. Initium ergo eius ab natura ductum uidetur. Quædam autem ex utilitatis ratione, aut perſpicua nobis, aut obſcura in conſuetudinem ueniſſe: poſt autem approbata. Quædam aut à conſuetudine, aut uerò utilia uiſa, legibus eſſe firmata. Ac naturæ quidem ius eſt, quod nobis non opinio, ſed quædam innata uis afferat, ut religionem, pietatem, gratiam, uindicationem, obſeruantiam, ueritatem. Religionem, eam quæ in metu, & cæremonia deorum ſit, appellant. Pietatem, quæ erga patriam, aut parentes, aut alios ſanguine coniunctos officium conſeruare moneat. Gratiam, quæ in memoria, & remuneratione officiorum, & honorum, & amicitiarum obſeruantiam teneat. Vindicationem, per quam, uim, & contumeliam defendendo, aut ulciſcendo propulſamus à nobis, & à noſtris, qui nobis eſſe cari debent, & per quam peccata punimus. Obſeruantiam, per quam ætate, aut ſapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes reueremur, & colimus. Veritatem, per quam damus operam, ne quid

aliter,

aliter, quàm confirmauerimus, fiat, aut factum, aut futurum ſit. Ac naturæ quidem iura minus ipſa quæruntur ad hanc controuerſiam, quòd neque in hoc ciuili iure uerſantur, & à uulgari intelligentia remotiora ſunt: ad ſimilitudinem uerò aliquam, aut ad rem amplificandam ſæpe ſunt inferenda. Conſuetudinis autē ius eſſe putatur id, quod uoluntate omnium ſine lege uetuſtas comprobarit. In ea autem iura ſunt quædam ipſa iam certa propter uetuſtatem. Quo in genere & alia ſunt multa, & eorum multo maxima pars, quæ prætores edicere conſueuerunt. Quædam autem genera iuris iam certa conſuetudine facta ſunt. Quod genus, pactum, par, iudicatum. Pactum eſt, quod inter aliquos conuenit, quod iam ita iuſtum putatur, ut iure præſtare dicatur. Par, quod in omnes æquabile eſt. Iudicatum, de quo iam ante ſententia alicuius, aut aliquorum conſtitutum eſt. Iam iura legitima ex legibus cognoſci oportebit. His ergo ex partibus iuris quicquid aut ex ipſa re, aut ex ſimili, aut ex maiore, aut ex minore naſci uidebitur, quenque attendere, atque elicere pertentando unamquanque partem iuris oportebit. Locorum autem communium quoniam (ut ante dictum eſt) duo ſunt genera, quorum alterum dubiæ rei, alterum certæ continet amplificationē; quid ipſa cauſſa det, & quid augeri per communem locum poſſit, & oporteat, conſiderabitur. Nam certi, qui in omnes incidant, loci præſcribi non poſſunt: in pleriſque fortaſſe ab auctoritate iuriſconſultorum, & contra auctoritatem dici oportebit. Attendendum eſt autem in hac, & in omnibus, num quos locos communes, præter eos, quos expoſuimus, ipſa res oſtendat. Nunc iuridiciale genus, & partes eius conſideremus.

¶ CVM *& facto, & facti nomine conceſſo*] *Generalem conſtitutionem aggreditur: quam eam eſſe definit, in qua uis, & natura, qualitasq́ negotij quæritur. porrò ſingula huiuſce definitionis uerba diligenter expendenda ſunt. nam cum ait, facto, ubi ſubaudiendum eſt conceſſo, coniecturam deſignat. ubi ait, & facti nomine, definitionem: quando uerò dicit, neque ulla actionis illata controuerſia, tranſlationem innuit.* ¶ *Huius primas eſſe partes duas nobis uideri diximus*] *à definitione ad diuiſionem generalis conſtitutionis tranſitionem facit: quam in duas partes, in negotialem, & in iuridicialem diſtribuit. Hermogenes (uti in primo commentario diximus) generalem conſtitutionem in rationalem, & legitimam diſtinguit. in rationali, aut de re iam facta quæritur, & eſt iuridicialis; aut de facienda, & eſt negotialis: cui ſententiæ Fabius quoque ſubſcribit.*

¶ *Negotialis eſt, quæ in ipſo negotio iuris ciuilis habet implicitam contro-uerſiam*] *Negotialis conſtitutionis definitio eſt, quam paulo diuerſe in primo libro hoc modo definit: Negotialis eſt, in qua quid iuris ex ciuili more, & æquitate ſit, conſideratur: cui diligentiæ præeſſe apud nos iure conſulti exiſtimantur. Quam quidem definitionem Fab. Quintilianus cen. parum idoneam reſpuit in 3. libro. excuſat autem Ciceronem, quem, ſiue Hermagoræ auctoritate adductum eſſe ait; qui primus in hoc loco exempla poſuit ex quæſtionibus iuris; ſiue ob id eo modo negotialem definiuiſſe, quia πραγματικοὺς Græci uocant iuris interpretes: atque eum culpari poſſe negat: tanquam falſa præcipiat, cum illos elegantiſs. de Orat. libros iis ſubſtituerit. Negotialem alii iccirco appellari autumant, quia negotia magna ex parte, quæ futura ſunt, uerſat, cum faciendum ne ſit aliquid, an non faciendum deliberat. Trapezuntius tantam negotiali cum deliberatiuo genere affinitatem eſſe memorat, ut recte deliberatiuum genus ab iis tractari non poſſe iudicet, qui negotialem aut contempſerint, aut eius naturam non exacte perſpectam habuerint. Cum igitur generalis conſtitutio in negotialem, & iuridicialem diſtributa ſit; negotialis deliberatiuum genus magis reſpicit: iuridicialis uerò ad iudiciale magis accedit. Fabius Quint. loco ſuperius adducto negotialem à iuridiciali ita per definitionem diſtinguit, ut in hoc æquum, & bonum, appetendum, & fugiendum abſque perſonarum interpoſitione quæri dicat, ut an diuitiæ ſuperbiam pariant: in illo uero perſonam interponit an Craſſus ob diuitias factus ſit ſuperbus. itaque fit, ut iuridicialis non ſolum tempore, quia præteritum complectitur, à negotiali diſtet, quæ de futuro eſt, uerum etiam perſonarum interpoſitione disiungatur. Qua in re ut Fabii ſententiam non reprehenderim, ita non ſemper ueram eſſe affirmauerim. Nam & perſonas quandoque negotialis ſtatus recipere uidetur; qualis illa apud Cic. in diuinatione de accuſatore conſtituendo controuerſia, uter accuſare debeat Cæcilius, an Cicero. ea profecto controuerſia negotialis eſt: nam de futuro eſt, deq; æquo, & bono diſceptatur. & tamen perſonas interpoſitas habet, Cæcilium, Ciceronem. retorqueri quoque (uti antea diximus, & Trapezuntius ſentit) quandoque poſſe uidentur, ut & illa deliberatiuum genus, futurumque tempus, hæc uerò iudiciale, præteritumq; reſpiciat. uariant omnino rhetores in tractandis huiuſce conſtitutionis præceptis, ob id fortaſſe, quia uariæ illius ſpecies exiſtunt. Fortunatianus 13. negotialis conſtitutionis genera recenſet. Sed ad rem. Cicero in hanc conſtitutionem exemplum adducit huiuſmodi: quod ſecundi hæredes eam ſibi hæreditatem uendicent, quæ uenerit pupillo: quam eo mortuo agnati ſuam eſſe dicunt. perſpicuum eſt exemplum, ſed non omnibus probatum. Cicero tamen*

men & hic, & in ſecundo de Orat. ipſum approbauit. ¶ Pupillus] pupillus eſt puer impubes, qui deſijt eſſe in patris poteſtate uel morte, uel emancipatione. Pomponius I. C. de uerb. ſignif. l. Pupillus. ¶ Quam in ſuam tutelam ueniret] maſculi non ante quartum decimum annum, feminæ uerò poſt duodecimum à tutela liberantur. Iuſtinianus lib. 2. Inſtitut. tit. quibus modis tutela finiatur. ¶ De hæreditate ea, quæ pupillo uenit] aliunde, ſcilicet non ex teſtamento patris: quam infra aduentitiam appellat.

¶ Poſſeſſio hæredum ſecundorum eſt] quos pater pupilli inſtituerat: ut ſi filius ei hæres non eſſet, ſiue hæres eſſet, & ante moreretur, quàm in ſuam tutelam ueniret; tunc ipſi hæreditatem aſſequerentur. ita enim Iuſtinianus ſcriptum reliquit. Titius filius meus hæres mihi eſt: et ſi filius meus mihi hæres non erit, ſiue hæres erit, & prius moriatur, quàm in ſuam tutelam uenerit, id eſt antequam pubes factus ſit, tunc Seius mihi hæres eſto. idem ferè ſcribit Cic. in 2. de orat. de Coponio, qui ſimilis forma teſtamentum fecerat: de quo proculdubio hic intelligendum eſt. ¶ Pater enim & ſibi, & filio teſtamentum ſcripſit, dum is pupillus eſſet] Nam moribus inſtitutum erat, ut, cum filij eius ætatis eſſent, in qua ipſi ſibi teſtamentum facere non poſſent, parentes facerent eis. Iuſtinianus libro Inſtit. 2. de pup. ſubſt. ¶ Atque hoc non alienum eſt] quod ſequitur: eſt enim attentionis locus. ¶ Sunt cauſſæ] antequam præcepta in negotialem conſtitutionem tradat, admonet in una, ſimplicique conſtitutione plures reperiri poſſe rationes, rationumque refutationes, item & iudicationes: ut exempli gratia in hac cauſſa perſpici poteſt. ¶ Ergo in una conſtitutione] ἐπίλογος. ¶ Nunc huius generis præcepta uideamus] per locum attentionis ad præcepta negotialis conſtitutionis tradenda ſe apparat. Sed prius tria iuris genera deſcribit. Naturæ, conſuetudinis, ſcripti. unde ipſa negotialis conſtitutionis præcepta emanant. quæ quidem tria iuris genera Ariſt. duobus generibus complexus eſt, in primo libro de arte rhet. nam ius diſtinguit in priuatum, & commune: priuatum appellat, quod ſibi quæque ciuitas ſanxit: cuius duas ſpecies proponit. ſcriptum, & non ſcriptum. commune uerò ius nominat, quod natura conſtituit: ut mortuos humare, honore aliquos afficere, pietate uti, & ſimilia.

¶ Initium ergo eius à natura] ius procul dubio à natura originem ducit: cuius tria dantur à iure conſultis præcepta. honeſte uiuere, neminem lædere, ius ſuum cuique tribuere. hæc ex natura ſunt: quæ deinde longa conſuetudine approbata fuere, poſtremo etiam legibus confirmata. idem ſenſiſſe uidetur Empedocles apud Ariſt. in primo libro rhet. cum perſuadere conaretur, fas non eſſe ullum animantem necari. ſic enim ait.

» ἔτισι μὲν πάντων νόμιμον διά τ' εὐρυμέδοντος
» Αἰθέρος ἠνεκέως τέταται διά τ' ἀπλέτου αὐγῆς.
» Quos uerſus ita uertit, ni fallor, Herm. Barb.
» Non hoc fas uni eſt, ſcelus alteri, at omnibus idem
» Legitimus tenor eſt, & regula fuſa per amplum
» Aethera, & immenſa ſpatioſa per æquora terræ.

idem in Meſſniaco Alcidamus cecinit. Sed Cicero ius naturale in Sex partes diſtribuit, in religionem, pietatem, gratiam, uindicationem, obſeruantiam, ueritatem. quarum ſingulas ſuis definitionibus declarat. ¶ Religionem eam, quæ in metu, & cæremonia deorum ſit, appellant.] hinc Cicero in primo Tuſcul diſput. argumentatur deum eſſe, propterea quia natura inſitum, non lege comparatum eſt, ut illi ſacra faciamus. ergo religio ex iure naturæ eſt, uti etiam pietas: quam primum patriæ, deinde parentibus, deinde alijs ſanguine coniunctis debemus. ideoq; in ea definienda hoc ordine uſus eſt. Sed qui de religione, ac pietate plura ſcire deſiderat; adeat Marſilium Ficinum, qui in argumento in Platonis dialogum, cui titulus eſt Euthyphro, uel de ſanctitate, de illa copioſe ex ſententia Platonis, diſputat. ¶ Gratiam] gratiam intelligit. ¶ Vindicationem] Vindictam. ¶ Aut ulciſcendo] id à Chriſtiana pietate alienum eſt: quæ defenſionem quidem concedit, quæ eſt de iure naturæ, ultionem uerò non permittit. ¶ Et per quam peccata punimus] animaduerſionem, ni fallor, intelligit: quam nomine uindicationis amplectitur. Ariſtoteles uerò in rhet. uindictam ab animaduerſione diſtinguit; quòd animaduerſio, ut ille ait, conſtituitur gratia eius, in quem animaduertendum eſt, Vindicta uerò gratia eius, qui uindictam infert. Videlicet ad explendam ulciſcentis libidinem. Cum igitur punire peccata non uindictæ ſit, ſed animaduerſionis: quæ propria iudicis, ac iuſtitiæ eſt, neſcio quàm rectè punitionem peccatorum ſub uindicta Cicero collocarit. ¶ Obſeruantiam] & hoc naturæ eſt, ut ſenioribus, doctis, magiſtratibusq; honos habeatur: qualem Romani, Lacedæmonij, aliæq; nationes multa maioribus ſuis habere ſolebant. hinc propterea culpati à ſuis legatis Athenienſes fuerunt, qui Lacedæmona miſſi, cum eos honeſtaſſent Spartani iuuenes, ſeſſumq; recepiſſent, eorum alter dixiſſe fertur. Athenienſes ſciunt, quæ recta ſunt, ſed facere nolunt. Cic. in lib. de Senect.

¶ Veritatem] Videtur hic ueritatem pro fide poſitam eſſe. nam fides ipſa Cic. auctore in tertio de off. dicitur, quia fiat, quod dictum eſt. eſt enim hoc natura inſitum, ut homo promiſſis maneat; & quod affirmatiue, quaſi deo teſte, promiſerit, id etiam benigne præſtet. ¶ Ac natura quidem iura] monet ius naturale ad negotialem controuerſiam probandam non

eſſe

eſſe idoneum: ſed ſi quando eo utimur; ad amplificandum, non ad fidem faciendam utimur. ¶ Ad ſimilitudinem uerò aliquam, aut ad rem amplificandam] non ſolum in negotialibus, uerum etiam in iuridicialibus cauſſis naturali iure utimur ad amplificandum. Sic Cic. primam confutationis partem à lege naturæ amplificauit in Oratione pro Milone. eſt enim hæc iudices non ſcripta, ſed nata lex. ¶ Conſuetudinis autem ius eſſe putatur id, quod uoluntate omnium ſine lege uetuſtas comprobarit] eademmet auctoritate pollet ius conſuetudinis, atque ius ſcriptum: nam quæ uis eſt legis ſcriptæ, eadem eſt conſuetudinis: quæ lex eſt non ſcripta. huic conſuetudini iura gentium ſubijciuntur. Victorinus ſuper hoc loco hallucinatur: Auctor ad Herenn. ius conſuetudinis hoc modo definiuit in 2. libro. Conſuetudine ius eſt, quod ſine lege, æque ac legitimum ſit, uſitatum eſt. exemplumq; adducit ad facti cognitionem ſatis appoſitum. Si duo argentarij unius menſæ ſocij fuerint, & apud alterum eorum pecuniam ponderatam depoſueris; contigeritq;, ut is, apud quem depoſitum feceris, uel moriatur, uel ſolum uertat; depoſitum tuum à ſocio eius repetere potes. idq; non lege (ut ipſe ſentire uidetur) ſed conſuetudine. eo tempore fortaſſe nulla lex ad hanc controuerſiam ſcripta erat: aut ſi extabat, ei incognita fuerat. hoc ego ſcio apud iure conſultos legem extare, qua pecunia apud duos, uel apud alterum ſociorum depoſita repeti poſſit. ff. depoſiti. l. 1. §. Si apud. ¶ In ea autem iura ſunt quædam] Conſuetudinis duplicem eſſe rationem oſtendit. & utranque certam: alteram propter uetuſtatem, ut in primis edicta prætorum: quæ ob nimiam uetuſtatem uim ſcriptæ legis obtinuerunt. alteram conſuetudine ipſa: ut illa ſunt, quæ potiſſimum ipſa recenſet Orator. pactum, par, iudicatum. ¶ Pactum eſt.] ad hunc ferè modum & Vlpianus pactum definit: cum ait pactum eſſe conſenſum, atque conuentionem duorum. ¶ Ut iuri præſtare dicatur] ſanè pactum iuri, hoc eſt, uel conſuetudini, uel legi ſcriptæ præſtat, hoc eſt, antecellit: nam pacta interdum præter ordinem, ſanctionemq; legis quibuſdam fiunt. ¶ Par, quod in omnes æquabile eſt] quidquid eſt æquabile, ciuili temperamento moderatum ex iuſta lance, dicitur par. Vt quod ius alteri conſtitutis, eodem tu quoque utere. Exempli gratia, ſi quis à principe obtinuerit, priuilegium, ne intra quinquennium à ſuis creditoribus compelli poſſit, huic quoque ius non ſit exigendi à ſuis debitoribus crediti. ¶ Iudicatum] iudicatum eſt, de quo uel ſententia lata eſt, uel decretum interpoſitum eſt, quod genus iudicati auctor ad Herenn. uarium eſſe docuit; cum uarij iudices uarias eadem de re ſententias proferunt; ut apud eundem libro. 2. M. Druſus in cauſſa mandati aliter, aliter Sex. Iulius in eadem cauſſa iudicauit. ¶ Iam iura legitima] hactenus iuris naturæ, atque conſuetudi

nis

dere perſpicuum eſt. In hanc argumentationes ex iiſdem locis ſumendæ ſunt, atque in cauſſam negotialem, de qua ante dictum eſt. Locos autem communes, & ex cauſſa ipſa, ſi quid inerit indignationis, aut conqueſtionis, & ex iuris utilitate, & natura multos, & graues ſumere licebit, & oportebit, ſi cauſſæ dignitas uidebitur poſtulare. Nunc aſſumptiuam partem iuridicialis cõſideremus. Aſſumptiua igitur tunc dicitur, cum ipſum ex ſe factum probari non poteſt, aliquo autẽ foris adiuncto argumento defenditur. Eius partes ſunt quatuor, cõparatio, relatio criminis, remotio criminis, cõceſsio. Cõparatio eſt, cũ aliquod factũ, quod per ſeipſum non ſit probandum, ex eo, cuius id cauſſa factum eſt, defenditur. Ea eſt huiuſmodi. Quidam Imperator, cum ab hoſtibus circunſideretur, neque effugere ullo modo poſſet; depactus eſt cum eis, ut arma, & impedimenta relinqueret, milites educeret: itaque fecit: armis, & impedimentis amiſsis, præter ſpem milites conſeruauit. Accuſatur maieſtatis. Incurrit huc definitio: ſed nos hunc locum, de quo agimus, conſideremus. Intentio eſt, Non oportuit arma, & impedimenta relinquere. Depulſio eſt, Oportuit. Quæſtio eſt, Oportuerit'ne. Ratio eſt, Milites enim omnes periiſſent. Infirmatio eſt, aut coniecturalis, Non periiſſent: aut altera coniecturalis, Non ideo feciſti. Ex quibus ſunt iudicationes, Periiſſent'ne: &, ideo' ne fecerit. aut hæc comparatiua, cuius nunc indigemus. At enim ſatius fuit amittere milites, quàm arma, & impedimenta hoſtibus concedere. Ex qua iudicatio naſcitur, Cum omnes perituri milites eſſent, niſi ad hanc pactionem ueniſſent, utrum ſatius fuerit amittere milites, an ad hanc conditionem uenire. Hoc cauſſæ genus ex his locis tractari conueniet. Oportebit adhibere cæterarum quoque conſtitutionum rationem, atque præcepta, ac maxime coniecturis faciendis infirmare illud, quod cum eo, quod crimini dabitur, ii, qui accuſabuntur, comparabunt. Id fiet, ſi aut id, quod dicent defenſores futurum fuiſſe, niſi id factum eſſet, quo de facto iudicium eſt, futurum fuiſſe negabitur: aut ſi alia ratione, & aliam ob cauſſam ac dicet ſe reus feciſſe, demonſtrabitur eſſe factum. Eius rei confirmatio, & item contraria de parte infirmatio ex coniecturali alia conſtitutione ſumetur. Sin autem certo nomine maleficii uocabitur in iudicium, ſicut in hac cauſſa, (nam maieſtatis accerſitur) definitione, & definitionis præceptis uti oportebit. Atque hæc quidem plerunque in hoc genere

re incidunt, ut coniectura, & definitione utendum ſit. Sin aliud quoque aliquod genus incidet, eius generis præcepta licebit huc pari ratione transferre. Nam accuſatori maxime eſt in hoc elaborandum, ut id ipſum factum, propter quod ſibi reus concedi putat oportere, quamplurimis infirmet rationibus. Quod facile eſt, ſi quamplurimis conſtitutionibus aggreditur id improbare. Ipſa autem comparatio ſeparara à ceteris generibus controuerſiarum ſic ex ſua ui conſiderabitur, ſi illud, quod comparabitur, aut non honeſtum, aut non utile, aut non neceſſarium fuiſſe, aut non tantopere utile, aut non tantopere honeſtum, aut non tantopere neceſſarium fuiſſe demonſtrabitur. Deinde oportet accuſatorem illud, quod ipſe arguat, ab eo, quod defenſor comparat, ſeparare. Id autem faciet, ſi demonſtrabitur non ita fieri ſolere, neque oportere, neque eſſe rationem, quare hoc propter hoc fiat, ut propter ſalutem militum ea, quæ ſalutis cauſſa comparata ſunt, hoſtibus tradantur. Poſtea comparare oportebit cum beneficio maleficium, & omnino id, quod arguitur, cum eo, quod factum ab defenſore laudatur, aut faciendum fuiſſe demonſtratur, contendere, & hoc extenuando, maleficii magnitudinem ſimul adaugere. Id fieri poterit, ſi demonſtrabitur, honeſtius, utilius, magis neceſſarium fuiſſe illud, quod uitarit reus, quàm illud, quod fecerit. Honeſti autem, & utilis, & neceſſarii uis, & natura, in deliberationis præceptis cognoſcetur. Deinde oportebit ipſam illam comparatiuam iudicationem exponere tanquam cauſſam deliberatiuam, & de ea ex deliberationis præceptis deinceps dicere. Sit enim hæc iudicatio, quam ante expoſuimus. Cum omnes perituri milites eſſent, niſi ad hanc pactionem ueniſſent, utrum ſatius fuerit perire milites, an ad hanc pactionem uenire. Hoc ex locis deliberationis, quaſi aliquam in conſultationem res ueniat, tractari oportebit. Defenſor autem, quibus in locis ab accuſatore aliæ conſtitutiones erunt inductæ, in iis ipſe quoque ex iiſdem conſtitutionibus defenſionem comparabit: ceteros autem omnes locos, qui ad ipſam comparationem pertinebunt, ex contrario tractabit. Loci autem communes erunt accuſatoris, in eum, qui cum de facto turpi aliquo, aut inutili, aut utroque fateatur; quærat tamen aliquam defenſionem, & facti inutilitatem, aut turpitudinem cũ indignatione proferre. Defenſoris eſt, nullum factum inutile, neque turpe, neque itẽ utile neque honeſtũ putari oportere, niſi

quo

quo animo, quo tempore, qua de cauſſa factum ſit, intelligatur. Qui locus ita communis eſt, ut bene tractatus in hac cauſſa, magno ad perſuadendum momento futurus ſit. Et alter locus, per quem magna cum amplificatione beneficii magnitudo ex utilitate, aut honeſtate, aut facti neceſsitudine demonſtratur. Et tertius, per quem res expreſſa uerbis, ante oculos eorum, qui audiunt, ponitur, ut ipſi ſe quoque idem facturos fuiſſe arbitrentur, ſi ſibi illa res, atque ea faciendi cauſſa per idem tempus accidiſſet.

¶ IVRIDICIALIS *eſt, in qua ęqui, & iniqui natura, & pręmij, & pœnę ratio quęritur] Iuridicialem conſtitutionem, quam antea à Gręcis δικαιολογικὴν στάσιν appellari docuimus, tractandam aggreditur. quam initio more ſuo definit eam eſſe in qua ęqui, & iniqui natura, & pœnę, pręmijq́; ratio quęritur. in qua quidem definitione uidendum eſt primum, cum iuridicialis à iure conſtitutio appelletur; quam ob rem non iuſti, & iniuſti potius, quàm ęqui, & iniqui mentionem fecerit: & eò magis, quia ęquum abſolute non idem eſt, quod iuſtum. Crediderim ego Ciceronem Ariſtotelis opinionem ſecutum fuiſſe, qui in primo libro de arte rhet. prater id, quod in Ethicis ſcripſit, de ęquo, & bono copioſiſſime diſputans, illud nos admonet, quod de ęquo, & bono eſt, neque legibus neque ſcripto comprehenſum eſſe: itaque aliud eſſe, atque iudicari factum, quòd iure ſcripto; aliud, quod bono, & ęquo ſpectatur. nam ſi quis, inquit ille, ducto pugno, aut manu ſublata ferreo anulo quempiam percutiat, ſi uerba ſcripta legis intueri uelimus, procul dubio reus eſt, & iniuriarum tenetur, re autem uera nullam iniuriam intulit utique, ſi ęquum & bonum ſpectaueris: nam errata, & quę aduerſa fortuna, id eſt quę pręter opinionem, & citra improbitatem eueniunt, non tanti ęſtimantur, quanti iniuria. Cum igitur in iuridicialem conſtitutionem plura cadant, quę ęquo, & bono, quàm quę iuris ſeueritate conſiderantur (hoc enim ex partibus iudicialis aſſumptiuę facilius eſt cognoſcere, quàm exemplis indigeat) Cicero ęqui, & iniqui, quàm iuſti, & iniuſti mentionem facere maluit. quod autem ait, pręmij, & pœnę ratio quęritur; nonnulli ad negotialem referri putant: nam pręmij, & pœnę quęſtio ſæpius de futuro eſt, quàm de pręterito: ut uerum illud eſſe appareat, quod antea diximus, iuridicialem ad negotialem retorqueri poſſe, & è contrario. attamen Cicero infra de pręmij, & pœnę ratione diſſerit, tanquam de iuridicialis conſtitutionis membris.*

¶ *Huius partes ſunt duę: quarum alteram abſolutam, alteram aſſumptiuam nominamus] κατὰ διαίρεσιν iuridicialem, in duas partes diſtinguit,*

guit, in abſolutam, quam Gręcis κατ' ἀντίληψιν uocari, & aſſumptiuam, quam κατ' ἀντίστασιν appellari diximus. Vbi adnotandum eſt, ac diligenter obſeruandum, quod in iuridiciali, aut reus feciſſe quidpiam quod uetitum ſit, fatetur; aut uetitum negat. ſi neget; abſoluta eſt iuridicialis conſtitutio: ſi uerò turpem rem factam confiteatur, ſed aſſumpta re extrinſecus ali qua ſe ipſe defendat; aſſumptiua conſtitutio iuridicialis nominatur. ❡ Ab ſoluta eſt,] abſoluta iuridicialis eſt definitio, quam duobus modis rhetores fieri docent, facti qualitate, & iuris ratiocinatione. facti qualitas eſt: cum oſtendimus nihil nos feciſſe pernicioſum, ideoq; naturali iure eſſe conceſſum, ut in hoc Cic. exemplo de tropheo ęneo pręter morem à Thebanis poſito, & apud auctorem ad Heren. de mimo, qui Actium poetam proprio nomine appellarat in ſcena. Iuris ratiocinatio (ut Fortunatianus litteris tradidit) quatuor fit modis, lege, more, ſecta, arte. Lege, vt damnatos liberos liceat occidere. treis filios damnatos quiſpiam occidit: reus fit. Lege id ſibi licuiſſe dicit. More, vt apud Scythas ſexagenarij è pontibus mittuntur. Athenis id Scytha fecit, tuetur ſe more ſuę gentis. Secta, vt diſputante Hegeſia philoſopho Cyrenaico de bono mortis, de quo quidem meminit Cic. in primo Tuſc. diſput. ſe ipſi interficiunt auditores. defendit ſe philoſophus è ſecta ſua feciſſe. Arte, vt quia pictor publice naufragium pinxit, ſpectaculo deterriti ciues non nauigant: accuſatur pictor lęſę reipublicę. ſua ſe arte defendit.

❡ Non vt negotialis implicite, & abſcondite] recte implicite: nam conſtitutio negotialis de re incerta, & de futuro, utrum aliquid eſſe, aut fieri debeat, controuerſiam habet. ❡ Cum Thebani] exemplum iuridicialis abſolutę: quod eiuſmodi eſt, vt nullo extrinſecus aſſumpto adminiculo ſua ſponte ſe ipſum tueri poſſit. ſumptum eſt autem ex Gręcorum hiſtoria. Nam de bello Thebanorum cum Lacedæmonijs Xenophon, Trogus, alijq; plures meminerunt: trophei uero erigendi (quod uictorię ſymbolum erat) mos celeberrimus Gręcorum fuit. antiquitus ex olea fieri ſolebant trophęa, ſed ut perpetua uictorię memoria eſſet, poſtea ex ęre fieri conſueuerunt Cæl. lib. 12. cap. 28. ❡ Accuſantur apud Amphictyonas, id eſt apud commune Gręcię concilium] Amphictyones conſeſſus quidam Gręcorum fuit Thermopylas conuenire ſolitus, ab Amphictyone Deucalionis filio ſic dictus, quod & ipſe populos, cum regnaret, ad conuentus conuocaſſe dicitur. illi autem erant numero duodecim. Iones, Dores, Parrhabi, Bœotij, Magnetes, Achęi, Phtiotę, Molienſes, Dolopes, Ænianes, Delphi, Phocenſes. De Amphictyonib. Plinius lib. 35. Strabo, Dionyſius Halic. Plutarch. in Parallel. alijq; plures, ſed diuerſę mentionem fecerunt. ❡ In hanc argumentationes ex ijs locis ſumendę ſunt, at-

que

que in cauſſam negotialem] *ex partibus iuris ſumenda eſſe argumenta docet ad factum probandum: quorum maior pars ex iure conſuetudinis tractanda erunt.* ¶ *Si quid inerit indignationis, aut conqueſtionis*] *alterum erit accuſatoris, alterum defenſoris.* ¶ *Aſſumptiua igitur*] *Aſſumptiue iuridicialis definitionem aggreditur. ea fit, cum non factum iuſtum, ſed cauſſam facti iuſtam fuiſſe contendimus: ideoq; foris argumentum aſſumit, ut ſe ipſam defendat.* ¶ *Comparatio eſt*] *primam diuiſionis partem definiendam aggreditur, quam ipſe comparationem, alij comparatiuum ſtatum, nonnulli compenſatiuum, Graeci* ἀντίςασιν *uocant. hunc duobus fieri modis, Fortunatianus admonet. cum aut delicto meritum compenſamur; ut miles qui diſſipato ciuitatis muro hoſtes fugauit; aut cum maiori incommodo conſultum eſſe contendimus. ficut in hoc Ciceronis exemplo uideri poteſt. ubi imperator ne amitteret exercitum, impedimenta tradidit.* ¶ *Quidam imperator*] *C. Pompilius auctor ad Heren. libro primo.* ¶ *Ab hoſtibus*] *Gallis.*

¶ *Incurrit huc definitio quid ſit laedere maieſtatem*] *ex ſimplici fit coniuncta. nam duas quaeſtiones recipit, definitiuam, coniecturalem.* ¶ *Sed nos hunc locum, de quo agimus, conſideremus*] *ideſt ſolã comparationem.* ¶ *Non ideo feciſti*] *altera infirmatio rationis rei ex coniectura, hoc modo. non ideo feciſti, quia aliter facere non potueris; uel, ut deteriori melius ante poneres; ſed dolo malo impedimenta tradidiſti, ut ab hoſtibus aliquid acciperes. huic loco multa non parum ſimilia, atque conuenientia ſumi poterunt ex oratione Demoſth. de falſa legatione, ubi Æſchini ſaepe obijcitur dolo malo, nec abſque accepta à Philippo pecunia, pacẽ ab eo tractatam fuiſſe.* ¶ *Hoc genus cauſſae ex ijs locis tractari conueniet*] *cum hoc cauſſae genus duobus modis tractari oporteat, coniunctim, & ſeparatim; primum quo modo coniuncte, id eſt, cum incidentibus quaeſtionibus agendũ ſit, docet.* ¶ *Hoc cauſſae genus ex his locis tractari conueniet*] *coniecturalibus, & ex comparatione, uti paulo ante admonuit.* ¶ *Ac maxime coniecturis faciendis infirmare illud, quod crimini dabitur, & cet.*] *uerbi cauſſa Pompilius dicebat, cum perituri omnes milites eſſent, niſi ad hanc pactionem uenirem, deteriori melius antepoſui: hoc eſt, ut milites ſeruarem, impedimenta hoſtibus tradidi. accuſatores uerò Pompilij infirmare, inquit, debebunt id, quod Pompilius ipſe melius eſſe dicebat, & oſtendere ſatius fuiſſe ſeruare impedimenta, quàm exercitum.* ¶ *Id fiet*] *quomodo illud infirmari poſſit, duplici ratione oſtendit. ſi, inquit, quod dicent defenſores, ſiue reus, aliter uidelicet ſeruari exercitum non potuiſſe, accuſatores negauerint.*

¶ *Aut ſi alia ratione*] *altera ratio eſt infirmandae defenſionis rei: qua*

ex cōiectura eſſe uidetur. oportet enim oſtendere alio conſilio id à reo factū, fuiſſe, quàm ipſe dicat reus. conatur autem accuſator id facere, ut cauſſa Pompilij legis ſeueritate iudicetur, tanquam id malitia, & improbitate illius, non aduerſa fortuna contigerit. ¶ Sin autem certo nomine maleficij, uocabitur in iudicium] omnes controuerſiæ, quæ ſub iuridicialem conſtitutionem cadunt, certo nomine in iudicium ueniunt, ſed hoc in loco diminutionem maieſtatis intelligit, quod ad definitionem pertinet. propterea ſubdit: nam maieſtatis accerſitur. nam læſiſſe maieſtatem dicebatur Pompilius, quia impedimenta hoſtibus reliquerat: quod non abſque dedecore populi R. o. contigiſſe uidebatur. hoc igitur ait. ſi diminutio maieſtatis hoc factum appellabitur, eoq́ꝫ de nomine contentio extiterit; definitione, præceptisq́ꝫ definitionis opus erit. interdum etiam definitione ſimul & coniectura. quid ſit lædere maieſtatem, & non utrum diminuta ſit maieſtas (id enim adminiculo definitionis cognoſci poteſt,) ſed de alia coniectura, ut arbitror, intelligendum eſt: de qua aduerſarius dicebat, dolo malo impedimenta à Pompilio relicta fuiſſe: qua de re intelligit Cicero, cum ait. Atque hæc quidem plerunque in hoc genere incidunt, ut coniectura, & definitione utendum ſit. ¶ Sin aliud quoque aliquod genus incidet] ex hoc contextu colligitur alias quoque, præter coniecturalem, & definitiuam, conſtitutiones, uel ſtatus, in hanc comparatiuam controuerſiam cadere poſſe, præſertim legitimas de ſcripto, & ſententia. ¶ Ipſa quidem comparatio] quomodo comparatio ipſa ſeparatim abſque aliarum conſtitutionum admiſtione tractari poſſit, oſtendit: ac partibus deliberatiui generis utendum eſſe docet. ¶ Si illud, quod comparabitur] relicta eſſe impedimenta. ¶ Aut non honeſtum] partes hæ ſunt deliberatiui generis, ad quas confugiendum eſſe admonet, honeſtum, utile, neceſſarium. ijs locis commode refelli poterit pars illa comparationis, quæ crimini dabitur, turpitudini fuiſſe, atque dedecori Populo R. o. impedimenta reliquiſſe, non utile, minime neceſſarium: cum ex coniectura aliter fieri potuiſſe probatum fuerit. ¶ Quod ipſe arguat] relicta eſſe impedimenta. ¶ Id autem faciet, ſi demonſtrabit non ita fieri ſolere, neque oportere, neque eſſe rationem] præter conſuetudinem, abſque neceſſitate, præterq́ꝫ cauſſam ullam eſſe factū dicet: ut impedimenta, quæ ſalutis cauſſa comparantur, quo milites ſeruarentur, hoſtibus relicta fuerint.

¶ Deinde oportebit ipſam illam comparatiuam iudicationem exponere] iudicationem huius comparatiuæ cauſſæ, quam paulo inferius ipſe quoque exponit, perinde tractandam eſſe admonet, quaſi aliqua deliberatiui generis cauſſa in conſultationem ponatur.

¶ Defenſor autem] defenſoris loca proponit. & quoniam bipertita cauſ-

ſam

ſam tractari poſſe docuit, coniunctè, & ſeparatim; primum admonet, ſi rationes aliarum, quæ incidunt in cauſſam, conſtitutionum inducta fuerint, ex iiſdem conſtitutionibus parandos eſſe defenſionis locos. uerbi cauſſa. ſi coniecturalis inciderit; coniectura locis utendum eſſe: ſin alia quæſtiones, aliis locis. At ſi ſeparatim, id eſt ſimpliciter, & abſque aliis conſtitutionibus agetur ſola comparatione, qui loci ab accuſatore inducti fuerint, eoſdem in et defenſorem ex contrario tractare poſſe. exempli gratia. ſi accuſator demonſtrabit honeſtius, utilius, magiſq́; neceſſarium fuiſſe, quod uitauerit reus, quàm quod fecerit: contra reus, ſiue defenſor, quod ipſe fecerit, honeſtius, utilius, ac magis neceſſarium, quàm quod euitauerit, fuiſſe docebit.

¶ *Loci autem communes erunt accuſatoris*] *Accuſator cum indignatione eum defenſione dignum negabit, qui turpe aliquid ſe admiſiſſe fateatur. Hinc illud Cic. in Milon. negant intueri lucem fas eſſe ei, qui hominem à ſe occiſum fateatur.* ¶ *Defenſoris eſt*] *triplicem dat defenſori locum, primus eſt, nihil eſſe turpe, inutile, nihil utile, aut honeſtum, niſi quod bono, aut prauo animo factum eſſe intelligatur: & hic locus ex æquitate pendet. Aequum eſt, inquit Ariſtoteles in primo de arte rhet. non tam facta, quàm animum, uoluntatemq́; facientis æſtimandam eſſe. Alter ex magnitudine beneficii ſumetur cum amplificatione ab utili, honeſto, & neceſſario. tertium* καθ' ἔκφρασιν *ſiue,* καθ' ὑποτύπωσιν *tractandum, negotiiq́; difficultatem ita deſcribendam, ſeu uerbis exprimendam docet, ut ante oculos audientium fieri uideatur.*

RELATIO criminis eſt, cum reus id, quod arguitur confeſſus, alterius ſe inductum peccato, iure feciſſe demonſtrat. Ea eſt huiuſmodi. Horatius occiſis tribus Curiatibus, & duobus amiſsis fratribus, domum ſe uictor recepit. Is animaduertit ſororem ſuam de fratrum morte non laborantem, ſponſi autem nomen appellantem identidem Curiatis cum gemitu, & lamentatione: indigne paſſus, uirginem occidit. accuſatur. Intentio eſt, Iniuria ſororem occidiſti. Depulſio eſt, Iure occidi. Quæſtio eſt, Iure'ne occiderit. Ratio eſt, Illa enim hoſtium mortem lugebat, fratrum negligebat, me, & populum Romanum uiciſſe moleſte ferebat. Infirmatio eſt, tamen à fratre indemnatam necari non oportuit, ex qua iudicatio fit, Cum Horatia fratrum mortem negligeret, hoſtium lugeret, de fratris, & populi Romani uictoria non gauderet, oportuerit'ne eam à fratre indemnatam necari. Hoc in genere cauſſæ, primum ſi quid ex ceteris dabitur conſtitutionibus ſumi oportebit, ſicut in comparatione præceptum

eſt.

eſt. Poſtea ſi qua facultas erit, per aliquam conſtitutionem illum, in quem crimen transfertur, defendere. Deinde leuius eſſe illud, quod in alterum peccatum reus transferat, quàm quod ipſe ſuſceperit. Poſtea translationis partibus uti, & oſtendere, à quo, & per quos, & quomodo, & quo tempore aut agi, aut iudicari, aut ſtatui de ea re conuenerit: ac ſimul oſtendere, non oportuiſſe ante ſupplicium, quàm iudicium interponere. Tum leges quoque, & iudicia demonſtranda ſunt, per quæ potuerit id peccatum, quòd ſponte ſua reus punitus ſit, moribus, & iudicio uindicari. Deinde negare debebit, audiri oportere id, quod in eum criminis conferatur, de quo is ipſe, qui conferat, iudicium fieri noluerit: & id, quod iudicatum non ſit, pro infecto haberi oportere. Poſtea impudentiam demonſtrare eorum, qui eum nunc apud iudices accuſent, quem ſine iudicibus ipſi condẽnarint: & de eo iudicium faciant, de quo iam ipſi ſupplicium ſumpſerint. Poſtea perturbationem iudicii futuram dicemus, & iudices longius, quàm poteſtatem habeant, progreſſuros, ſi ſimul & de reo, & de eo, quem reus arguat, iudicarint. Deinde hoc ſi conſtitutum ſit, ut peccata homines peccatis, & iniurias iniuriis ulſciſcantur, quantum incommodorum conſequatur. Ac ſi idem facere ipſe, qui nunc accuſat, uoluiſſet, ne hoc quidem ipſo quicquam opus fuiſſet iudicio: ſi uerò ceteri quoque idem faciant, omnino iudicium nullum futurum. Poſtea demonſtrabitur, ne ſi iudicio quidem illa damnata eſſet, in quam id crimen ab reo conferatur, potuiſſe hunc ipſum de illa ſupplicium ſumere. Quare eſſe indignum, eum, qui ne de damnata quidem pœnas ſumere potuiſſet, de ea ſupplicium ſumpſiſſe, quæ ne adducta quidem ſit in iudicium. Deinde poſtulabit, ut legem, qua lege fecerit, proferat. Deinde quemadmodum in comparatione præcipiebamus, ut illud, quod comparabatur, extenuaretur ab accuſatore quammaxime: ſic in hoc genere oportebit illius culpam, in quem crimen transferetur, cum huius maleficio qui ſe iure feciſſe dicat, comparare. Poſtea demonſtrandum eſt, non eſſe illud eiuſmodi, ut ob id hoc fieri conueniret. Extrema eſt, ut in comparatione aſſumptio iudicationis, & de ea per amplificationem ex deliberationis præceptis dictio. Defenſor autem quæ per alias conſtitutiones inducentur, ex iis locis, qui traditi ſunt, infirmabit. Ipſam autem relationem comprobabit, primum augendo eius, in quem refert, crimen, culpam, & audaciam,

daciam, & quammaxime per indignationem, ſi res feret, iuncta conqueſtione, ante oculos ponendo. Poſtea leuius demonſtrando reum punitum, quàm ſit ille promeritus: & ſuum ſupplicium cum illius iniuria conferendo. Deinde oportebit eos locos, qui ita erunt ab accuſatore tractati, ut refelli, & contrariam in partem conuerti poſsint, quo in genere ſunt tres extremi, contrariis rationibus infirmare. Illa autem acerrima accuſatorum criminatio, per quam perturbationem fore omnium iudiciorum demonſtrat, ſi de indemnato ſupplicii ſumendi poteſtas data ſit, leuabitur. Primum, ſi eiuſmodi demonſtrabitur iniuria, ut non modo uiro bono, uerum etiam homini libero uideatur non fuiſſe toleranda. Deinde ita perſpicua, ut ne ab ipſo quidem, qui feciſſet, in dubium uocaretur. Deinde eiuſmodi, ut in eam is maxime debuerit animaduertere, qui animaduerterit, ut non tam rectum, non tam fuerit honeſtum in iudicium illam rem peruenire, quàm eo modo, atque ab eo uindicari, quo modo, & à quo ſit uindicata. Poſtea ſic rem fuiſſe apertam, ut iudicium de ea re fieri nihil attinuerit. Atque hic demonſtrandum eſt rationibus, & rebus ſimilibus, permultas ita atroces, & perſpicuas res eſſe, ut de his non modo non neceſſe ſit, ſed ne utile quidem, quin mox iudicium fiat, expectare. Locus communis accuſatoris in eum, qui cum id, quod arguitur, negare non poſſit, tamen aliquid ſibi ſpei comparet ex iudiciorum perturbatione. Atque hic utilitatis iudiciorum demonſtratio, & de eo conqueſtio, qui ſupplicium dederit indemnatus: in eius autem, qui ſumpſerit, audaciam, & crudelitatem, indignatio. Ab defenſore, in eius, quem ultus ſit, audaciam ſui conqueſtione, rem non ex nomine ipſius negotii, ſed ex conſilio eius, qui fecerit, & cauſſa, & tempore conſiderari oportere: quid mali futurum ſit, aut ex iniuria, aut ex ſcelere alicuius, niſi tanta, & tam perſpicua audacia ab eo, ad cuius famam, aut ad parentes, aut ad liberos pertinuerit, aut ad aliquam rem, quam caram eſſe omnibus, aut neceſſe eſt, aut oportet eſſe, fuerit uindicata.

¶ RELATIO *criminis eſt*] *relationis ſtatum exemplo declarandum aggreditur: qui tum fieri dicitur, cum culpa in eum, qui paſſus eſt, transfertur, ideoq́ ab auctore ad Herenn. translationis ſtatus à Græcis ἀντέγκλημα dicitur, ut Oreſtes in matrem, Milo in Clodium, Horatius in ſororem transfert.* ¶ *Horatius occiſis tribus Curiatibus*] *exemplum relationis*

nis ex hiſtoria ſumptum, quam Liuius in primo ab urbe cond. Dionyſius, libro 3. antiqui. longa oratione complexi ſunt. ego uerò, ne huic loco cogni tu neceſſaria tacitus præteriſſe uidear, de Horatijs, & Curiatijs, quæ ta ceri non debent, quambreuiſſime dicam. Igitur Romani, cum ſub Tul lo Hoſtilio diu cum Albanis bella geſſiſſent, resq; ipſorum hinc inde pa- rum proſpere cederent, immo inclinatæ prope iam eſſe uiderentur; com- poſito uterque populus decernit, ut res abſque magna clade, abſque multo ſanguine, conficiatur. forte in utroque exercitu erant tergemini fratres, Romani Horatij, Albani Curiatij dicebantur. fœdus Albani cum Romanis percutiunt ijs legibus, ut tergemini cum tergeminis pugnent, & cuius populi iuuenes eo certamine uictores exiſtant; is alteri populo felici auſpicio imperet. igitur cum tergeminis agunt reges, ut pro ſua quiſque patria ſtrenue dimicet. Iuuenes capeſſunt arma, acerrime pugnant. duo Ro. ſuper alium alius, uulneratis grauiter tribus Albanis, expirantes corruunt. tertius forte Romanus integer fuit, qui ut pugnam ſegregaret, fugam capeſſit. conuerſus, ut uidit magnis interuallis ſequentes, & u- num haud procul ab ſeſe abeſſe; facto impetu illum occidit: deinde alterum. elatus uictoria, & alacrior factus, tertium feſſum uulnere, laſſum curſu, magno impetu aggreditur, eiq; arma male ſuſtinenti gladium ſuperne iu gulo defigit: iacentem ſpoliat, curru triumphans uehitur. forte ei obuia fuit ſoror Horatia: quæ uni ex Curiatibus nupſerat. Hec uiſo ſponſi pa- ludamento, quod ſuis manibus fecerat; ſolutis crinibus magno eiulatu, ſponſum ſuum nominat. id ægre ferens Horatius ira accenditur, & ſtri- cto gladio ſororem necat. ¶ Ratio eſt. illa enim hoſtium mortem lugebat] Hac Horatij ratio recriminationem habet: quam Hermogenes ἀντέγκλη μα appellat: fit enim proprie, cum reus, qui fatetur ſe aliquid male feciſ- ſe, eum, qui paſſus eſt, è contrario accuſat, ut oſtendat iure factum id eſſe in eum, quod ipſe fecerit. ¶ Hoc in genere cauſſæ.] admonet primo tra- ctandas eſſe alias conſtitutiones, ſi quæ incidant in cauſſam relatiuam, ſicu ti etiam in comparatione præcepit: huc enim & coniecturalis, & defi- nitiua cadere poſſe uidetur. Nam in Horatium dici poteſt, Non ideo ſoro- rem occidiſti, quod eo facinoris patriæ ſalus, aut dignitas te compulerit, ſed odio adductus, eam necaſti: hæc coniecturalis eſt. talis forma illa eſt obiectio aduerſariorum Milonis, quam προληπτικῶς Cicero occupat in Oratione, qua ipſum defendit, cum ait. At ualuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit ultor iniuriæ, punitor doloris ſui, quid ſi hæc non dico maiora fuerunt in Clodio, quam in Milone, ſed in illo maxima, nulla in hoc? quid ultis amplius? quid enim odiſſet Clodium Milo ſegetem, ac materiam ſuæ gloriæ, præter hoc ciuile odium, quo omnes improbos odi- mus.

mus. ſi uero Horatiam ita defendas, ut eam à fratre necari non meruiſſe dicas, hinc & coniectura, & definitio naſci poteſt, &, ut Victorinus ſentit, qualibet alia conſtitutio. ¶ Deinde leuius eſſe illud] locus eſt ex comparatione. ¶ Poſtea translationis partibus uti] relatiuus ſtatus translationis partes quoque admittit. igitur poterit accuſator dicere, non ad eum pertinuiſſe de ſororis crimine iudicare; nec eo modo, nec eo tempore. hæ ſunt enim translationis partes, eam punire. ¶ Tum leges quoque] ex auctoritate legum, & conſuetudine iudiciorum. ¶ Deinde negare debebit] argumentum eſt à repugnantibus: nam ſine iudicio necare aliquem, & accuſationem criminis, quo in eum intendit, uelle in iudicio audiri, repugnant. ¶ Et ſi id, quod iudicatum non ſit] uerbi cauſſa, ſi Horatius dixerit, ſe ideo ſorori cædem obtuliſſe, quia eam, ſalutem populi Rom. flentem uiderat; id refelli poterit à non iudicato: quia inde nihil fuerit iudicatum, quam ob rem indicta cauſſa ſororem ab eo fuiſſe occiſam. ¶ Poſtea impudentiam demonſtrare] alter locus eſt à repugnantibus cum indignatione: uix enim impudentia alicuius abſque indignatione auditoris demõſtrari poteſt. ¶ Poſtea perturbationem iudicij futuram dicemus] negabit accuſator admittendam eſſe Horatij recriminationem ſumpta ratione ex iudicij perturbatione, atque longitudine. qui locus ex euentu nominari poteſt. ¶ Deinde, hoc ſi conſtitutum ſit] locus communis ex euentu. ¶ Ac ſi idem facere ipſe, qui nunc accuſat, uoluiſſet] argumentum eſſe uidetur à ſimili, hoc modo. ſi licuit Horatio indicta cauſſa ſororem ſuam necare, licebat & mihi Horatium abſque iudicio necare. ſed hominem indicta cauſſa occidere, nemini licet. igitur Horatio ſororem occidiſſe non licuit. quod ſi liceret; nullo hoc tempore iudicio opus eſſet. Victorinus hinc colligit formam ſoritici argumenti. σωρείτας Græci uocant captioſum, & multiplex argumentandi genus, in quo ex uno conceſſo ad multas concluſiones connexas aſſurgunt. Cic. in 4. lib. Academic. ſoritas, inquit, hos uocant, qui aceruum efficiunt, uno addito grano. hoc argumenti genus logici poſteriores à primo ad ultimum nominant, ut hoc in loco. occidit Horatius, occideret accuſator, occiderent alij, ita ſemper abſque iudicio pœna erit. ¶ Poſtea demonſtrabitur] à maiori. ¶ Quare eſſe indignum] rurſus à maiori argumẽtando facti indignitatem eſſe oſtendendam monet. ¶ Sic in hoc genere oportebit illius culpam] Horatiam fleuiſſe, hoc eſt, quod comparabatur: quod extenuandum monet per comparationem, quaſi cum Horatij peccato grauiſſimo nulla ratione conferri poſſit. ¶ Poſtea demonſtrandum eſt] à diſſimili. ¶ Extrema eſt, ut in comparatione] aſſumendam eſſe huius controuerſiæ iudicationem, ſicuti in ſtatu comparationis dictum eſt, eamq́; amplificandam edocet per deliberationis locos ab utili, ab honeſto,

à neceſſario. ¶ Defenſor autem] loca defenſionis aggreditur, in quibus illud præcipue monet, vt quæ accuſator ex alijs conſtitutionibus argumenta deduxerit, ea primūm defenſor infirmet, uerbi cauſſa. Si accuſator dixerit, Non licuit tibi ſororem occidere; contra dicat defenſor, licuit occidere. hodie non es audiendus. ſum audiendus. non eſt admittenda tua accuſatio in ſororem, nam illam necaſti: admittenda eſt. item alia multa, quæ ultro, citroq́; ab utroque dici poſſunt. ¶ Primum augendo eius, in quem refert crimen, culpam, & audaciam] ſororis ſcilicet, hoc, ut opinor, modo: quod in conſpectu totius populi Ro. in communi omnium lætitia, dum omnes pro libertate, atque ſalute totius ciuitatis exultabant, auſa fuerit eiulando coniugem ſuum, Romani nominis hoſtem, nominare, fratres negligere, uictori tantam uirtutem quaſi ſcelus exprobrare, denique mortem coniugis patriæ ſaluti anteponere. hæc indignationem conqueſtioni iunctam habent: hæc καθ᾽ ὑποτύπωσιν ita exprimi poſſunt, ut Horatiæ impudentia, temeritasq́; delineari uideatur. ¶ Deinde oportebit eos locos] de tribus potiſſimum locis intelligendum eſſe nos admonet Cicero, qui iam antea extremi inter alios ab accuſatore inducti fuerunt per comparationem. exempli gratia. ſi dixerit accuſator iniuſte necatam eſſe ab Horatio ſororem; defenſor hoc refellendo iuſte à ſe necatam dicet. quòd ſi fratri nefas fuiſſe dixerit ſororem occidiſſe; defenſor per inuerſionem, fratri potius, quā alteri, licuiſſe demonſtrabit. ¶ Illa autem acerrima accuſatorum criminatio] argumentum illud, quod antea accuſator ab euentu deduxerat de perturbatione iudiciorum, quod ſoror non erat occiſa iudicio; leuandum, hoc eſt refellendo contemnendum docet: idq́; quatuor modis fieri poſſe demonſtrat. Primum eſt ab atrocitate, alterum à perſpicuitate, tertium ab honeſtate, per comparationem quandam, extremum item à perſpicuitate: ſed hoc à ſecundo differt, quòd in ſecundo agitur quaſi de qualitate facti, quam ne illa quidem, quæ admiſerit, diffiteri poteſt. in quarto uerò de quantitate, quòd tam atrox fuerit, ut ne iudicium quidem de eo facto expectandum, ſed à fratre indicta cauſſa puniendum fuerit. ¶ Atque hic demonſtrandum eſt rationibus] ab inutili argumentum eſt. In rebus admodum atrocibus inutile eſt interdum iudicium expectare: nam differendo iudicium, differtur pœna: pœnæ uerò dilationem ſequitur impunitas. quamobrem Cicero perſpecta uoluntate ſenatus, ſtatim abſque iudicio coniuratos ſtrangulari iuſſit: ueritus, ne ſi aut iudicia fierent, aut ſupplicium dilatum eſſet, impuniti relinquerentur, quos atrociſſimo ſupplicio digniſſimos eſſe iudicabat. ¶ Locus communis accuſatoris in eum] locus iſte ex nimia illius, qui arguitur, confidentia, atque temeritate deducitur: per quem in odium iudicium trahi poteſt. ¶ Atque hic utilitatis] locum com

munem

munem amplificandum eſſe triplici ratione docet. ab vtilitate iudiciorum, & per conqueſtionis affectum ex perſona Horatiæ: quæ indemnata pœnas dedit. poſtremo etiam per indignationem augendo, & amplificando Horatij crudelitatem, atque audaciam. ¶ *Ab defenſore in eius*] *locus (inquit) communis defenſoris ab audacia eius, quæ arguitur, ſumendus, atque ex conſilio eius, qui fecerit, amplificandus eſt. itaque fit, ut per comparationem tractandus eſſe uideatur, cum amplificatione temeritatis Horatiæ, & cum extenuatione facinoris Horatij, quod non ex nomine (nam ſororicidij nomen graue eſt, ſed ex conſilio facientis, ex cauſſa, ex tempore, & ex euentu rerum conſiderandum eſſe memorat.*

REMOTIO criminis eſt, cum eius intentio facti, quod ab aduerſario infertur, in alium, aut in aliud dimouetur. Id fit bipertito. Nam tum cauſſa, tum res ipſa remouetur. Cauſſæ remotionis hoc nobis exemplo ſit. Rhodii quoſdam legarunt Athenas. Legatis quæſtores ſumptum, quem oportebat dari, non dederunt. Legati profecti non ſunt. Accuſantur. Intentio eſt, Proficiſci oportuit. Depulſio eſt, Non oportuit. Quæſtio eſt, Oportuerit'ne. Ratio eſt, Sumptus enim, qui de publico dari ſolet, is ab quæſtore non eſt datus. Infirmatio eſt, Vos tamen id, quod publice uobis datum erat negotii, conficere oportebat. Iudicatio eſt, Cum iis, qui legati erant, ſumptus, qui debebatur de publico, non daretur, oportuerit'ne eos conficere nihilominus legationem. Hoc in genere primum, ſicut in ceteris, ſi quid aut ex coniecturali, aut ex alia conſtitutione ſumi poſsit, uideri oportebit. Deinde pleraque ex comparatione, & ex relatione criminis in hanc quoque cauſſam conuenire poterunt. Accuſator autem illum, cuius culpa id factum reus dicet, primum defendet, ſi poterit: ſin minus poterit; negabit ad hoc iudicium illius, ſed huius, quem ipſe accuſet, culpam pertinere. Poſtea dicet, ſuo quenque officio conſulere oportere: nec ſi ille peccaſſet, hunc oportuiſſe peccare. Deinde, ſi ille deliquerit, ſeparatim illum, ſicut hunc accuſari oportere, & non cum huius defenſione coniungi illius accuſationem. Defenſor autem cum cetera, ſi qua ex aliis incident conſtitutionibus, pertractarit, de ipſa remotione ſic argumentabitur. Primum, cuius acciderit culpa demonſtrabit. Deinde, cum id aliena culpa accidiſſet, oſtendet ſe aut non potuiſſe, aut non debuiſſe id facere, quod accuſator dicat oportuiſſe. Quòd non potuerit, ex utilitatis partibus, in quibus eſt neceſsitudinis uis implicata, de-

monſtrabit. Quòd non debuerit, ex honeſtate conſiderabitur. De utroque diſtinctius in deliberatiuo genere dicetur. Deinde omnia facta eſſe ab reo, quæ in ipſius fuerint poteſtate: quòd minus, quàm conuenerit, factum ſit, culpa id alterius accidiſſe. Deinde in alterius culpa exponenda demonſtrandum eſt, quantum uoluntatis, & ſtudii fuerit in ipſo: & id ſignis confirmandum huiuſmodi, ex cetera diligentia, ex ante factis, aut dictis, atque hoc ipſi utile fuiſſe facere, inutile autem non facere, & cum cetera uita magis hoc fuiſſe conſentaneum, quàm quod propter alterius culpam non fecerit. Sin autem non in hominem certũ, ſed in rem aliquam cauſſa dimouebitur, ut in hac eadem re, ſi quæſtor mortuus eſſet, & idcirco legatis pecunia data non eſſet, accuſatione alterius, & culpæ depulſione dempta, ceteris ſimiliter uti locis oportebit, & ex conceſsionis partibus quæ conuenient, aſſumere: de quibus poſt nobis dicendum erit. Loci autem communes iidem utriſque ferè, qui ſuperioribus aſſumptiuis, incident. Hi tamen certiſsimi. Accuſatoris, facti indignatio. Defenſoris, cum in alio culpa ſit, aut in ipſo non ſit, ſupplicio reum affici non oportere. Ipſius autem rei ſit remotio, cum id, quod datur crimini, negat neque ad ſe, neque ad officium ſuum reus pertinuiſſe, nec ſi quod in eo ſit delictum, ſibi attribui oportere. Id genus cauſſæ eſt huiuſmodi. In eo fœdere, quod factum eſt quondam cum Samnitibus, quidam adoleſcens nobilis porcam ſuſtinuit iuſſu imperatoris. Fœdere autem ab ſenatu improbato, & imperatore Samnitibus dedito, quidam in Senatu eum quoque dicit, qui porcam tenuerit, dedi oportere. Intentio eſt, Dedi oportet. Depulſio eſt, Non oportet. Quæſtio eſt, Oporteat'ne. Ratio eſt, Non enim meum fuit officium, nec mea poteſtas, cum & id ætatis, & priuatus eſſem, & eſſet ſumma cum auctoritate, & poteſtate imperator, qui uideret, ut ſatis honeſtum fœdus feriretur. Infirmatio eſt, Attamen quoniam tu particeps factus es in turpiſsimo fœdere ſummæ religionis, dedi te conuenit. Iudicatio eſt, Cum is, qui poteſtatis nihil habuerit, iuſſu imperatoris in fœdere, & in tanta religione interfuerit, dedendus'ne ſit hoſtibus, nec'ne. Hoc genus cauſſæ à ſuperiore hoc differt, quòd in illo concedit ſe reus oportuiſſe facere id, quod fieri dicat accuſator oportuiſſe, ſed alicui rei, aut homini cauſſam attribuit, quæ uoluntati ſuæ fuerit impedimento ſine conceſsionis partibus. Nam earum quædam maior uis

eſt,

eſt, quod paulo poſt intelligetur. In hoc autem non accuſare alterum, nec culpam in alium transferre debet, ſed demonſtrare eam rem, nec ad ſe, nec ad poteſtatem, neque ad officium ſuum pertinuiſſe, aut pertinere. Atque in hoc genere hoc accidit noui, quòd accuſator quoque ſæpe ex remotione criminatio nem conficit. Vt ſi quis eum accuſet, qui cum prætor eſſet, in expeditionem ad arma populum uocarit, cum coss. adeſſent. Nam ut in ſuperiore exemplo reus ab ſuo officio, ac poteſtate factum dimouebat; ſic in hoc ab eius officio, ac poteſtate, qui accuſatur, ipſe accuſator factum remouendo, hac ipſa ratione confirmat accuſationem. In hac ab utroque ex omnibus partibus honeſtatis, & omnibus utilitatis partibus, exemplis, ſignis, ratiocinando, quid cuiuſque officii, iuris, poteſtatis ſit, quæri oportebit, & fuerit'ne ei, quo de agitur, id iuris, officii, poteſtatis attributum, nec'ne. Locos autem communes ex ipſa re, ſi quid indignationis, ac conqueſtionis habebit, ſumi oportebit. Conceſsio eſt, per quam non factum ipſum improba tur ab reo, ſed ut ignoſcatur, id petitur. Cuius partes duæ, purgatio, & deprecatio. Purgatio eſt, per quam eius, qui accuſatur, non factū ipſum, ſed uoluntas defenditur. Ea habet partes tres, imprudentiam, caſum, neceſsitudinem. Imprudentia eſt, cum ſciſſe aliquid, qui arguitur, negatur. Vt apud quoſdam lex erat, Ne quis Dianæ uitulum immolaret. Nautæ quidam, cum aduerſa tempeſtate in alto iactarentur, uouerunt, ſi eo portu, quem conſpiciebant, potiti eſſent, ei deo, qui ibi eſſet, uitulum immolaturos. Caſu erat in eo portu fanum Dianæ eius, ſ cui uitulum immolari non licebat. Imprudentes legis, cum exiſſent, uitulum immolauerunt. Accuſantur. Intentio eſt, Vitulum immolaſtis ei deo, cui non licebat. Depulſio eſt in conceſſione poſita. Ratio eſt, Neſciui non licere. Infirmatio eſt, Tamen quoniam feciſti, quod non licebat, ex lege ſupplicio dignus es. Iudicatio eſt, Cum id fecerit, quod non oportuerit, & id non oportere neſcierit, ſit'ne ſupplicio dignus. Caſus autem infere tur in conceſsionem, cum demonſtrabitur aliqua fortunæ uis uoluntati obſtitiſſe, ut in hac. Cum Lacedæmoniis lex eſſet, ut, hoſtias niſi ad ſacrificium quoddam redemptor præbuiſſet, capitale eſſet; hoſtias is, qui redemerat, cum ſacrificii dies inſtaret, in urbem ex agro cœpit agere: tum ſubito magnis commo tis tempeſtatibus fluuius Eurotas is, qui propter Lacedæmonē

fluit,

fluit, ita magnus, & uehemens factus eſt, ut eo traduci uictimæ nullo modo poſſent. Redemptor ſuæ uoluntatis oſtendédæ cauſſa hoſtias conſtituit omnes in littore, ut qui trans flumen eſſent, uidere poſſent. Cum omnes ſtudio eius ſubitam fluminis magnitudinem ſcirent fuiſſe impedimento, tamen quidam capitis accerſierunt. Intentio eſt, Hoſtiæ, quas debuiſti, ad ſacrificium præſto non fuerunt. Depulſio eſt conceſsio. Ratio, Flumen enim ſubito accreuit, & ea re traduci non potuerunt. Infirmatio eſt, Tamen quoniam, quod lex iubet, factum non eſt, ſupplicio dignus es. Iudicatio eſt, Cum in ea re redemptor contra legem aliquid fecerit, qua in re ſtudio eius ſubita fluminis obſtiterit magnitudo, ſupplicio'ne dignus ſit. Neceſsitudo autem infertur, cum ui quadam reus id, quod fecerit, feciſſe defenditur, hoc modo. Lex eſt apud Rhodios, ut ſi qua roſtrata in portu nauis deprehenſa ſit, publicetur. Cum magna in alto tempeſtas eſſet, uis uentorum inuitis nautis Rhodiorum in portum nauim coegit. Quæſtor nauim populi uocat. Nauis dominus negat publicari oportere. Intentio eſt, Roſtrata nauis in portu deprehenſa eſt. Depulſio eſt conceſsio. Ratio, Vi, & neceſſario ſumus in portum coacti. Infirmatio eſt, Nauim ex lege tamen populi eſſe oportet. Iudicatio eſt, Cum roſtratam nauim in portu deprehenſam lex publicarit, cumque hæc nauis inuitis nautis ui tempeſtatis in portum coniecta ſit, oporteat'ne eam publicari. Horum trium generum idcirco unum in locum contulimus exempla, quòd ſimilis in ea præceptio argumentorum traditur. Nam in his omnibus primum, ſi quid res ipſa dabit facultatis, coniectura ab accuſatore induci oportebit, ut id, quod uoluntate factum negabitur, conſulto factum ſuſpicione aliqua demonſtretur. Deinde inducere definitionem neceſsitudinis, aut caſus, aut imprudentiæ, & exempla ad eam definitionem adiungere, in quibus imprudentia fuiſſe uideatur, aut caſus, aut neceſsitudo, & ab his id, quod reus inferat, ſeparare, id eſt, oſtendere diſsimile, quòd leuius, facilius, non ignorabile, non fortuitum, non neceſſarium fuerit. Poſtea demonſtrare, potuiſſe euitari, & hac ratione prouideri potuiſſe, ſi hoc, aut illud feciſſet, aut niſi feciſſet, præcaueri: & definitionibus oſtendere non hanc imprudentiam, aut caſum, aut neceſsitudinem, ſed inertiam, negligentiam, fatuitatem nominari oportere. Ac ſi qua neceſsitudo turpitudinem uidebitur habere, oportebit

bit per locorum communium implicationem redarguentem de monſtrare, quiduis perpeti, mori denique ſatius fuiſſe, quàm eiuſmodi neceſsitudini obtemperare. Atque tum ex his locis, de quibus in negotiali parte dictum eſt, iuris, & æquitatis naturam oportebit quærere, & quaſi in abſoluta iuridiciali per ſe hoc ipſum ab rebus omnibus ſeparatim conſiderare. Atque hoc in loco, ſi facultas erit, exemplis uti oportebit, quibus in ſimili excuſatione non ſit ignotum: & contentione, magis illis ignoſcendum fuiſſe: & ex deliberationis partibus, turpe, aut inutile eſſe concedi eam rem, quæ ab aduerſario commiſſa ſit: permagnum eſſe, & magno futurum detrimento, ſi eas res ab iis, qui poteſtatem habent iudicandi, neglecta ſit. Defenſor autem con uerſis omnibus his partibus poterit uti. Maxime autem in uoluntate defendenda commorabitur, & in ea re adaugenda, quæ uoluntati fuerit impedimento, & ſe plus, quàm fecerit, facere non potuiſſe, & in omnibus rebus uolũtatem ſpectari oportere, & ſe conuinci nõ poſſe, quòd nõ abſit à culpa: & ex ſuo nomine communem hominum infirmitatem poſſe damnari. Deinde ni hil indignius eſſe, quàm eum, qui culpa careat, ſupplicio non carere. Loci autem communes accuſatoris, unus in confeſsione, & alter, quanta poteſtas peccandi relinquatur, ſi ſemel inſti tutum ſit, ut non de facto, ſed de facti cauſſa quæratur. Defenſoris autem conqueſtio calamitatis eius, quæ non culpa, ſed ui maiore quadam acciderit, & de fortunæ poteſtate, & hominum infirmitate, & uti ſuum animum, non euentum conſiderent. In quibus omnibus conqueſtionem ſuarum ærumnarum, & cru delitatis aduerſariorum indignationem ineſſe oportebit. Ac neminem mirari conueniet, ſi aut in iis, aut in aliis exemplis ſcripti quoque controuerſiam adiunctam uidebit. Quo de genere poſt erit nobis ſeparatim dicendum, propterea quòd quædam genera cauſſarum ſimpliciter, & ex ſua ui conſiderantur: quædam autem ſibi aliud quoque aliquod controuerſiæ genus aſſumunt. Quare omnibus cognitis, non erit difficile in unamquanque cauſſam transferre, quod ex eo quoque genere conueniet: ut in his exemplis conceſsionis ineſt omnibus ſcripti controuerſia ea, quæ ex ſcripto, & ſententia nominatur: ſed quia de conceſsione loquebamur, in eam præcepta dedimus, Alio autem loco de ſcripto, & ſententia dicemus. Nunc in alteram conceſsionis partem conſiderationem intendemus.

¶Re-

¶REMOTIO *criminis eſt*] *ſequitur criminis remotio, quę à relatione hoc differre uidetur, quòd in relatione criminis in eum, qui paſſus eſt, culpam reijcimus, iureq́ ob id factum affirmamus, quod antea nos iniuria laceſſierit, ut merito illi uicem rependiſſe uideamur. ut de Oreſte in matrẽ, de Milone in Clodium rhetores perſcripſerunt. at ſi non in eum, qui paſſus eſt, ſed in alium, uel in rem aliam crimen transfertur, tunc remotio criminis appellatur, eam Gręci μετάθεσιν uocant, quam Cicero duplici ratione fieri oſtendit, cum intentio facti, aut in perſonam, ſiue in cauſſam, aut in rem dimouetur, exemplaq́ apponit ualde perſpicua.* ¶*Rhodij quoſdam legarunt Athenas*] *exemplum eſt in eam partem, in qua remouetur cauſſa, quod ab Hermogene, & à Fortunatiano adducitur, hoc modo. legatus intra trigeſimum diem nauiget. legatus non accepto à quęſtore uiatico, non nauigauit. reus eſt male geſtę legationis.* ¶*Quęſtores*] *Urbani. ſic & Romani quęſtores urbanos, & prouinciales habebant. urbani in urbe pecuniam, prouinciales, qui cum prętoribus mittebantur, prouinciarum uectigalia exigebant. De uarijs quęſtorum generibus doctus Budęus copioſiſſime diſputauit in cõmentarijs, quos ſcripſit in Pandectas.* ¶*Sumptum*] *uiaticum, quod mille drachmarum erat. i. mille denariorum, Hermogenes in rhet.* ¶*Accuſantur*] *male geſtę legationis.* ¶*Hoc in genere primum*] *antequam loca remotionis deſcribenda aggrediatur, documenta quędam proponit, hoc eſt eundemmet ordinem ſeruandum eſſe docet, quem in pręceptis aliarum partium obſeruandum admonuit, ut ſi quę alię extrinſecus conſtitutiones in hanc cauſſam inciderint, ex illis collecta argumenta primo loco tractentur.* ¶*Deinde pleraque ex comparatione, & ex relatione*] *non erit difficile cognoſcere, quę ex comparatione, & relatione criminis loca in hanc cauſſam conueniant, ſi diligenter natura cauſſę expendatur.* ¶*Accuſator autem illum*] *iam loca remotionis aggreditur, quę tum accuſatori, tum defenſori conueniunt.* ¶*Nec ſi ille peccaſſet, hunc oportuiſſe peccare*] *ab inhoneſto, ſiue ab indecenti.* ¶*Defenſor autem*] *quid defenſori agendum ſit, oſtendit: & primum quę extra cauſſam ſunt, deinde quę ex uiſceribus cauſſę deduci poſſunt, argumenta pertractanda eſſe docet.* ¶*Oſtendet, ſe aut non potuiſſe, aut non debuiſſe id facere*] *ab impoſſibili, ideſt ἀπὸ τοῦ δυνάτου. item ab honeſto. loca de liberatiui generis huic conſtitutioni maxime conueniunt, ſicuti ex contextu paulo infra colligi poteſt.* ¶*Deinde omnia facta à reo*] *per legatos non ſtetiſſe, quo minus legatione fungerentur, ſed quęſtorum cauſſa id contigiſſe.* ¶*Et id ſignis confirmandum*] *quę ſunt coniecturę loca. ſed & ſigna ipſa deſcribit, quę ex antefactis, & ex dictis ſumenda eſſe declarat. item ex utili, & inutili, quòd ipſi id facere utile fuerit, non facere autem inutile,*

quę

quæ ex ratiocinatione dependet. ¶ *Sin autem non in hominem certum*] *non eſt altera remotionis pars, in quam infra præcepta dabit, ſed* προληπτικῶς *occupat, quod obijci poſſet: quid ſi res non in hominem certum, ſed in impedimentum aliquod dimoueatur? uerbi cauſſa, ſi morte quæſtoris pecunia legatis ſuppeditari nequiuerit?* ¶ *Accuſatione alterius*] *obiectionem diluit, & adempta quæſtoris accuſatione (nam morte præuentus pecuniam dare non potuit) ac depulſione culpæ, quia mors culpæ mentionem tollit, ſuperioribus argumentis utendum demonſtrat, iiſq; in primis conſulere eum debuiſſe officio ſuo, neque admiſcendam eſſe huius defenſioni illius accuſationem. præterea & qui ex conceſſionis partibus loci conueniunt, huc aduocari poſſe planum facit.* ¶ *Accuſatoris facti indignationem*] *communes ad amplificandam cauſſam locos partim ex alijs aſſumptiuæ conſtitutionis partibus, partim ex ipſa cauſſa ſumendos admonet. ex ipſa cauſſa communis locus accuſatoris erit, indignationem mouere ex facto: defenſoris uero conqueſtionem mouere, & ab effectu ad cauſſam interpoſita negatione argumentari, eum non eſſe ſupplicio afficiendum, in quo nulla ſupplicij cauſſa ſit.* ¶ *Ipſius autem rei fit remotio*] *altera pars eſt remotionis quæ fit in rem. ea tunc fieri dicitur, cum reus, quod factum eſt, & crimini datur, id ad ſe pertinere negat. exemplum adducitur cuiuſdam adoleſcentis, qui dum fœdus feriretur, iuſſu imperatoris porcum tenuit. accuſatur: agiturq; in iudicio, æquum eſſe, eum cum imperatore hoſtibus dedi, qui una cum imperatore turpiſſimum fœdus percuſſit. depellit à ſe crimen adoleſcens, & percuſſiſſe, aut ullam percutiendi fœderis poteſtatem, licet alieno iuſſu porcum tenuerit, ſibi fuiſſe negat.* ¶ *In eodem fœdere, quod factum eſt quondam cum Samnitibus*] *ſexies à Romanis cum Samnitibus ictum fœdus fuiſſe L. Florus lib. 2. auctor eſt. de quo autem fœdere hic intelligendum ſit, ingenue fateor me neſcire: neque illud eſſe arbitror, quod ad Caudinas furcas ob illam inſignem Ro. cladem factum eſt. de quo Liuius, & Flo. præſertim meminerunt: cum haud tanta cum ſolennitate factum fuerit, atque alia fieri conſueuerint. Martianus, atque alij ferè omnes latini rhetores, ubi de remotione criminis agunt, Mancini Ro. imperatoris exemplum adducunt, qui cum Numantinis fœdus turpiter cum feriſſet, nec à ſenatu probaretur, deditus eſt hoſtibus. quamobrem uenit mihi in mentem ſubdubitare, ne de hoc quoque imperatore intellexerit Cicero, & pro uoce Samnitibus, legendum ſit, Numantinis. hiſtoriam deſcribit Florus lib. 56. & Plin. de uiris illuſtribus hunc fere in modum. A. Hoſtilius Mancinus præt. cum aduerſus Numantinos infeliciter pugnaſſet, uictus auctore Tib. Graccho quæſtore in leges hoſtium fœdus percuſſit: quo per ſenatum improbato, Mancinus Numantinis deditus, nec re*

 ceptus,

ceptus, augurio in caſtra ductus, præturam poſtea conſecutus eſt. huius etiam meminit Cicero in primo libro de Oratore. ¶ Porcam ſuſtinuit iuſſu imperatoris] id de more ſacrorum fieri antiquitus ſolebat, ut ad fœdera percutienda porcus, ſiue porca fœta adhiberetur: quē iuuenes puberes tenebant. & fœcialis (unde fœdus dictum eſt] qui & ipſe præſto erat, cum patre patrato uerba quædam ſolennia præfatus, ſilice porcum feriebat. negat Seruius grammaticus porcam, ſed porcum adhiberi ſolitum, & profecto Liuius porci uſquequaque mentionem facit. attamen Virg. in 8. Æn. hunc feriendi fœderis morem deſcribens ait.

» *Poſt idem inter ſe poſito certamine reges*
» *Armati Iouis ante aram, paterasq; tenentes*
» *Stabant, & Caſa iungebant fœdera porca.*

Stabat Virgilianus uerſus, hoc etiam modo.

» *& caſo iungebant fœdera porco.*

quare intelligi datur, & porcum, & porcam in huiuſmodi ſacris adhiberi potuiſſe. ¶ Et imperatore Samnitibus dedito] hunc locum Victorinus diſſimulat, ſicuti & alios huiuſmodi multos. eſt autem ex more ſacrorum deſumptus locus. Nam ſi quando imperator exercitus, præter. S. P. Q. R. uoluntatem, ac ſententiam, fœdus cum hoſtibus feriſſet, ut populus Ro. ea fœderis religione ſolueretur, imperator ipſe in hoſtium poteſtatem uinctus tradebatur. id ipſum L. Florus lib. 56. planum facit, cum ait. ad exoluendum Numantini fœderis religione populum, cum huius rei auctor fuiſſet, deditus Numantinis, minime eſt receptus. ſed & Cicero in tertio de off. plurium meminit, qui à S. P. Q. R. hoſtibus uincti traditi fuerunt, quod aut pacem, aut fœdus nulla populi Ro. interpoſita auctoritate, cũ illis turpiter fecerunt. ¶ Hoc genus hoc cauſſa à ſuperiore hoc differt] quid prima conceſſionis pars ab altera differat, eleganti diſtinctione planũ facit. ¶ Sine conceſſionis partibus] non enim in remotionem criminis reus eo modo cauſſam facti à ſe reijcit, quo in conceſſione facere ſolet, ubi aut caſu, aut imprudentia aut neceſſitudine ſe defendit: quarum quidē partium, ut ait Cicero, maior, quidem uis eſt. ¶ Atque in genere hoc accidit noui, quòd accuſator quoque ſæpe ex remotione criminationem conficit] duplicem fieri remotionem oſtendit, alteram ex reo, cum factum, aut cauſſam facti aliò transfert, alteram ab accuſatore, quod nouum eſſe dicit, cum ipſe à reo facti alicuius poteſtatem remouendo accuſationem confirmat, ut ſi quis prætorem accuſaret, qui cum præſto eſſent Coss. ad arma populum conuocarit. Nam maiori poteſtati, minor cedit. eſt enim longe inferior conſulibus prætor, quibus præſentibus non poterat ipſe populum ad arma conuocare. hoc igitur ob id rarum eſt, quia reus frequenter, ac-

cuſator non niſi raro remotionem facit.

¶ Conceſſio eſt, per quam non factum ipſum improbatur à reo] *poſtrema pars aſſumptiua iuridicialis eſt conceſſio, quam alij ſtatum uenialem Græci συγχώρημα, ſiue συγχώρησιν appellant. eam primum definit, deinde in partes diſtribuit: in purgationem, de qua iudicium fieri poteſt, & deprecationem, quæ raro in iudicium, & in controuerſiam cadit. ¶ Imprudentiam, caſum, neceſſitudinem*] *addiderunt nonnulli obliuionem: ut ſacerdos omnibus calendis ſacrum non fecit. petitur ad pœnam. hic aliter defendi nequit, niſi memoria id ſibi dixerit excidiſſe. tribus autem partibus tria ſubijcit exempla, quæ cum ſua ſponte lucida, atque perſpicua ſint, expoſitione non egent. ¶ Cum Lacedæmonijs lex eſſet, ut hoſtias niſi ad ſacrificium quoddam redemptor præbuiſſet*] *redemptores, auctore Feſto, proprie, atque ex antiqua conſuetudine dicebantur, qui cum ad faciendum, aut præbendum conduxerant, effecerantq́, tum demum pecunias accipient. quæ uerba mendo haud carere mihi uidentur: id quod facile intelligi poteſt ex eo, quod ſequitur, cum ait. Nam antiquitus emere pro accipere ponebatur. dicuntur etiam redemptores, qui certo pretio uniuerſum aliquod opus faciendum conducunt. Cicer. in 2. de diuin. & redemptor, qui columnam illam de Cota, & de Torquato conduxerat faciendam, non inertia, aut inopia tardior fuit. hæc ille. hic nexu ſeſe obligarat certo pretio conducturum animalia ſacrificio neceſſaria. ¶ Si qua roſtrata in portu nauis*] *roſtratæ naues, quæ & æratæ Virgilio dicuntur: ut*

» æratæ ſtant littore puppes.

ſunt, quibus roſtrum eſt, ex ære, uel ferro. ¶ Publicetur] *publica fiat. ¶ Horum trium generum*] *cur hæc trium generum exempla ſeparatim, ut in alijs conſtitutionibus fecerat, non dederit, planum facit: idq́ propter ſimilitudinem præceptionis argumentorum ſe feciſſe demonſtrat.*

¶ Nam in his omnibus primum] *loca huius tractandæ cauſſæ colligit, quæ partim ex coniectura, partim ex definitione earum rerum, quæ proprie in conceſſionem cadunt, neceſſitatis, caſus, imprudentiæ, de quibus infra dicemus, promenda monet. quibus definitionibus adiungenda quoque eſſe exempla docet, ut oſtendatur diſſimilitudo quædam ineſſe exemplis illis cum re, de qua controuerſia eſt. rurſum ad coniecturam redeundum eſſe, probandumq́ id potuiſſe euitari: ideoq́ culpa eius, qui accuſatur, non autem imprudentia, aut caſu, uel neceſſitate, commiſſum fuiſſe. ¶ Conſulto factum ſuſpicione*] *id ex ratiocinatione ſumitur, quæ pars cauſſæ eſt in conſtitutione coniecturali. ¶ Et exempla ad eam definitionem adiungere*] *ut oſtendatur exemplis, quid ſit imprudentia, aut caſus, &, uel neceſſitas, & palam fiat nihil ſimile eſſe cum eo, quod reus dixerit, aut in*

controuerſiam uenerit. ¶ *Ac ſi qua neceſſitudo*] *exprobranda eſt reo facti turpitudo, etiam ſi neceſſitate factum eſſe concedatur, hoc modo. longe ſatius fuiſſe mori, quàm in huiuſmodi criminis labem incidiſſe. ut ſi orator captus ab hoſtibus cogatur aut ſtylum perſtringere, aut orationem habere in patriam ſuam, diceret accuſator multo melius fuiſſe, eum hoſtibus iugulum præbuiſſe, quàm contra patriam ſuam, aut turpiter quidquam feciſſe, aut nequiter unquam dicere auſum fuiſſe*. ¶ *Iuris, & æquitatis naturam*] *nulla pars iuridicialis conſtitutionis eſt, quæ iuris natura, aut æquitatis partes non requirat. hic partes iuris adhibendæ ſunt ab accuſatore, ut reus præter æquitatem, ac præter ius, faſq́; feciſſe uideatur*. ¶ *Et quaſi in abſoluta iuridiciali per ſe*] *abſolutam iuridicialem duobus modis fieri ante docuimus, facti qualitate, & ratiocinatione iuris. facti qualitas eſt, cum nihil nos perniciosum admiſiſſe oſtendimus. iuris ratiocinatio, lege, ſecta, more, arte conſiderari ſolet. hic ergo ſi abſoluta conſtitutio ex qualitate tractabitur, factum eſſe pernicioſum, ſi ex ratiocinatione, præter legem, & morem admiſſum eſſe demonſtrabitur*. ¶ *Atque hoc in loco, ſi facultas erit, exemplis uti oportebit*.] *non difficile eſt in hiſtorijs exempla reperire, quibus probetur, ijs non datam fuiſſe ueniam, qui ex inſcitia, aut neceſſitate, uel caſu peccauerunt. in præſentia mihi ſuccurit T. Manlius Torquatus, qui filium ſuum, quod contra eius imperium, ex inſcitia, non dolo malo pugnaſſet, neſcius quantum intereſſet iniuſſu imperatoris pugnare, & ſi uictor extiterat, ſecuri percuſſit*. ¶ *Et contentione, magis illis ignoſcendum fuiſſe*] *quàm his, qui accuſantur. locus eſt ex cõparatione maiorum*. ¶ *Defenſor autem*] *è contrario ijſdem partibus defenſor utetur, quibus accuſator uſus eſt*. ¶ *Maxime autem in defendenda uoluntate commorabitur*] *in hoc potiſſimum uerſari debebit, ut ab reo peccandi uoluntatem abfuiſſe demonſtret: nam in huiuſmodi negotijs non tam facta (uti antea ex Ariſtotele oſtendimus) quàm animus, uoluntasq́; facientis æſtimanda eſt. tale eſt illud Euripidis in Hippolyto, quod Cic. in 3. de off. ita tranſtulit*.

» *Iuraui lingua, mentem iniuratam gero*.

¶ *Et in omnibus rebus uoluntatem ſpectari oportere*] *locus communis*. ¶ *Deinde nihil indignius*] *alter communis locus per conqueſtionem ab indignitate rei*. ¶ *Loci autem communes*] *duos accuſatoris communes locos proponit. alterum in confeſſionem, id eſt in eius, qui accuſatur temeritatem, qui cum fateatur ſe feciſſe, tamen facti abſolutionem ſperare audeat. alterum ab euentu: ſi indicabimus quid incommodi futurum ſit, ſi non de facto, uerum de cauſſa facti queratur*. ¶ *Defenſoris autem*] *locus communis defenſoris ſumitur à deploratione calamitatis ipſius, quod non ſua, ſed*

ad-

aduerſa fortunæ culpa peccauerit. ubi extollendam, amplificandamq́; fortunæ poteſtatem, & è contrario deprimendam καταμείωσιν, uel potius accuſandam hominum infirmitatem innuit: cum utriusque rei facultatem auditoribus proponendam, nec euentum, ſed animum eius, qui in crimen uocatur, illis ſpectandum eſſe dicat. ¶ Ac neminem mirari conueniet] προληπτικῶς obiectioni occurrit, cur in exemplis ſuperiorum conſtitutionũ legitimam quoque, ſeu ſcripti conſtitutionem poſuerit. Quod ideo ſe feciſſe declarat, quia aliæ ſunt cauſſæ ſimplices, quæ ex ſua ui tractari poſſunt: aliæ uero ita coniunctæ, ut uaria quæſtionum genera, atque in primis ſcripti aſſumant. ſed de controuerſijs ſcripti pluribus infra dicetur.

DEPRECATIO eſt, in qua non defenſio facti, ſed ignoſcendi poſtulatio continetur. Hoc genus uix in iudicio probari poteſt: ideo quòd conceſſo peccato; difficile eſt ab eo, qui peccatorum uindex eſſe debet, ut ignoſcat, impetrare. Quare parte eius generis, cum cauſſam non in eo conſtitueris, uti licebit. Vt ſi pro aliquo claro, aut forti uiro, cuius in rempub. multa ſint beneficia, dixeris, poſsis, cum uidearis non uti deprecatione, uti tamen, ad hunc modum. Quòd ſi, iudices, hic pro ſuis beneficiis, pro ſuo ſtudio, quod in uos habuit ſemper, tali ſuo tempore multorum ſuorum recte factorum cauſſa, uni delicto ut ignoſceretis poſtularet; tamen dignum ueſtra manſuetudine, dignũ uirtute huius eſſet, iudices, à uobis hanc rem, hoc poſtulante, impetrari. Deinde augere beneficia licebit, & iudices per locum communem ad ignoſcendi uoluntatem ducere. Quare hoc genus, quanquam in iudiciis non uerſatur, niſi quadam ex parte; tamen quia & pars ipſa inducenda nonnunquam eſt, & in ſenatu, aut concilio ſæpe omni in genere tractanda, in id quoque præcepta ponemus. Nam in ſenatu, & in concilio de Siphace diu deliberatum eſt, & de Q. Numitorio Pullo apud L. Opimium, & eius concilium diu ductum eſt. Et magis in hoc quidem ignoſcendi, quàm cognoſcendi poſtulatio ualuit. Nam ſemper animo bono ſe in po. Rom. fuiſſe non tam facile probabat, cum coniecturali conſtitutione uteretur, quàm ut propter poſterius beneficium ſibi ignoſceretur, cum deprecationis partes adiungeret. Oportebit igitur eum, qui ſibi ut ignoſcatur, poſtulabit, commemorare, ſi qua ſua poterit beneficia: & ſi poterit, oſtendere, ea maiora eſſe, quàm hæc, quæ deliquerit, ut plus ab eo boni, quàm mali profectum eſſe uideatur. Deinde maiorũ ſuorum beneficia, ſi qua extabunt, proferre. Deinde oſtendere

non

non odio, neque crudelitate feciſſe, quod fecerit, ſed aut ſtultitia, aut impulſu alicuius, aut aliqua honeſta, aut probabili cauſſa. Poſtea polliceri, & confirmare, ſe & hoc peccato doctum, & beneficio eorum, qui ſibi ignouerint, confirmatum, omni tēpore à tali ratione abſuturum. Deinde ſpem oſtendere, aliquo ſe in loco, magno iis, qui ſibi conceſſerint, uſui futurum. Poſtea, ſi facultas erit, ſe aut conſanguineum, aut iam à maioribus in primis amicum eſſe demonſtrabit, & amplitudinem ſuæ uoluntatis, & nobilitatem generis eorum, qui ſe ſaluum uelint, & dignitatem oſtendere, & cetera ea, quæ perſonis ad honeſtatē, & amplitudinem ſunt attributa, cum conqueſtione, ſine arrogantia in ſe eſſe demonſtrabit: ut honore potius aliquo, quàm ullo ſupplicio dignus eſſe uideatur. Deinde ceteros proferre, quibus maiora delicta conceſſa ſunt. Ac multum proficiet, ſi ſe miſericordem in poteſtate, & propenſum ad ignoſcendum fuiſſe oſtendet. Atque ipſum illud peccatum erit extenuandum, ut quamminimum fuiſſe uideatur, & aut turpe, aut inutile demonſtrandum tali de homine ſupplicium ſumere. Deinde locis communibus miſericordiā captare oportebit ex iis præceptis, quæ in primo libro ſunt expoſita. Aduerſarius autem malefacta augebit, nihil imprudenter, ſed omnia ex crudelitate, & malitia facta dicet. Ipſum immiſericordem, ſuperbum fuiſſe, &, ſi poterit, oſtendet ſemper inimicum fuiſſe, & amicum fieri nullo modo poſſe. Si beneficia proferet, aut aliqua de cauſſa facta, non propter beneuolentiam demonſtrabit, aut poſtea odium eſſe acre ſuſceptum, aut illa omnia maleficiis eſſe deleta, aut leuiora beneficia, quàm maleficia, aut, cum beneficiis honos habitus ſit, pro maleficio pœnam ſumi oportere. Deinde turpe eſſe, aut inutile ignoſci. Deinde, de quo ut poteſtas eſſet, ſæpe optarint, in eum poteſtate non uti, ſummam eſſe ſtultitiam: & cogitare oportere, quem animum in eum, uel quale odium habuerint. Locus autem communis erit indignatio maleficii: & alter, eorū miſereri oportere, qui propter fortunā, non propter malitiā in miſeriis ſint. Quoniam igitur in generali conſtitutione tandiu propter eius partium multitudinem commoramur, ne forte uarietate, & diſſimilitudine rerum deductus alicuius animus in quendam errorem deferatur; quid etiam nobis ex eo genere reſtet, & quare reſtet, admonendum uidetur. Iuridicialem cauſſam eſſe dicebamus, in qua æqui, & iniqui natura, præmii, aut

pœnæ ratio quæreretur. Eas cauſas, in quibus de æquo, & iniquo quæritur, expoſuimus. Nunc reſtat, ut de præmio, & de pœna explicemus. Sunt enim multæ cauſſæ, quæ ex præmii alicuius petitione conſtant. Nam & apud iudices de præmio ſæpe accuſatorũ quæritur, & à ſenatu, aut concilio aliquod præmium ſæpe petitur. Ac neminem conueniet arbitrari nos, cũ aliquod exemplum ponamus, quod in ſenatu agatur, ab iudiciali genere exemplorum recedere. Quicquid enim de homine probando, aut improbando dicitur, cum ad eam dictionem ſententiarum quoque ratio accommodetur, id non, ſi per ſententiæ dictionem agitur, deliberatiuum eſt: ſed quia de homine ſtatuitur, iudiciale eſt habendum. Omnino autem, qui diligenter omniũ cauſſarum uim, & naturam cognouerit, cum genere primo, tũ etiam forma eas intelliget diſsidere. Ceteris autem partibus aptas inter ſe omnes, & aliam in aliam implicatam uidebit. Nũc de præmiis conſideremus. L. Licinius Craſſus cos. quoſdam in citeriore Gallia, nullo illuſtri, neque certo duce, neque eo nomine, neque numero præditos, ut digni eſſent, qui hoſtes Rom. pop. eſſe dicerentur, quòd tamen excurſionibus, & latrociniis infeſtam prouinciam redderent, conſectatus eſt, & confecit. Romam rediit, triumphum ab ſenatu poſtulat. Hic, ut & in deprecatione, nihil ad nos attinet rationibus, & infirmationibus rationum ſupponendis ad iudicationẽ peruenire: propterea quòd niſi alia quoque incidet conſtitutio, aut pars conſtitutionis, ſimplex erit iudicatio, & in quæſtione ipſa continebitur. In deprecatione huiuſmodi, Oporteat'ne pœna affici. In hac huiuſmodi, Oporteat'ne præmium dari. Nũc ad præmii quæſtionem appoſitos locos exponemus. Ratio igitur præmii quatuor eſt in partes diſtributa: in beneficia, in hominem, in præmii genus, in facultates. Beneficia ex ſua ui, ex tẽpore, ex animo eius, qui fecerit, ex cauſſa conſiderantur. Ex ſua ui quærentur, hoc modo. Magna, an parua, facilia, an difficilia, ſingularia ſint, an uulgaria, uera an falſa quadam ex oratione honeſtentur. Ex tempore autem, Si tum cum indigeremus, cum ceteri non poſſent, aut nollent opitulari, ſi tum cum ſpes deſeruiſſet, opitulatus ſit. Ex animo, Si non ſui commodi cauſſa, ſed eo conſilio fecit omnia, ut hoc conficere poſſet. Ex caſu, Si non fortuna, ſed induſtria factum uidebitur, aut ſi induſtriæ fortuna obſtitiſſet. In hominem autem, Quibus rationibus uixerit, quid ſumptus in eam rem, aut

la-

laboris inſumpſerit, & ſi quid aliquando tale fecerit, num alieni laboris, aut deorum bonitatis præmium ſibi poſtulet: num aliquando ipſe talem ob cauſſam aliquem præmio affici negarit oportere: aut num iam ſatis pro eo, quod fecerit, honos habitus ſit: aut num neceſſe fuerit ei facere id, quod fecerit: aut num huiuſmodi ſit factum, ut niſi feciſſet, ſupplicio dignus eſſet, non, quia fecerit, præmio: aut num ante tempus præmium petat, & ſpem incertam certo uenditet pretio: aut num quo ſupplicium aliquod uitet, eo præmium poſtulet, uti de ſe præiudicium factum eſſe uideatur. In præmii autem genere quid, & quantum, & quamobrem poſtuletur, & quo, & quanto quæque res præmio digna ſit, conſiderabitur. Deinde apud maiores quibus hominibus & quibus de cauſis, talis honos ſit habitus, quæretur. Deinde ne is honos nimium peruagetur. Atque hic eius, qui contra aliquem præmium poſtulantem dicet, locus erit communis, præmia uirtutis, & officii ſancta, & caſta eſſe oportere: neque ea aut cum improbis communicari, aut in mediocribus hominibus peruulgari. Et alter, minus homines uirtutis cupidos fore uirtutis præmio peruulgato. Quæ enim rara, & ardua ſint, ea ex præmio pulchra, & iucunda hominibus uideri. Et tertius, ſi exiſtant, qui apud maiores noſtros ob egregiam uirtutem tali honore dignati ſunt, non'ne de ſua gloria cum pari præmio tales homines affici uideant, deliberari putent? & eorum enumeratio, & cum eis, quos contra dicat, comparatio. Eius autem, qui præmium petet, facti ſui amplificatio, & eorum, qui præmio affecti ſunt, cum ſuis factis contentio. Deinde ceteros à uirtutis ſtudio repulſum iri, ſi ipſe præmio non ſit affectus. Facultates autem conſiderantur, cùm aliquod pecuniarium præmiũ poſtulatur, in quo utrum copia'ne ſit agri, uectigalium, pecuniæ, an penuria, conſideratur. Loci communes, facultates augere, non minuere oportere, & impudentem eſſe, qui pro beneficio non gratiam, uerùm mercedem poſtulet: contra autem de pecunia ratiocinari, ſordidum eſſe, cum de gratia referenda deliberetur: & ſe non pretium pro facto, ſed honorem, ita ut factitatum ſit, pro beneficio poſtulare. Ac de conſtitutionibus quidem ſatis dictum eſt: nunc de iis controuerſiis, quæ in ſcripto uerſantur, dicendum uidetur.

¶ DEPRECATIO *eſt*] *alteram conceſſionis partem explicandam aggreditur, quam deprecationem appellat.* ¶ *Hoc genus uix in iudicio probari*

bari poteſt] id quamob rem fiat, cauſſam illico aſſignat. quia uix ab eo uenia impetrari poteſt, qui peccati uindicandi cauſſa iudex ſedet: nam iurati iudices abſolutionis, ampliationis, condemnationis tabellas accipiunt.

¶ Quare parte eius generis] cauſſa in hoc genere, tanquam præcipua quæſtio, tractari in iudicio nulla poteſt. attamen ſi alteri annexa fuerit quæſtioni, ut ſi pro uiro aliquo forti, aut de repub. optime merito, qualis Milo fuit, diceres, tractari poterit. ¶ Quòd ſi iudices hic pro ſuis beneficijs] hoc exemplo non abſque ingenti artificio uſus eſt Cicero in Oratione pro Milone. ubi iudices ita deprecatur, ut ſtatu deprecationis uti minime uideatur, cum ait. Nolite, ſi in ueſtro omnium fletu nullam lacrymam aſpexiſtis Milonis, ſi uultum ſemper eundem, ſi uocem, ſi orationem ſtabilem, ac non mutatam uidetis, hoc minus ei parcere. atque haud ſcio, an multo etiam ſit adiuuandus magis. etenim ſi in gladiatoriis pugnis, & in fimi generis hominum conditione, atque fortuna timidos, & ſupplices, &, ut uiuere liceat, obſecrantes etiam odiſſe ſolemus; fortes, & animoſos, & ſe acriter ipſi morti offerentes ſeruare cupimus; eorumq; nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiam non requirunt, quàm qui illam efflagitant; quantò hoc magis in fortiſſimis ciuibus facere debemus? ¶ Deinde augere beneficia licebit] ijs beneficiorum amplificationibus peroratio pro Milone plena eſt. cuius illud in primis huic loco exemplum quadrare uidetur, quod ita ſe habet. plebem, et infimam multitudinem, quæ P. Clodio duce fortunis ueſtris imminebat, eam, quò tutior eſſet uita ueſtra, ſe feciſſe commemorat, vt non modo uirtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimonijs deliniret: nec timet, ne, cum plebem muneribus placarit, uos non conciliarit meritis in rempub. ſingularibus. In Oratione pro Deiotaro, regis ipſius beneficia in Cæſarem auget, cum ait. Ille tertio auctionibus factis pecuniam tibi dedit, qua ad bellum utereris. In Oratione pro Corn. Balbo enumeratis multis prælijs, quæ Cornelius ipſe pro ſalute reipub. fecerat, tandem, inquit, Hæc ſunt prœlia Cornelij. talis in rempub. noſtram labor, aſſiduitas, dimicatio, uirtus digna ſummo imperatore, ſpes pro periculis præmiorum, præmia quidem ipſa non ſunt in eius facto, qui adeptus eſt, ſed in eius, qui dedit. donatus eſt igitur ob eas cauſſas à Gn. Pompeio ciuitate. ¶ Nam in ſenatu, & in conſilio de Syphace diu deliberatum eſt] quo modo cauſſa deprecationis tractari poſſit, exemplo Syphacis, & Q. Numitorij Pulli oſtendit. Nam Syphax Numidarum Rex cum à Populo Ro. defeciſſet, fœdus cum Carthaginienſibus ſecundo bello punico fecit. qui cum haud proſpere pugnaſſet cum Romanis, ſaluti conſulens, equo grauiter icto, effuſus, oppreſſusq; eſt: & uiuus captus primo ad Lælium, deinde ad Scipionem Romanorum imperatorem, poſtremo ab ipſo

Scipione Romam in triumpho perductus eſt. de quo diu tum in ſenatu, tum etiam in conſilio, quod de eo factum fuerat, deliberatum eſt. Liuius libro decimo de 2. bell. pun. Si uerò concilio legas, de concilio populi Ro. intelligi poterit, ſic quoque infra loquitur, & a ſenatu, aut cõcilio aliquod præmium ſæpe petitur. ¶ De Q. Numitorio Pullo] proditore in bello Fregellano. Cic. Philipp. 3. Quæ porrò amentia eſt eum dicere aliquid de uxorum ignobilitate; cuius pater Numitoriam Fregellanam proditoris filiam habuerit uxorem, ipſe ex libertini filia ſuſceperit filios. ¶ Apud L. Opimium] qui prætor Fregellanos in deditionem accepit, Fregellasq́; diruit. Florus lib. 60. ¶ Oportebit igitur eum] quibus locis reus uti debeat, ſcribendo complectitur. ¶ Cõmemorare, ſi qua ſua poterit beneficia] ut ſi M. Manlius Capitolinus obijceret dictatori Capitolium ſua opera ſeruatum fuiſſe. ¶ Deinde oſtendere non odio] ut Terentianus Chærea in Eunucho.

» *Vnum hoc ſcito contumeliæ*

» *Non me feciſſe cauſſa, ſed amoris.*

Syphax Scipioni, uti legere eſt apud Liuium, ſtultitia ſe bellum populo Ro. intuliſſe fatetur. ¶ Deinde ſpem oſtendere, aliquo ſe in loco magno ijs, qui ſibi conceſſerint, uſui futurum] ita apud Terentium Chærea in Eunucho.

» *At nunc dehinc ſpero æternam inter nos gratiam*

» *Fore Thais. Sæpe ex huiuſmodi re quapiam, & ex*

» *Malo principio magna familiaritas*

» *Conflata eſt. quid ſi hoc quiſpiam uoluit Deus?*

¶ Deinde ceteros proferre, quibus maiora delicta conceſſa ſunt] ut ſi Cræſum Lydorum regem proferas: cui à Cyro Perſarum Rege ignotum eſt, cum iam in pyra poſitus eſſet, ut uiuus combureretur. ¶ Ac multum proficiet, ſi ſe miſericordem in poteſtate] ut ſi Cyrus, quò miſericordiam impetraret à Thomyri Scytharum regina, ſe quoque in Cræſum miſericordem fuiſſe diceret. nullius enim miſerendum eſt (ut inquit Demoſth. contra Midiam] qui nullius miſeretur: neque quicquam illi ueniæ dandum, qui nemini dat ueniam, ſed græcè fortaſſe uenuſtius. οὐδεὶς γὰρ, ἐστὶ δίκαιος τυγχάνειν ἐλέου τῶν μηδένα ἐλεούντων: οὐδὲ συγγνώμης τῶν ἀσυγγνωμόνων. *¶ Deinde locis communibus] cognita natura cauſſæ non difficile erit communes locos inuenire. ſatis ſit in præſentia cognoſcere conqueſtionis affectus eſſe commouendos, de quibus abunde in primo libro dictum eſt. ¶ Aduerſarius autem] aduerſarij loca proponit: quæ in amplificatione maleſactorum uerſari oportere, hoc eſt eius, qui accuſatur, crudelitatem, malitiamq́; augeri debere oſtendit. ¶ Ipſum immiſericordem] locus à natura, unde fit argumentum à coniugatis, ut probetur ex crudelitate, & malitia*

malitia reum feciſſe. nam qui immiſericors eſt, immiſericorditer, & qui malitioſus eſt, malitioſe facere poteſt. ¶ Si beneficia profert] ad hunc locum diluendum tum coniecturis, de quibus ſatis copioſe antea diſputauimus, tum etiam locis deliberatiui generis opus eſſe planum facit. perſpicua ſunt contextus uerba.

¶ Quoniam igitur] ad alterum generalis conſtitutionis membrum μετάβασιν facit, excuſationemq́; præmunit longioris commorationis in priore membro. ¶ Eas cauſſas, in quibus] hæc uera μετάβασις eſt, in qua & quid dictum ſit, & quid dicendum ſit, (qui locus eſt attentionis, ac docilitatis maximus] breuiter explicatur. ¶ Nunc reſtat, ut de præmio, & de pœna explicemus] altera pars tranſitionis eſt. hac autem de præmio, & pœna tractatio cum ſuperiore quidem de æquo, & iniquo miſceri poterat, (nam utraque pars æquitati iuris ſubiecta eſt) ſed quia ratione temporis aliquantulum differunt, cum altera de præterito, altera ſæpius de futuro, nonnunquam tamen de præterito ſit, utq́; magis perſpicua fieret hæc præmiorum ratio; ſeparatim de illa præcepta tradere conſtituit. ¶ Sunt enim multæ cauſſæ] Fortunatianus in primo libro nonnullas cauſſas recenſet, quæ ex præmiorum petitione conſtant. quas ſub negotiali conſtitutione collocauit. Nam & ſi alia quoque in negotialem ſtatum cadunt, tamen hæc duo in primis Fortunatiano uerſari in hac controuerſia uidentur. inquit enim. Particula iuris quæ eſt? cum aliqua poſtulatio eſt. hæc ſpecies quot modis fit? tribus. cum res pecuniaria eſt, cum ius in poſterum fit, cum de modo pœne agitur. hi ſunt tituli controuerſiarum, qui κατὰ τὸ πλεῖστον negotialem ſtatum oſtendunt. & paulo infra tituli controuerſiarum, qui κατὰ τὸ πλεῖστον negotialem ſtatum efficiunt, qui ſunt? cum tribuni appellantur de iniuſto ſupplicio; cum abdicatio eſt. cum præmij petitio eſt. ſub quo titulo aliquot ſpecies colligit, uti diximus, cauſſarum, quæ ex petitione præmiorum conſtant. ſed & Cicero ipſe has, quæ ſequuntur, enumerat. ¶ Nam & apud iudices de præmio accuſatorum quæritur: & à ſenatu, aut concilio aliquod præmium ſæpe petitur] ab accuſatoribus præmium apud iudices petebatur. Cic. in Diuinat. à ſenatu uerò, & à concilio, uel ſenatorum, uel, ut ego magis exiſtimo, populi Ro. uiri fortes, & alij, quibus pollicitum fuerat præmium, petebant. ¶ Ac neminem conueniet arbitrari] προληπτικῶς occupat, quod obijci poterat. eum à iudicialis generis tractatione diſceſſiſſe, quòd in tradendis exemplis ſenatus mentionem fecerit: in quo deliberationes uerſari ſolent.

¶ Quidquid enim de homine probando] obiectionem diluit. ſi quando inquit, in ſenatu de homine probando, uel improbando agitur, & ſi id per ſententiæ dictionem fit, non ob id tamen cauſſa deliberatiua eſt, ſed quia

de homine decernitur uel probando, uel improbando, iccirco iudicialis eſt cauſſa appellanda. itaque fit, ut huiuſmodi cauſſæ in ſuaſorias maximè cadant, & in controuerſiis frequentes exiſtant, hoc ſolo diſcrimine, quia illic de futuris, hic de iam factis agitur. ¶ Omnino autem qui diligenter] pergit oſtendere non mirum uideri debere, ſi iudiciales cauſſæ ibi quandoq; tractentur, ubi deliberationes fiunt; neq; ob id deliberatiuas eſſe dicendas, quòd ſententiæ dictionem habeant: propterea quia omnes cauſſæ uel genere, uel forma, id eſt ſpecie quidem differunt, cum aliæ iudiciales, aliæ deliberatiuæ, aliæ demonſtratiuæ ſint, pendeantq; non nullæ ex coniectura, quædam ex definitione, aliæ uerò ex qualitate, quæ iuris, iniuriæq; partibus continentur, ſed ceteris in partibus conueniunt, ſimulq; quodam modo connexæ uidentur. Nam quibus ex locis iudiciales cauſſæ promuntur, ex iiſdemmet deliberatiuæ, demonſtratiuæq; deduci ſolent. præterea, laudatio, uituperatio, item accuſatio, & defenſio, nec non ſuaſio, & diſſuaſio mutuis inter ſe nexibus ita implicantur, ut in tractandis iudicialibus cauſſis deliberatiui quoque, ac demonſtratiui generis partibus, locisq; utendum ſit. Ariſtoteles in primo de arte rhet. eadem eſſe, quæ ſuaderi, uel diſſuaderi, & quæ laudari, uituperariq; ſoleant, apertè demonſtrat. Nam quæ in deliberatiuo ſubiiciuntur ad ſuadendum, in demonſtratiuo mutato tantum genere, & flexu dicendi, conferri, ſolent ad laudem, exempli gratia. ſi ita proponas. Non decet Chriſtianum ſpem ponere in iis, quæ fluxa, ac momentanea ſunt, conſilium eſt. at ſi ita proferas. Sancti olim, qui nihil præter Chriſtum expetebant, in iis rebus, quæ aliquando pereunt, nihil ſpei habuerunt, laudatio eſt. Igitur omnes cauſſæ, præterquam in genere, & forma, reliquis in partibus inter ſeſe aptæ eſſe, & egregie conuenire uidentur.

¶ Nunc de præmiis conſideremus] redit ad rem, quam breui digreſſione prætermiſerat. Vbi illud conſideratione dignum uidetur, quòd cum de præmio, & pœna ſe dicturũ propoſuerit; de præmio tantũ præcepta tradere uidetur. quod quam ob rem fecerit, nulla mihi alia ratio perſuadere poteſt, niſi fortè ex iiſdemmet locis è contrario comparatis pœnam intelligi uelit: aut quia ſub deprecatione ratio pœnæ continetur. ſed quo modo iudicium, ſiue cauſſa de pœna agenda ſit, Fabius lib. VII. *cap. de qualitate, docet. Initio autem exemplum proponit Licinii Craſſi: qui cum prouinciam Galliæ citerioris ex latronum incurſionibus uindicaſſet, triumphum à ſenatu petiit. Id iure optimo in controuerſiam cadit, utrum decernendus ſit Licinio triumphus: nam triumpho dignus ille tantum uidebatur, qui occiſis quinque millibus hoſtium uictoriam conſequebatur. Licinius uerò nec legitimum numerum hominum confecerat, nec populi illi tantum*

cri-

criminis admiſerant, ut hoſtes populi Ro. digne iudicari poſſe uiderentur. ¶ *Hic ut in deprecatione*] *in iuridicialibus controuerſiis ex ratione, & rationis infirmatione ad iudicationem perueniri ſolet: ut in cauſſa Oreſtis, Milonis, & aliorum. hic uerò docet orator non iis rationibus ad iudicationem perueniri, & rationem ſuggerit, quia niſi in cauſſam huiuſmodi alia conſtitutio inciderit, ſimplex erit iudicatio: & uti in coniecturali ſtatu, in quæſtione ipſa continebitur. quod in deprecatione quoque fieri ſolet. deprecatione quidem hoc modo. oporteat'ne reum pœna affici. in hac uerò oporteat'ne Licinium Craſſum præmio affici.*

¶ *Nunc ad præmij quæſtionem appoſitos locos exponemus*] *ſubiungit proprios, communesq; huius quæſtionis locos: quorum rationem in quatuor primum diſtribuit partes: quarum non nullæ alias quoque recipiunt partes, uti ex contextu ſatis perſpicue cognoſci poteſt: quas ſi diligenter conſideres, duodecim eſſe comperies. Sed ne illud quidem ſilentio prætereundum uidetur, quod Fab. Quint lib. VII. cap. de qualitate litteris prodidit, quod (ut mihi quidem uidetur) huic negocio optime quadrat. Sic enim ait. De præmijs autem quæruntur duo. an ullo ſit dignus, qui petit, an tanto: ex duobus uter dignior; ex pluribus quis digniſſimus. quorum tractatus ex ipſo meritorum genere ducuntur, & intuebimur non rem tantum, ſiue alleganda, ſiue comparanda erit, ſed perſonam quoque. Nam & multum intereſt tyrannum iuuenis occiderit, an ſenex: uir, an femina: alienus, an coniunctus. eſt & ad locum multipliciter, in ciuitate tyrannis aſſueta, an libera ſemper: in arce, an domi: & quo modo factum ſit, an ferro, an ueneno: & quo tempore, bello, an pace: an cum depoſiturus eſſet eam poteſtatem, an cum aliquid noui ſceleris auſurus. habetur in meritis gratia, periculum quoque, ac difficultas. ſimiliter liberalitas à quo profecta ſit refert. nam in paupere gratior, quàm in diuite; dante beneficium, quàm reddente: patre, quàm orbo. item quam rem dederit, & quo tempore, & quo animo: id eſt non in aliquam ſpeciem ſuorum. Similiter alia. hæc ille.* ¶ *Si tum cum indigeremus, cum ceteri non poſſent, aut nollent opitulari*] *Cicero in oratione pro Sex. Roſcio Am. beneficium ſuum extollit erga Roſcium, cum oſtendat eius cauſſam ab omnibus propter Syllæ timorem neglectam, à ſe uno ſuſceptam fuiſſe. atque ita ait. Credo ego uos iudices mirari, quid ſit, quòd cum tot ſummi oratores, hominesq; nobiliſs. ſedeant, ego potiſſimum ſurrexerim, is, qui neque ætate, neque ingenio, neque auctoritate ſim cum his, qui ſedeant, comparandus. omnes enim hi, quos uidetis adeſſe in hac cauſſa, iniuriam nouo ſcelere conflatam putant oportere defendi, defendere ipſi propter iniquitatem temporum non audent. ita fit, ut adſint, propterea quòd officium ſequuntur, taceant autem*

tem iccirco, quia periculum metuunt. quibus uerbis occulte uidetur innue re ſe maximo præmio dignum, qui, quem alij defendere non auſi fuerint, ſolus ipſe periculum defenſionis eius ſubierit. in oratione, quam poſt reditum ſuum in ſenatu habuit, non nulla extant exempla, quæ ad hunc locum ual de mihi facere uidentur. nota eſt omnibus oratio. ¶ In præmij autem genere] in genere præmij qualitatis, quantitatis, cauſſæq́; illius rei, quæ poſtuletur, eam habendam eſſe rationem dicit, vt ei qualitas, quantitasq́; præmij reſpondeat. ¶ Deinde, ne is honos nimium peruagetur] ne nimium communis fiat. ¶ Atque hic] aduerſarij illius, qui præmium petit, tria enumerat loca communia: quorum primus eſt ab indecenti, alter ab euentu, tertius item ex euentu, & ab inutili cum enumeratione, quæ in textu patet. eſt etiam conſideratione dignum, quòd cum rationem præmiorum quatuor in partes diſtribuerit, duabus tãtum cõmunes locos ſubiecit. ¶ Neque ea aut cum improbis] ab indecenti, neque enim ſancta, & honeſta improbis, impuriſq́; hominibus conueniunt. Vnde illud eſt euangelicum. Nolite ſanctum dare canibus. ¶ Et alter, minus homines] ab euentu cum ſpecie ab inutili. ¶ Quæ enim rara] αἰτιολογία eſt, ex prouerbio deducta. Quæ rara pulchra, ¶ Et tertius] hic locus ſimiliter ex euentu eſt, uti diximus. ¶ Tali honore dignati ſunt] digni habiti: ut apud Virg. in 3. Æn.
» Coniugio Anchiſa Veneris dignate ſuperbo.

¶ Et eorum enumeratio] enumeratione, atque comparatione locum amplificandum eſſe docet. ¶ Eius autem, qui præmium petit] duos locos proponit ei, qui præmium petit: alter eſt per amplificationem ex comparatione factorum illius, atque aduerſarij: alter ex euentu, per quem, quid damni futurum ſit reipub. niſi hic præmio affectus fuerit, oſtenditur. ¶ Facultates autem conſiderantur] quarta pars eſt rationis præmiorum: in qua conſiderandum eſſe docet, an copia ſit bonorum, uidelicet, uel agri, uectigalium, pecuniæ, & reliquorum eiuſmodi, ut inde argumentari orator poſſit à facultate, utrum facultas exiſtat perſoluendi præmij, nec ne. ¶ Loci communes facultates augere] huius partis locos aduerſarij communes tres enumerat: primus eſt ab utili augendas eſſe facultates. alter ab inhoneſto cum deturpatione eius, qui præmium petit, imprudentis eſſe pro beneficio mercedem, non gratiam poſtulare: & ſordidum eſſe, cum de referenda gratia in ſenatu deliberetur, de pecunia uelle ratiocinari. tertius eſt ab honeſto, cum ipſius aduerſarij commendatione per comparationem. ſe pro facto honorem, non pretium, illum uerò mercedem, non gratiam, uel honorem poſtulare. apud Demoſthenem in oratione contra Leptinem lex ipſius Lept. uehementer agitatur: qua præmium petenti grauior pœna conſtituatur, quàm homicidæ. Verba Demoſthenis hæc ſunt. πῶς ἂν οὐ σχέ-

τλιον

τλιον, καὶ δεινὸν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι εἰ χαλεπώτερον εἶναι δόξει παρ' ὑμῖν χάριν εὖ ποιήσαντα ἀπαιτεῖν, ἢ τὰ δεινότατα ἐργαζόμενον ληφθῆναι.

In ſcripto uerſatur controuerſia, cum ex ſcriptionis ratione aliquid dubii naſcitur. Id fit ex ambiguo, ex ſcripto, & ſententia, ex contrariis legibus, ex ratiocinatione, ex definitione. Ex ambiguo autem naſcitur contronerſia, cum, quid ſenſerit ſcriptor, obſcurum eſt, quod ſcriptum duas, plures'ue res ſignificat, ad hunc modum. Pater familias, cum filium hæredem faceret, uaſorum argenteorum pondo centum uxori ſuæ ſic legauit. Hæres meus uxori meæ uaſorum argenteorum pondo centum, quæ uolet, dato. Poſt mortem eius uaſa magnifica, & pretioſe cælata petit à filio mater: ille ſe, quæ ipſe uellet, debere dicit. Primum, ſi fieri poterit, demonſtrandum eſt non eſſe ambigue ſcriptum: propterea quòd omnes in conſuetudine ſermonis ſic uti ſolent eo uerbo uno, pluribus'ue in ea ſententia, in qua is, qui dicet, accipiendum eſſe demonſtrabit. Deinde ex ſuperiore, & ex inferiore ſcriptura docendum id, quod quæratur, fieri perſpicuum. Quare ſi ipſa ſeparatim ex ſe uerba conſiderentur, omnia, aut pleraque ambigua niſum iri. Quæ autem ex omni conſiderata ſcriptura perſpicua fiant, hæc ambigua non oportere exiſtimari. Deinde qua in ſententia ſcriptor fuerit, ex ceteris eius ſcriptis, ex factis, dictis, animo, atque uita eius ſumi oportebit: & eam ipſam, ſcripturam, in qua inerit illud ambiguum, de quo quæritur, totam omnibus ex partibus pertentare, ſi quid aut ad id oppoſitum ſit, quod nos interpretemur, aut ei, quod aduerſarius intelligat, aduerſetur. Nam facile, quid ueriſimile ſit eum uoluiſſe, qui ſcripſit, ex omni ſcriptura, & ex perſona ſcriptoris, atque iis rebus, quæ perſonis attributæ ſunt, conſiderabitur. Deinde erit demonſtrandum, ſi quid ex ipſa re dabitur facultatis, id, quod aduerſarius intelligat, multo minus commode fieri poſſe, quàm id, quod nos accipimus, quòd illius rei neque adminiſtratio, neque exitus ullus extet: nos quod dicamus facile, & commode tranſigi poſſe. ut in hac lege (nihil enim prohibet fictam legem exempli loco ponere, quò facilius res intelligatur) Meretrix coronam auream ne habeto: ſi habuerit, publica eſto. Contra eum, qui meretricem publicari dicat ex lege oportere, poſſet dici, neque adminiſtrationem eſſe ullam publicæ meretricis, neque exitum legis in meretrice publicanda: at in auro publicando & adminiſtrationem, & exitum facilem

lem eſſe, & incommodi nihil ineſſe. Ac diligenter illud quoque attendere oportebit, num illo probato, quod aduerſarius intelligat, utilior res, aut honeſtior, aut magis neceſſaria, à ſcriptore neglecta uideatur. Id fiet, ſi id, quod nos demonſtrabimus, honeſtum, aut utile, aut neceſſarium demonſtrabimus: & ſi id, quod ab aduerſariis dicetur, minime eiuſmodi dicemus eſſe. Deinde, ſi in lege erit ex ambiguo controuerſia, dare operam oportebit, ut de eo, quod aduerſarius intelligat, alia in lege cautum eſſe doceatur. Permultum autem proficiet illud demonſtrare, quemadmodum ſcripſiſſet, ſi id, quod aduerſarius accipiat, fieri, aut intelligi uoluiſſet: ut in hac cauſſa, in qua de uaſis argenteis quæritur, poſsit mulier dicere, nihil attinuiſſe adſcribi, quæ uolet, ſi hæredis uoluntati permitteret. Eo enim non adſcripto, nihil ineſſe dubitationis, quin hæres, quæ ipſe uellet, daret. Amentiæ igitur fuiſſe, cùm hæredi uellet cauere, id adſcribere, quo non adſcripto, nihilominus hæredi caueretur. Quare hoc genere magnopere talibus in cauſis uti oportebit: ſi hoc modo ſcripſiſſet, iſto uerbo uſus non eſſet, non iſto loco uerbum iſtud collocaſſet. Nam ex his ſententia ſcriptoris maxime perſpicitur. Deinde quo tempore ſcriptum ſit, quærendum eſt, ut, quod eum uoluiſſe in eiuſmodi tempore, ueriſimile ſit, intelligatur. Poſt ex deliberationis partibus, quid utilius, & quid honeſtius, & illi ad ſcribendum, & his ad comprobandum ſit, demonſtrandum: & ex his ſi quid amplificationis dabitur communibus utrinque locis uti oportebit.

¶ IN *ſcripto uerſatur controuerſia*] *ſequuntur legitimæ controuerſiæ, id eſt lites, quæ ex legibus pendent. porrò lex omnis (ut Fabius ait) aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut iubet, aut uetat, aut permittit. litem habet aut per ſe ipſam, aut propter alteram quæſtionem: aut in ſcripto, aut in uoluntate. ſcriptum aut apertum eſt, aut obſcurum, aut ambiguum. quod de legibus dicitur, idem de teſtamentis, pactis, ſtipulationibus, omni denique ſcripto, idem de uoce accipiendum eſt. & quoniam quinque eius generis quæſtiones facit, ambigui, ſcripti, & ſententiæ, contrariarum legum, ratiocinationis, definitionis; ſingulas proprijs, communibusq́; locis percurrit. Quatuor ferè recenſeri ſolent ab oratoribus legitimi ſtatus (modo ſtatus appellandi ſint) unus ex ambiguo, alter ex ſcripto, & uoluntate, tertius ex contrarijs legibus, quartus è ſyllogiſmo. in partitionibus tres tantum facit controuerſias ſcripti, ſyllogiſmum, ſeu ratiocinationem præteriens ob id, quia ſyllogiſmus ambiguitatis eſt. cuius controuerſia inde*

de oriri uidetur, quòd quædam inter hos ſtatus cognatio eſt. Nam & in finitione, (ſic definitionem appellat Quintilianus) quæ ſit uoluntas nominis, quæritur: & in ſyllogiſmo, qui ſecundus à definitione ſtatus eſt, ſpectatur, quæ ubique ſcriptoris uoluntas fuerit: & ex contrariis legibus duos eſſe ſcripti, & uoluntatis ſtatus apparet. rurſus & definitio quodam modo amphibologia eſt, cum duas in partes diſtribuatur nominis intellectus. ſcriptum, et ſententia habet in uerbis uocis quæſtionem. quod idem in ἀντινομίᾳ petitur. quam ob rem omnia hæc quidam ſcriptum, & ſententiam eſſe dixerunt. ¶ Ex ambiguo autem controuerſia naſcitur] primũ definit ambiguum, quod fieri ait, cum quod ſenſerit ſcriptor, id duo, aut plura ſignificat, quæ res ſcriptum obſcurum reddit. Græci ἀμφίβολον, ſiue ἀμφιβολογίαν appellant. ¶ Paterfamilias] exemplum eſt ambigui: unde quidam multæ etiam eruditionis homines ſtulte coniecturam ducunt, libros ad Herennium eſſe Ciceronis: propterea quia eodem ferè exemplo perpaucis tantum additis auctor ipſe utitur: cum non uideant eum, quiſquis ille fuerit, in dandis rhetoricæ præceptis Ciceronem imitari uoluiſſe. Crediderim autem ego aut Ciceronis filium, aut eius libertum Lauream, qui & Cicero dictus eſt, eorum librorum auctorem fuiſſe. qui cum animaduertiſſet Ciceronem de inuentione tantum perſcripſiſſe, ut ipſe rhetorices præcepta ſcribendo abſolueret, de omnibus partibus ſibi ſcribendum putauit.

¶ Quæ uolet dato] hic eſt totius controuerſiæ cardo: quæ penitus ſublata eſſet, ſi aut ipſe, aut ipſa addidiſſet. ¶ Primum ſi fieri poterit] locos ambigui deſcribendos aggreditur. quos ex iis potiſſimum locis deducere uidetur. à communi conſuetudine ſcribendi, ab expoſitione, à conſuetudine legis latoris in ſcribendo, à faciliori intelligentia per comparationem expoſitionis rei, & actoris: quem locum confirmat ratione ab inutili, & ab exemplo. atque iis locis omnibus loca adiungit deliberatiui generis ab utili, ab honeſto, à neceſſario. item à tempore, aliiſq́; rebus, quæ in contextu patebunt. ¶ Primum ſi fieri poterit] primus eſt ambigui locus à communi conſuetudine ſcribendi deductus. ¶ Deinde ex ſuperiore] ſecundus locus.

¶ Quare ſi ipſa ſeparatim] amphibologiæ ſpecies ferè ſunt innumerabiles, adeo ut philoſophorum quibuſdam nullum uideatur eſſe uerbum, quod non plura ſignificet, genera ad modũ pauca. aut enim, inquit Fabius, uocibus accidit ſingulis, aut coniunctis. ſingula pariunt errorem: cum pluribus rebus, aut hominibus eadem appellatio eſt. græce ὁμωνυμία dicitur. ut gallus, canis, taurus, & alia huiuſcemodi, quæ uarias ſignificationes habent. in coniunctis plus ambiguitatis eſt. fit autem per caſus. ut illud Oraculi.

» Aio te Æacida Romanos uincere poſſe.

& illud Virg. ex primo Æn. de Troilo.

» *Lora tenens tamen .*

hinc & illa controuerſia eſt . Teſtamento quidam iuſſit poni ſtatuam aueam haſtam tenentem . quæritur , an haſta , an ſtatua aurea eſſe debeat. & hæc controuerſia de uaſis argenteis , vter eligere debeat .

¶ Deinde quæ in ſententia] tertius locus eſt . quem à conſuetudine uel ſcriptoris , uel legislatoris ſumptum eſſe diximus . niſi mauis ab effectis, & pronunciatis deductũ eſſe . ¶ Deinde erit demonſtrandum] quartus locus eſt: quem à faciliori intelligentia per comparationem deductum eſſe, antea admonuimus . quo deprimendam eſſe aduerſarij ſententiam à difficili , & obſcuro , & per comparationem utriuſque expoſitionis noſtram extollendam eſſe oſtendit . ¶ Quod illius rei] ratio eſt ab inutili deducta, cui ſubnectit declarandæ rei gratia exemplum ex uetere lege ſumptum : quo uel Græci rhetores quandoque utuntur . ¶ Meretrix coronam auream ne habeto : ſi habuerit, publica eſto] hoc exemplo admonet in rebus, ſeu in ſcriptis dubijs , quod magis commode fieri poteſt , magisq́ probabile eſt , id eſſe accipiendum . ſicuti in hoc exemplo ambiguo magis probabile eſt coronam , quàm meretricem publicandam eſſe . quod ab utili deducitur . Nam adminiſtratio , id eſt uectigal , ſiue fructus publicæ meretricis nullus eſt . at in auro publicando adminiſtratio, & exitus facilis eſt, & incommodi nihil. ¶ Ac diligenter illud quoque attendere oportebit] adiungit præcepta deliberatiui generis ab honeſto , utili , & neceſſario : quæ per comparationem tractanda eſſe admonet , vtra res vtilior , honeſtior , aut magis neceſſaria à ſcriptore neglecta fuerit. ¶ Permultum autem proficies] aliud præceptum ſubnectit , conſiderandum eſſe , quo pacto apertius ſcribi potuiſſet ab eo , qui ſcripſit , ſi ita ſenſiſſet , uti aduerſarius ſentit . ac mulier probat ancipiti argumento ſecum facere ſcriptum, neque apertius ſcribi unquam potuiſſe, quàm ſcriptum eſt, huncq́ in modum argumentatur . ſcriptor aut cauere uoluit hæredi, aut non. ſi cauere uoluit ; non erat apponenda illa pars , quæ uolet , quæ interpoſita omnem hæredis poteſtatem tollit : at poſita eſt. igitur non hæredi, ſed legatariæ cauere uoluit. ¶ Deinde , quo tempore] confirmanda eſt mulieris interpretatio à tempore ſcripti , unde probe aliquando ſcriptorum uoluntates cognoſci poſſe declarat . ¶ Poſt ex deliberationis partibus] alia confirmatio ex locis deliberationis per comparationem . ¶ Ex ex ijs ſi quid amplificationis] ex deliberatiui generis partibus loci communes ad cauſſam amplificandam ab actore , & reo ſumendos eſſe docet .

Ex ſcripto , & ſententia controuerſia conſiſtit , cum alter uerbis ipſis , quæ ſcripta ſunt , utitur : alter ad id , quod ſcriptorem ſenſiſſe dicet, omnem adiungit dictionem. Scriptoris autem

ſententia ab eo, qui ſententia ſe defendet, tum ſemper ad idem ſpectare, & idem uelle demonſtrabitur: tum aut ex facto, aut ex euentu aliquo ad tempus id, quod inſtituit, accommodatur. Semper ad idem ſpectare, hoc modo. Paterfamilias cum liberorum nihil haberet, uxorem autem haberet, in teſtamento ita ſcripſit. Si mihi filius genitus fuerit unus, plures'ue, is mihi hæres eſto. Deinde quæ aſſolent. Poſtea, Si filius ante moritur, quàm in tutelam ſuam uenerit, tu mihi, dicebat, ſecundus hæres eſto. Filius natus non eſt, ambigunt agnati cum eo, qui eſt ſecundus hæres, ſi filius ante, quàm in tutelam ueniat, mortuus ſit. In hoc genere non poteſt hoc dici, ad tempus, aut ad euentum aliquem ſententiam ſcriptoris oportere accommodari: propterea quòd ea ſola demonſtratur, qua fretus ille, qui contra ſcriptum dicet, ſuam eſſe hæreditatem defendit. Alterum autem genus eſt eorum, qui ſententiam inducunt, in quo non ſimplex uoluntas ſcriptoris oſtenditur, quæ in omne tempus, & in omne factum idem ualeat; ſed ex quodam facto, aut euentu ad tempus interpretanda dicitur. Ea partibus iuridicialis aſſumptiuæ maxime ſuſtinetur. Nam tum inducitur comparatio, ut in eum, qui, cum lex aperiri portas noctu uetaret, aperuit quodam in bello, & auxilia quædam in oppidum recepit, ne ab hoſtibus opprimerentur, ſi foris eſſent, quòd propè muros hoſtes caſtra haberent. Tum relatio criminis, ut in eo, qui, cum communis lex omnium hominem occidere uetaret, Tribunum militum ſuum, qui uim ſibi inferre conaretur, occidit. Tum remotio criminis, ut in eo, qui, cum lex, quibus diebus in legationem proficiſceretur, præſtitueret, quia ſumptum non dedit quæſtor, profectus non eſt. Tum conceſsio per purgationem, & per imprudentiam, ut in utili immolatione: & per uim, ut in naui roſtrata: & per caſum, ut in Eurotæ fluminis magnitudine. Quare aut ita ſententia inducetur, ut unum quoddam uoluiſſe ſcriptor demonſtretur; aut ſic, ut in eiuſmodi re, & tempore hoc uoluiſſe doceatur. Ergo is, qui ſcriptum defendit, his locis plerunque omnibus, maiore autem parte ſemper poterit uti. Primum ſcriptoris collaudatione, & loco communi, nihil eos, qui iudicēt, niſi id, quod ſcriptum ſit, ſpectare oportere: & hoc eo magis, ſi legitimū ſcriptum proferetur, id eſt, aut lex ipſa, aut ex lege aliquid. Poſtea, quod uehemētiſsimum eſt, facti, aut intētionis aduerſariorum cum ipſo ſcripto contentione: quid ſcriptum ſit, quid factū,

quid iuratus iudex: quem locum multis modis uariare oportebit. Tum ipſum ſecum admirantem quidnam contra dici poſsit, tum ad iudicis officium reuertentem, & ab eo quærentem quid præterea audire, aut expectare debeat: tum ipſum aduerſarium quaſi intentantis loco producendo, hoc interrogando, utrum ſcriptum neget eſſe eo modo, an ab ſe contra factum eſſe, aut contra contendi neget, utrum negare auſſus ſit, ſe dicere deſiturum. Si neutrum neget, & contra tamen dicat; nihil eſſe quo hominem impudentiorem quiſquam ſe uiſurũ arbitretur. In hoc ita commorari conueniet, quaſi nihil præterea dicendum ſit, & quaſi contra dici nihil poſsit, ſæpe id, quod ſcriptum eſt, recitando, ſæpe cum ſcripto factum aduerſarii confligendo, atque interdum acriter ad iudicem ipſum reuertendo. Quo in loco iudici demonſtrandum eſt, qui iuratus ſit, quid ſequi debeat: duabus de cauſsis iudicem dubitare oportere, ſi aut ſcriptum ſit obſcure, aut neget aliquid aduerſarius. Cum & ſcriptum ſit aperte, & aduerſarius omnia confiteatur, tum iudicem legi parere, non interpretari legem oportere. Hoc loco confirmato, tum diluere ea, quæ contra dici poterant, oportebit. Contra autem dicetur, ſi aut prorſus aliud ſenſiſſe ſcriptor, & ſcripſiſſe aliud demonſtrabitur, ut in illa de teſtamento, quam poſuimus, controuerſia, aut cauſſa aſſumptiua inferetur, quamobrem ſcripto nõ potuerit, aut non oportuerit obtemperari. Si aliud ſenſiſſe ſcriptor, aliud ſcripſiſſe dicetur, is, qui ſcripto utetur, hoc dicet, non oportere de eius uoluntate nos argumentari, qui ne id facere poſſemus, indicium nobis reliquerit ſuæ uoluntatis: multa incommoda conſequi, ſi inſtituatur, ut à ſcripto recedatur. Nam & eos, qui aliquid ſcribant, non exiſtimaturos id, quod ſcripſerint, ratum futurum: & eos, qui iudicent, certum, quod ſequantur, nihil habituros, ſi ſemel à ſcripto recedere conſueuerint. Quòd ſi uoluntas ſcriptoris conſeruanda ſit, ſe, non aduerſarios à uoluntate eius ſtare. Nam multo proprius accedere ad ſcriptoris uoluntatem eum, qui ex ipſius eam literis interpretetur, quàm illum, qui ſententiam ſcriptoris non ex ipſius ſcripto ſpectet, quod ille ſuæ uoluntatis quaſi imaginem reliquerit, ſed domeſticis ſuſpicionibus perſcrutetur. Sin cauſſam afferet is, qui à ſententia ſtabit; primum erit contradicendum, quàm abſurdum non negare cõtra legem feciſſe, ſed quare fecerit, cauſſam aliquam inuenire. Deinde conuerſa omnia eſſe: ante ſo-

litos

litos eſſe accuſatores iudicibus perſuadere, affinem eſſe alicuius culpæ eum, qui accuſaretur, cauſſam proferre, quæ eum ad peccandum impuliſſet; nunc ipſum reum cauſſam afferre, quare deliquerit. Deinde hanc inducere partitionem, cuius in ſingulas partes multæ conuenient argumentationes. Primum nulla in lege ullam cauſſam contra ſcriptum accipi conuenire. Deinde ſi in ceteris legibus conueniat, hanc eſſe huiuſmodi legem, ut in ea non oporteat. Poſtremo ſi in hac quoque lege oporteat, hanc quidem cauſſam accipi minime oportere. Prima pars his ferè locis confirmabitur, ſcriptori neque ingenium, neque operam, neque ullam facultatem defuiſſe, quo minus poſſet aperte perſcribere id, quod cogitaret: non fuiſſe ei graue, nec difficile, eam cauſſam excipere, quam aduerſarii proferant: ſi quicquam excipiendum putaſſet, conſueuiſſe eos, qui leges ſcribant, exceptionibus uti. Deinde oportet recitare leges cum exceptionibus ſcriptas, & maxime uidere, ſi qua in ea ipſa lege, qua de agitur, ſit exceptio aliquo in capite, aut apud eundem legis ſcriptorem, quo magis probetur eum fuiſſe excepturum, ſi quid excipiendum putaret, & oſtendere, cauſſam accipere, nihil aliud eſſe, niſi legem tollere: ideo quòd cum ſemel cauſſa conſideretur, nihil attineat eam ex lege conſiderare, quippe quæ in lege ſcripta non ſit. Quod ſi ſit inſtitutum, omnibus cauſſam dari, & poteſtatem peccandi, cum intellexerint uos ex ingenio eius, qui contra legem fecerit, non ex lege, in quam iurati ſitis, rem iudicare. Deinde & ipſis iudicibus iudicandi, & ceteris ciuibus uiuendi rationes perturbatum iri, ſi ſemel à legibus receſſum ſit. Nam & iudices neque quid ſequantur habituros, ſi ab eo, quod ſcriptum ſit, recedant: neque quo pacto aliis improbare poſsint, quod contra legem iudicarint: & ceteros ciues quid agant ignoraturos, ſi ex ſuo quiſque conſilio, & ex ea ratione, quæ in mentem, aut in libidinem uenerit, non ex communi præſcripto ciuitatis unamquanque rem adminiſtrabit. Poſtea quærere à iudicibus ipſis, quare in alienis detineantur negotiis, cur reipub. munere impediantur, cum ſæpius ſuis rebus, & commodis ſeruire poſsint, cur in certa uerba iurent, cur certo tẽpore conueniant, certo diſcedant. nihil quiſquam afferat cauſſæ, quo minus frequenter operam reipub. det, niſi quæ cauſſa in lege excepta ſit: an ſe legibus obſtrictos in tantis moleſtiis eſſe æquum cenſeant, aduerſarios noſtros leges negligere concedant. Deinde item quæ

rere

rere ab iudicibus, ſi eius rei cauſſam, propter quam ſe reus con tra legem feciſſe dicat, exceptionem ipſe in lege adſcribat, paſſu ri'ne ſint. Poſtea hoc, quod faciat, indignius, & impudentius eſ ſe, quam ſi adſcribat. Age porrò, quid ſi ipſi uelint iudices adſcribere, paſſurus'ne ſit populus? atque hoc eſſe indignius, quã rem uerbo, & litteris mutare non poſsint, eam re ipſa, & iudicio maxime commutare. Deinde indignius eſſe de lege aliquid derogari, aut legem abrogari, aut aliqua ex parte commutari, cum populo cognoſcendi, & probandi, aut improbandi poteſtas nul la fiat, hoc ipſis iudicibus inuidioſiſsimum futurum. Non hunc locum eſſe, neque hoc tempus legum corrigendarum: apud populum hoc, & per populum agi conuenire: quòd ſi nunc id agant, uelle ſe ſcire qui lator ſit, qui ſint accepturi, ſe actiones uidere, & diſſuadere uelle. Quòd ſi hæc cum ſumme inutilia, tũ multo turpiſsima ſint, legem cuiuſcemodi ſit, in præſentia con ſeruari à iudicibus, poſt ſi diſpliceat, à populo corrigi conuenire. Deinde ſi ſcriptum non extaret, magnopere quæreremus: neque iſti, ne ſi extra periculum quidem eſſet, crederemus. Nunc cum ſcriptum ſit, amentiam eſſe eius rei, qui peccarit po tius, quàm legis ipſius uerba cognoſcere. His & huiuſmodi rationibus oſtenditur, cauſſam extra ſcriptum accipi non oportere. Secunda pars eſt, in qua eſt oſtendendum, ſi in ceteris legibus oporteat, in hac non oportere. Hoc demonſtrabitur, ſi lex aut ad res maximas, utiliſsimas, honeſtiſsimas, religioſiſsimas uidebitur pertinere: aut inutile, aut turpe, aut nefas eſſe tali in re non diligentiſsime legi obtemperare: aut ita lex diligenter per ſcripta demonſtrabitur, ita cautum unaquaque de re, ita quod oportuerit exceptum, ut minime conueniat quicquam in tam diligenti ſcriptura præteritum arbitrari. Tertius locus eſt ei, qui pro ſcripto dicet, maxime neceſſarius, per quem oſtendat oportet, ſi eò ueniat, cauſſam contra ſcriptum accipi, eam tamen minime oportere, quæ ab aduerſariis afferatur. Qui locus idcirco eſt huic neceſſarius, quòd ſemper is, qui contra ſcriptum dicit, æquitatis aliquid afferat, oportet. Nam ſumma impudentia eſt, eum, qui contra quod ſcriptum ſit, aliquid probare uelit, non æquitatis præſidio id facere conari. Si quid igitur ex hac ipſa quiſ piam accuſator deroget, omnibus partibus iuſtius, & probabi lius accuſare uideatur. Nam ſuperior oratio hoc omnis faciebat uti iudices, etiam ſi nollent, neceſſe eſſet; hæc autem, etiam ſi ne

ceſſe

ceſſe non eſſet, ut uellent, contrà iudicare. Id autem fiet, ſi quibus ex locis culpa demonſtrabitur non eſſe in eo, qui comparatione, aut remotione, aut relatione criminis, aut conceſsionis partibus ſe defendit, de quibus ante, ut potuimus, diligenter perſcripſimus, ſi de his locis, quæ res poſtulabit, ad cauſſam aduerſariorum improbandam transferemus: aut cauſſæ, & rationes afferentur, quare, & quo conſilio ita ſit in lege, aut in teſtamento ſcriptum, ut ſententia quoque, & uoluntate ſcriptoris, non ipſa ſolum ſcripturæ cauſſa confirmatum eſſe uideatur: ut aliis quoque conſtitutionibus ſactum coarguetur. Contra ſcriptum autem qui dicet, primum eum inducet locum, per quem æquitas cauſſæ demonſtretur: aut oſtendet quo animo, quo conſilio, qua de cauſſa fecerit: & quamcunque cauſſam aſſumet, aſſumptionis partibus ſe defendet, de quibus ante dictum eſt. Atque hoc in loco, cum diutius commoratus ſui facti rationem, & æquitatem cauſſæ exornauerit, tũ ex his locis ferè contra aduerſarios dicet oportere cauſſas accipi: demonſtrabit nullam eſſe legem, quæ aliquam rem inutilem, aut iniquam fieri uelit: omnia ſupplicia, quæ à legibus proficiſcantur, culpæ, ac malitiæ uindicandæ cauſſa conſtituta eſſe. Scriptorem ipſum, ſi exiſtat, factum hoc probaturum: & idem ipſum, ſi ei talis res accidiſſet, facturum fuiſſe: & ea re legi ſcriptorem certo ex ordine iudices, certa ætate præditos conſtituiſſe, ut eſſent, non qui ſcriptum ſuum recitarent, quod quiuis puer facere poſſet, ſed qui cogitationem aſſequi poſſent, & uoluntatem interpretari. Deinde illũ ſcriptorem, ſi ſcripta ſua ſtultis hominibus, & barbaris iudicibus committeret, omnia ſumma diligentia perſcripturum fuiſſe, nunc uerò, quòd intelligeret quales uiri iudicaturi eſſent, idcirco eum, quæ perſpicua uideret eſſe, non adſcripſiſſe: neque enim uos ſcripti ſui recitatores, ſed uoluntatis interpretes fore putauit. Poſtea quærere ab aduerſariis, quid ſi hoc feciſſem? quid ſi hoc accidiſſet? eorum aliquid, in quibus aut cauſſa ſit honeſtiſsima, aut neceſsitudo certiſsima, tum'ne accuſaretis? Atqui lex nuſquam excepit. Non ergo omnia ſcriptis, ſed quædam, quæ perſpicua ſunt, tacitis exceptionibus caueri. Deinde nullam rẽ neq; legibus, neq; ſcriptura ulla, deniq; ne in ſermone quidẽ quotidiano, atq; imperiis domeſticis recte poſſe adminiſtrari, ſi unuſquiſq; uelit uerba ſpectare, & non ad uoluntatem eius, qui uerba habuerit, accedere. Deinde ex utilitatis, & honeſtatis partibus oſtendere,

re,quàm inutile, aut quàm turpe ſit id,quod aduerſarii dicant fie ri oportuiſse, aut oportere: & id, quod nos fecerimus,aut poſtulemus, quàm utile, aut quàm honeſtum ſit. Deinde leges no bis caras eſse non propter literas, quæ tenues, & obſcuræ notæ ſint uoluntatis, ſed propter earum rerum, quibus deſcriptum eſt, utilitatem, & eorum, qui ſcripſerint, ſapientiam, & diligen tiam. Poſtea quid ſit lex deſcribere, ut ea uideatur in ſententiis, non in uerbis conſiſtere: & iudex is uideatur legi obtemperare, qui ſententiam eius,non qui ſcripturam ſequatur. Deinde quàm indignum ſit eodem affici ſupplicio eum, qui propter aliquod ſcelus, & audaciam contra legem fecerit; & eum, qui honeſta, aut neceſsaria de cauſa, non ab ſententia, ſed ab literis legis receſserit: atque his, & huiuſmodi rationibus & accipi cauſsam, & in hac lege accipi, & eam cauſſam,quam ipſe afferat, oportere accipi demonſtrabit. Et quemadmodum ei dicebamus,qui à ſcri pto diceret, hoc fore utiliſsimum, ſi quid de æquitate ea, quæ cum aduerſario ſtaret, derogaſſet; ſic huic, qui contra ſcriptum dicet, plurimum proderit ex ipſa ſcriptura aliquid ad ſuam cauſ ſam conuertere, aut ambigue aliquid ſcriptum oſtendere. Dein de ex illo ambiguo eam partem, quæ ſibi proſit, defendere aut uerbi definitionem inducere, & illius uerbi uim, quo urgeri uideatur, ad ſuæ cauſſæ commodum traducere. aut ex ſcripto non ſcriptum aliquod inducere per ratiocinationem, de qua poſt dicemus. Quacunque autem in re, quamuis leuiter probabili ſcri pto ipſo ſe defenderit, etiam cum æquitate cauſſa abundabit, neceſſariò multum proficiet, ideo quòd ſi id, quo nititur aduerſariorum cauſſa, ſubduxerit, omnem illam eius uim, & acrimoniam lenierit, ac diluerit. Loci autem communes certis ex aſſumptionis partibus in utranque partem conuenient. Præterea eius, qui à ſcripto dicet, leges ex ſe, non ex eius,qui contra com miſerit,utilitate ſpectari oportere, & legibus antiquius haberi ni hil oportere. Contra ſcriptum, leges in conſilio ſcriptoris, & utilitate communi, non in uerbis conſiſtere. Quàm indignum ſit æquitatem literis urgeri, quæ uoluntate eius, qui ſcripſerit, defendatur.

¶ E x *ſcripto, et ſententia controuerſia conſiſtit*] *alter eſt ſtatus legalis ex ſcripto,& uoluntate,cũ aliud ſcriptor ſenſiſſe uidetur, & aliud ſcripſiſſe, hoc eſt cũ alius ſcripto,alius ſententia ſcripti ſuam cauſſam defendit. ſed qui ſtat à ſententia,duplici ratione ſcriptoris ſententiã aſſerere poſſe memorat.*

aut

aut.n.ſemper eandẽ eſſe ſcripti ſententiã, ad idemq́; ſemper ſpectare dicet. aut ex euentu, & ad tempus conſiderandam, accipiendamq́; demonſtrabit. quo autem modo utrunque fieri poſſit exemplis inſinuat. ¶ Paterfamiliàs] exemplum eſt illius partis, quo modo ſententia ſcriptoris ſemper ad idem ſpectet. Pater, inquit, familiàs cum ex uxore nullos liberos ſuſcepiſſet, ſuſcepturum tamen ſperaret, huiuſmodi teſtamentum fecit. Si filius unus, aut plures ſibi futuri eſſent; illi bonorum ſuorum hæredes forent: ſin minus; bona hæredis eſſent ſecundo loco à ſe in teſtamento ſubſtituti. hac, tamen lege, ſi filius moriatur, antequam in ſuam tutelam ueniat. moritur abſque liberis paterfamilias. agnati hæreditatem ſibi uendicant eo iure, quia in teſtamento ſcriptum erat, ſi antequam in ſuam tutelam ueniat moriatur, et aliquam contra ſecundum hæredem actionẽ ſe habere putant, cum re uera nullam habeant. Nam quis ambigit illam non fuiſſe teſtantis uoluntatem, ut is non nato filio hæres eſſet, qui mortuo? hac olim controuerſia fuit L. Craſſi cum Q. Mutio Scæuola in iudicio Curiano apud centumuiros. lege Cic. in 2. de Orat. & in Oratione pro A. Cecinna, qui rem tibi planius explicabit. ¶ Si mihi filius genitus] formula teſtamenti: quam Iuſtinianus libro. 2. Inſtit. iis uerbis proſequitur. Titius mihi hæres eſto. & ſi filius meus mihi hæres non erit, ſiue hæres erit, & prius moriatur, quàm in ſuam tutelam ueniat; tunc Seius mihi hæres eſto. ¶ Deinde, quæ aſſolent] ex formula teſtamentorum, uel iuris adiungi. reperiuntur enim in omnibus teſtamentis, uel aliis legitimis ſcriptis clauſulæ quædam generales: quibus uel noſtri temporis tabelliones utuntur. ¶ Qui eſt hæres] ſecundus. ¶ Si filius antequam in ſuam tutelam ueniat, mortuus ſit] hinc agnati dubitationis anſam capiunt, an aliquid controuerſiæ cum ſecundo hærede habere poſſint. qui certè nullam habere poſſunt: nam ad id ſemper ſpectat ſcripti ſententia. ¶ Qui contra ſcriptum dicet] hæres ſecundus.

¶ Alterum autem genus eſt eorum, qui ſententiam inducunt] alterum membrum aggreditur, in quo ſententia ſcriptoris non ad idem ſemper ſpectat, ſed pro ueritate tẽporũ, factorũq́; ratione uariat. quã partibus iuridicialis aſſũptiuæ ſuſtineri docet. ideoq́; ſingulas ſingulis exẽplis repetit. ¶ Nam tum inducitur comparatio, ut in eum, qui cum lex] contra legem quidem fecerat, qui noctu portas ciuitatis aperuit, ſed profuit. quæritur utrum à ſcripto, an à ſenſu legis ſtandum ſit. nam etſi in lege hoc ſcriptum non eſt, facile tamen iudicari poteſt legiſlatorem prohibere noluiſſe, quo minus noctu auxilia in urbem reciperentur, eoq́; magis, ſi in mortis diſcrimine uerſarentur, niſi intrò ducti eſſent. ¶ Tum relatio criminis, ut in eo, qui cum communis lex omnium] hoc exemplum apertius poſitum

eſt in oratione pro Milone, cum ait. Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marij, propinquus eius Imperatoris, interfectus ab eo eſt, cui uim afferebat. hæc ille. Nomen adoleſcentis Plotius, tribunus uerò C. Lucius dicebatur. ¶ Præſtitueret] præſcriberet. Cic. in Verr. diem præſtituit operi faciundo, ¶ Quare aut ita ſententia inducetur] ex ſuperioribus colligit uoluntatem ſcripti, aut idem ſemper uelle, aut ex facto, uel ex euentu aliquo ad tempus accommodandam eſſe.

¶ Ergo is, qui ſcriptum defendit] diſtributa in duas partes ſcriptoris uoluntate, locos aggreditur ad cauſſam tuendam idoneos. quorum primi ſunt eius, qui ſcripto nititur: ſecundi uerò, qui ſententiam ſcripti defendit. ¶ Primum ſcriptoris collaudatione] hoc doctis notius eſt, quàm explicari oporteat, Demoſthenem, & Ciceronem inducendis teſtibus, aut aliquorum exemplis, eorum ſemper grauitatem, fidem, auctoritatemq; uehementer extollere. primus igitur hic locus à collaudatione ſcriptoris dicitur. ¶ Poſtea, quod uehementiſſimum eſt,] alter locus eſt, qui ex collatione appellatur. conferuntur enim per contentionem intentio, ſiue factum aduerſariorum cum ipſo legis ſcripto. ¶ Quid ſcriptum ſit] qualis eſſe debeat contentio, planum facit. ergo quid ſcriptũ ſit à legislatore ſcilicet, quid factum, ab eo, qui ex uerbis legis arguitur. ¶ Quid iuratus iudex] in quam rem iuratus ſedeat, quaſi diceret, ut uerba legis uehementer obſeruet, non ut id, quod acute excogitatum ſit, ſequatur. ¶ Tum ipſum ſecum admirantem] hæc dicendi uarietas tum urget aduerſarios, auditores excitat, tum maxime feſtiuam orationem facit. plenus eſt Cicero, & Demoſthenes huius uariandæ orationis modi: & Cicero ipſe in primo libro in hanc rem non nulla præcepta dedit. ¶ Contra autem dicetur] proponit quædam loca illius, qui uoluntate ſe defendit, ab eo confutanda, qui ſcripto nititur. non dum enim ad eius partes tranſiuit, qui ſententia utitur contra ſcriptum. ¶ Aut cauſſa aſſumptiua inferetur] uti antea fieri docuit, exemplo eius, qui noctu contrà legem portas ciuitatis aperuit. ubi facile cognoſcere eſt, non potuiſſe commodo ciuitatis, neque oportuiſſe ſcripto obtemperari. ¶ Non oportere de eius uoluntate] locus partim à ſigno, partim ex euentu per locum communem deduci uidetur, hoc modo. Non eſt de uoluntate ſcriptoris argumentandum, cum quid ipſe ſenſerit, ex uerbis ſcripti liquido perſpici poſſit; à quibus ſi recedatur, multa euentura ſunt incommoda. ¶ Nam & eos] quare ſubſecutura ſint incommoda, ſi à ſcripto recedatur, & quæ incommoda illa ſint, planum facit. ſumpta ratio eſt ex opinione ſcriptorum, & ab incommodo, atque difficultate rerum iudicandarum. ¶ Nam multo propius] probat ſe, non aduerſarium à ſententia legis ſtare, & probat à cauſſa ad effectum: nam ſi uoluntas ſcriptoris ſine uerbis ſcripti intelligi nequit;

quit;ſequitur,ut,qui ſcripto nititur,is ad ſcriptoris uoluntatem propius accedat. ¶ Quòd ille ſua uoluntatis] rationẽ confirmat à cauſſa formali,quia ſcriptũ imaginem uoluntatis ſcriptoris eſſe dicat. ¶ Sin cauſſam afferet is] ſecunda pars eſt locorum eius, qui ſcripto ſe defendit,ubi oratori quid agendum ſit,admonet,ſi fortè is,qui à ſententia ſtat,cauſſam afferat, quam ob rem ſententia ſcripti ſpectanda ſit potius,quàm ſcriptum. & primò refellendam eſſe eius cauſſam docet ex abſurdo. ¶ Deinde hanc inducere partitionem] quæ ſtatim ſequitur,& eſt tripertita. ¶ Primum nulla in lege] prima pars partitionis eſt.nullam cauſſam ulla in lege contra ſcriptum accipiendam eſſe. ¶ Deinde ſi in ceteris] altera propoſitio. in hac lege, etſi in alijs poſſet,cauſſam accipi nõ oportere. ¶ Poſtremo ſi in hac] tertia propoſitio eſt. & ſi in hac lege accipi poſſit cauſſa,cauſſam tamẽ minime accipi oportere.has propoſitiones uarijs argumentis ſingulas confirmari poſſe planum facit. ¶ Prima pars his ferè locis confirmabitur] primæ propoſitionis loca deſcribit,primusq́; hic locus à facultate ſumitur:quo uериſimile eſſe probatur,ſcriptorem noluiſſe aliter ſuam legem intelligi, atque ex eius uerbis percipi poteſt. ¶ Nõ fuiſſe ei graue,nec difficile] à facili. ¶ Deinde oportet recitare] à ſimilitudine aliarum legum,& à conſuetudine ſcriptoris. ¶ Cauſſam accipere] contra ſcriptum ſcilicet. ¶ Quod ſi ſit inſtitutum] locus ex euentu. multa ſecutura eſſe incommoda,ſi ex ingenio, non ex uerbis legis lex ipſa intelligatur. ¶ Deinde & ipſis iudicibus] alter eſt ab euentu locus. ¶ Nam & iudices] ratione ſuperius argumentum confirmat, rurſusq́; ex euentu, quid incommodi futurum ſit, declarat. ¶ Poſtea quærere à iudicibus] à circunſtantijs cum interrogatione ad iudices. ¶ An ſe legibus obſtrictos] ab iniquo,& turpi.

¶ Deinde item quærere] per inductionem, quam antea à Græcis ἐπαγωγὴν appellari docuimus, quærendum à iudicibus admonet, nunquid paterentur reum eius rei cauſſa exceptionem adſcribere, propter quam ipſe dicat ſe feciſſe. ¶ Age porrò] alterum inductionis membrum. ¶ Secunda pars eſt] alteram propoſitionis partem aggreditur: quam totam primum amplificationibus conſtare debere, deinde partibus deliberatiui generis tractandam eſſe docet. ¶ Tertius locus eſt] tertiam propoſitionem explicandam ſumit. quæ fuit; non oportere hanc cauſſam contra ſcriptum accipi. ubi locum hunc maxime neceſſarium eſſe ait, oſtendere cauſſam; quam afferunt aduerſarij, parum æquam: rationemq́; ſuggerendam eſſe, quoniam is, qui contra ſcriptum dicit, ſi fidem facere uelit,probabilem, plenamq́; æquitatis rationem afferat,oportet. ¶ Si quid igitur] Qui ſcripto ſe defendit, quanto magis detrahere poterit æquitati, tanto probabilius accuſare uidebitur. qui uerò à ſententia ſtat, ſcripto æquitatem op

ponere debet. ¶ Nam ſuperior oratio] quid inter ſuperiorem, & hanc
poſtremam argumentationem interſit, illam quidem eleuando, hanc ue-
hementer extollendo, planum facit. ¶ Hæc autem] in qua accuſator ſcri-
ptum opponit æquitati. ¶ Id autem fiet] vt, etiam ſi neceſſe non ſit, ue-
lint iudices contra eum, qui ſententia ſe defendit, iudicare. ¶ Si quibus ex
locis culpa demonſtrabitur non eſſe in eo] ex locis uel ipſius comparationis,
ſi cauſſa erit ex comparatione, uel remotionis, ſi ex remotione, alijs'ue par
tibus aſſumptiuæ, oſtenditur reum culpa uacare. ¶ Contra ſcriptum au-
tem] iam loca eius deſcribenda aggreditur, qui ſententia ſe defendit. quo
rum primus in æquitate uerſatur. hoc enim præcipuum eſſe debet eius, qui
contra ſcriptum dicit, ſententiæ, rationisque ſuæ æquitatem oſtendere.
exempla peti poſſunt ex Oratione pro Cæcina, & pro A. Cluentio. legen-
da ſunt etiam, quæ Cicero in calce partitionum de huiuſmodi legitimis quæ-
ſtionibus perſcripſit. ¶ Aſſumptionis partibus ſe defendet] hoc eſt iuris,
æquitatisq; partibus utetur: &, vt prodeſſet, ſe feciſſe demonſtrabit: nam
omnes aſſumptiuæ conſtitutionis partes iuris, æquitatisq; generibus con ti-
nentur. ¶ Demonſtrabit nullam eſſe legem] à propoſito, & uoluntate le-
gis. ¶ Omnia ſupplicia] à cauſſa, quam ob rem inſtituta eſt lex. ¶ Scrip-
torem ipſum] confirmatio cauſſæ per coniecturam ex auctoritate ſcriptoris.
¶ Et ea re legis ſcriptorem] ratio coniecturæ eſt per locum effectorum, un-
de colligit ſcriptorem hoc factum fuiſſe probaturum. ¶ Quid ſi hoc feciſſem?]
à circunſtantijs cum interrogatione. quòd ſi uelimus in ſuperiore Ciceronis
exemplo permanere, de eo, qui contra legem noctu portas ciuitatis, ut au-
xilia reciperet, aperuit; is dicere poſſet, Quid ſi mœnia ea nocte oppugnaſ-
ſent hoſtes? & ijs auxilijs urbem ab eorum impetu, atque expugnatione li-
beraſſem? tum me ne fortaſſe accuſaſſetis, quòd præter legem auxilia intra
urbem recepiſſem? ¶ Non ergo omnia] colligit non ſemper uerbis, ſed in-
terdum etiam uoluntate ſcripti, licet nulla facta mentio ſit, utendum eſſe.
¶ Deinde nullam rem] hunc locum eleganter, & copioſe tractauit Cicero
in Oratione pro A. Cæcina ijs uerbis. Quæ lex, quod S. C. quod magi-
ſtratus edictum, quod fœdus, aut pactio, quod (vt ad priuatas res redeam)
teſtamentum, quæ iudicia, aut ſtipulationes, aut pacti, aut conuenti for-
mula non infirmari, aut conuelli poteſt, ſi ad uerba rem deflectere uelimus,
conſilium autem eorum, qui ſcripſerunt, & rationem, & auctoritatem
relinquamus? ¶ Poſtea quid ſit lex adſcribere] huic loco quadraret illa le
gis definitio ex Cic. in 2. de legibus. Lex eſt ratio, mensq; ſapientis ad iu-
bendum, & ad terrendum idonea.

¶ Deinde ex illo ambiguo] argumenta ambigui, uerbiq; definitionem
in hanc quoque partem transferri poſſe oſtendit. reliqua huius controuer-
ſiæ

ſia præcepta ita facilia ſunt, ut commentario minime indigere uideantur.

Ex contrariis autem legibus controuerſia naſcitur, cum inter ſe duæ uidentur leges, aut plures diſcrepare, hoc modo. Lex, Qui tyrannum occiderit, Olympionicarum præmium capito, & quam uolet ſibi rem à magiſtratu depoſcito, & magiſtratus ei concedito. Et altera lex, Tyranno occiſo quinque eius proximos cognatione, magiſtratus necato. Alexandrum, qui apud Phæreos in Theſſalia tyrannidem occupauerat, uxor ſua, cui Thebe nomen fuit, noctu, cum ſimul cubaret, occidit. Hæc filium ſuum, quem ex tyranno habebat, ſibi præmii loco depoſcit. Sunt, qui ex lege puerum occidi dicant oportere. Res in iudicio eſt. In hoc genere utranque in partem iidem loci, atque eadem præcepta conuenient: ideo quòd uterque ſuam legem confirmare, contrariam infirmare debebit. Primum igitur leges oportet contendere, conſiderando utra lex ad maiores, hoc eſt ad utiliores, ad honeſtiores, ac magis neceſſarias res pertineat. Ex quo conficitur, ut ſi leges duæ, aut ſi plures, aut quotquot erunt, conſeruari non poſsint, quia diſcrepent inter ſe; ea maximè conſeruanda putetur, quæ ad maximas res pertinere uideatur. Deinde utra lex poſterius lata ſit. Nam poſtrema quæque grauiſsima eſt. Deinde utra lex iubeat aliquid, utra permittat. Nam id, quod imperatur, neceſſarium: illud quod permittitur, uoluntarium eſt. Deinde in utra lege, ſi non obtemperatum ſit, pœna afficiatur, aut in utra maior pœna ſtatuatur. Nam maxime conſeruanda eſt ea, quæ diligentiſsima, & ſancta eſt. Deinde utra lex iubeat, utra uetet. Nam ſæpe ea, quæ uetat, quaſi exceptione quadam corrigere uidetur illam, quæ iubet. Deinde utra lex de genere omni, utra de parte quadam, utra communiter in plures, utra in aliquam certam rem ſcripta uideatur. Nam quæ in partem aliquam, & quæ in certam quandam rem ſcripta eſt, promptius ad cauſſam accedere uidetur, & ad iudicium magis pertinere. Deinde ex lege utrum ſtatim fieri neceſſe ſit, utrum habeat aliquam moram & ſuſtentationem. Nam id, quod ſtatim faciendum ſit, perfici prius oportet. Deinde operam dare, ut ſua lex ipſo ſcripto uideatur niti. Contraria autem aut per ambiguum, aut per ratiocinationem, aut per definitionem induci, quo ſanctius, & firmius id uideatur eſſe, quod apertius ſcriptum ſit. Deinde ſuæ legis ad ſcriptum ipſam ſententiam quoque adiungere, contrariam legem item ad aliam ſententiam traducere,

ut

ut,ſi fieri poterit, ne diſcrepare quidem uideantur inter ſe. Poſtremo facere, ſi cauſſa dabit facultatem, ut noſtra ratione utraque lex conſeruari uideatur, & aduerſariorum ratione altera ſit neceſſario negligenda. Locos autem communes, & quos ipſa cauſſa det, uidere oportebit, & ex utilitatis, & honeſtatis amplisſimis partibus ſumere, demonſtrantem per amplificationem ad utram potius legem accedere oporteat.

¶ Ex *contrariјs autem legibus] ſequitur controuerſia contrariarum legum: quam Græci ἀντινομίαν uocant. ſanè illud, auctore Fabio, inter omnes artium ſcriptores conſtat, in ἀντινομίᾳ duos eſſe ſcripti, & uoluntatis ſtatus. Nam cum lex legi obſtet, utrunque contra ſcriptum dicitur, & quæſtio eſt de uoluntate. in utraque id ambigitur, an illa lege ſit utendum. illud autem perſpicuum eſt, quod & antea admonuimus, nullam eſſe legem legi iure ipſo contrariam. Nam ſi diuerſum iuberet, alteram altera abrogaret: uerum tamen caſu, & euentu colliduntur, ut in hoc Ciceronis exemplo perſpici poteſt. Nam iſtæ duæ leges, quarum altera tyrannicidæ fauet, altera aduerſatur, utique contrariæ ſunt, quia occaſione, et euentu contingit, ut collidantur: uerùm ſi ſeparatim conſiderentur, & quid utraque uelit, ſeiunctim percipiatur; profectò alteram altera non oppugnabit. Sed legenda ſunt quoque, quæ in primo commentario de hac re ſcripſimus. primum igitur, quo pacto ex contrariјs legibus controuerſia fiat, appoſitiſſimis exemplis declarat, deinde loca, unde controuerſia in iudicio tractari poſſit, abunde proponit. ¶ Olympionicarum præmium capito] Olympionices dicebantur, qui in Olympicis certaminibus uictoriam adipiſcebantur: qui corona ex oleaſtro (erat enim illud certamen honoris, non diuitiarum] donari ſolebant: quam deinde ipſi patriæ ſuæ donabant, cum domum redeuntes diruptis de induſtria mœnibus ab ea, tanquam uiri fortiſſimi, exciperentur. huius rei cum Græci, tum Latini ſcriptores meminerunt. extat luculentum illud Archiæ poetæ tetraſtichon de quatuor certaminibus Græciæ.*

» τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν' ἑλλάδα τέσσαρες ἱροί.

& reliqua. notiſſimum eſt doctis epigramma illud. attamen non arbitror hic de corona eſſe intelligendum, ſed de ſtatua, quæ erigenda eſſet ei, qui tyrannum occidiſſet. quem admodum Athenis initio Harmodio, & Ariſtogitoni factum fuiſſe ſcriptores memoriæ prodiderunt. Nam Olympionices non corona tantum, uti diximus, ex oleaſtro, uerum etiam ſtatua ornari ſolebant. quod Plinius in naturali hiſtoria iјs uerbis indicare uidetur libro 34. cap. 4. effigies hominum non ſolebant exprimi, niſi aliqua illuſtri cauſſa perpetuitatem merentium, primò ſacrorum certaminum uictoria,

ctoria, maximeq́ Olympia: ubi omnium, qui uiciſſent, ſtatuas dicari mos erat: eorum uerò, qui ter ibi ſuperauiſſent, ex membris ipſorum ſimilitudine expreſſa, quas uonas uocant. hoc igitur præmium eſt Olympionicarum. ¶ *Alexandrum*] *qui, quòd Phæreis Theſſaliæ populis imperaret, Phæreus dictus eſt. Cicero in 2. de Off. eius penè uitam paucis deſcribit, cum ait. Quid Alexandrum Phæreum, quo animo uixiſſe arbitramur? qui cum uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum ueniens, barbarum, & eum quidem compunctum notis Threiciis diſtricto gladio iubebat anteire, præmittebatq́ de ſtipatoribus ſuis: qui ſcrutarentur arculas muliebres, & ne quod inueſtimentis telum occultaretur, exquirerent. O miſerum, qui fideliorem & barbarum, & ſtigmaticum putaret, quàm coniugem. nec eum fefellit opinio: ab ea enim eſt ipſe propter pellicatus ſuſpicionem interfectus. meminit rurſum Cic. 1. de Diuinatione. Ouidius in Ibin. Valerius lib. 9. cap. 14. Primum igitur leges oportet contendere*] *locos proponit, quibus legum contrariarum cauſſa tractari poſſint. porro huic cauſſæ loci ex collatione, à confutatione, ex abſurdo, à rationis inuentione, ab exemplis, à definitione, & ſi qui ſunt ſimiles, conuenire ſolent. ſed uariant oratores pro cauſſarum uarietate. primus igitur hic locus eſt ex collatione utilitatis, atque honeſtatis.* ¶ *Deinde utra lex*] *à tempore latæ legis: id enim in legibus, quod in teſtamentis obſeruari ſolet, ut quod ordine temporis poſterius fuerit, id etiam grauiſſimum, atque firmiſſimum exiſtat.* ¶ *Deinde utra lex iubeat aliquid*] *ex collatione uoluntatis legum. hæc lex iubet. mulier in adulterio deprehenſa occidatur. hæc uerò permittit, furem nocturnum liceat occidi.* ¶ *Deinde utra lex de genere omni*] *ex complexione legis. uidendum eſt, inquit, utrum lex ita ſit generalis, ut omnia uel rerum, uel actionum genera, an partem quandam rerum, & negotiorum complectatur.*

¶ *Utra communiter in plures*] *hæc lex communis quidem eſt. Sed illa communior, quæ de genere eſt. communis lex in omnes hæc eſt. Non liceat alienam uxorem uiolare. ita enim communis eſt, ut nullius uxorem excludat. hæc autem communis eſt in plures. non liceat hominem occidere. ab hac delinquentes, & noxij excluduntur. illa uerò in rem quandam certã, & definitam ſcripta eſſe dicitur, quæ rem certam, ac definitam deſignat. ut prætorem, aut uirum fortem ne liceat occidere. matronam, nobilemq́ mulierem ne liceat uiolare.*

¶ *Utrum ſtatim fieri neceſſe ſit*] *ut patriæ proditor illico occidatur.* ¶ *Utrum habeat aliquam moram*] *ut legatus intra trigeſimum diem proficiſcatur.*

Ex ratiocinatione naſcitur controuerſia, cum ex eo quod

uſpiam

uſpiam eſt, ad id, quod nuſquam ſcriptum eſt, peruenitur, hoc pacto. Lex, Si furioſus eſt, agnatorum, gentiliumque in eo pecuniaque eius poteſtas eſto. Et lex, Paterfamilias uti ſuper familia, pecuniaque ſua legauerit, ita ius eſto. Et lex, Si paterfamilias inteſtato moritur, familia, pecuniaque eius agnatorum, gentiliumque eſto. Quidam iudicatus eſt parentem occidiſſe, & ſtatim, quòd effugiendi poteſtas non fuit, ligneæ ſoleæ in pedes inductæ ſunt: os autem obuolutum eſt folliculo, & præligatum: deinde eſt in carcerem deductus, ut ibi eſſet tantiſper, dum culeus, in quem coniectus in profluentem deferretur, compararetur. Interea quidam eius familiares in carcerem tabulas afferũt, & teſtes adducunt. Hæredes, quos ipſe iubet, ſcribunt, tabulæ obſignantur. De illo poſt ſupplicium ſumitur. Inter eos, qui hæredes in tabulis ſcripti ſunt, & inter agnatos de hæreditate cõtrouerſia eſt. Hic certa lex, quæ teſtamenti faciendi iis, qui in eo loco ſint, adimat poteſtatem, nulla profertur. Ex ceteris legibus, & quæ hunc ipſum ſupplicio huiuſmodi afficiunt, & quæ ad teſtamenti faciendi poteſtatem pertinent, per ratiocinationem ueniendum eſt ad eiuſmodi rationem, ut quæratur, habuerit'ne teſtamenti faciendi poteſtatem. Locos autem in hoc genere argumentandi hos, & huiuſmodi quoſdam eſſe arbitramur. Primum eius ſcripti, quod proferas, laudationem, & confirmationem. Deinde eius rei, qua de quæratur, cum eo, de quo cõſtat collationem eiuſmodi, ut id, de quo quæritur, rei, de qua conſtet, ſimile eſſe uideatur. Poſtea admirationem percontatione, qui fieri poſsit, ut qui hoc æquum eſſe concedat, illud neget, quod aut æquius, aut eodem ſit in genere. Deinde idcirco de hac re nihil eſſe ſcriptum, quòd, cum de illa eſſet ſcriptum, de hac is, qui ſcribebat, neminem dubitaturum arbitratus ſit. Poſtea multis in legibus multa eſſe præterita, quæ idcirco præterita nemo arbitretur, quòd ex ceteris, de quibus ſcriptum ſit, intelligi poſsint. Deinde æquitas rei demonſtranda eſt, ut in iuridiciali abſoluta. Contra autem qui dicet, ſimilitudinem infirmare debebit: quod faciet, ſi demonſtrabit illud, quod conferatur, ab eo, cui conferatur, diuerſum eſſe genere, natura, ui, magnitudine, tempore, loco, perſona, opinione: ſi quo in numero illud, quod per ſimilitudinem afferetur, & quo in loco illud, cuius cauſſa afferetur, haberi conueniat, oſtendetur. Deinde quid res cum re differat, demonſtrabitur, ut non idem uideatur

deatur de utraque exiſtimari oportere. Ac ſi ipſe quoque poterit ratiocinationibus uti, iiſdem ratiocinationibus, quibus ante prædictum eſt, utetur: ſi non poterit; negabit oportere quicquam, niſi quod ſcriptum ſit, conſiderare: periclitari omnia iura, ſi ſimilitudines accipiantur: nihil eſſe penè, quòd non alteri ſimile eſſe uideatur: multis diſsimilibus rebus, in unamquanq; rem tantum ſingulas eſſe leges: omnia poſſe inter ſe uel ſimilia, uel diſsimilia demonſtrari. Loci communes a ratiocinatione, oportere coniectura ex eo, quod ſcriptum ſit, ad id, quod non ſit ſcriptum, peruenire: & neminem poſſe omnes res per ſcripturam amplecti, ſed eum commodiſsime ſcribere, qui curet, ut quædam ex quibuſdam intelligantur. Contra ratiocinandum, huiuſmodi coniecturam diuinationem eſſe, & ſtulti ſcriptoris eſſe non poſse omnibus de rebus cauere quibus uelit.

¶ *Ex ratiocinatione naſcitur controuerſia] ſequitur controuerſia ſcripti ex ratiocinatione: quam alij collectionem, quidam ſtatum collectiuum, nonnulli ratiocinatiuum, Fabius ſyllogiſmum more græco ſæpius appellat. hæc fieri ſolet, cum res abſque lege in iudicium uenit; ſed ex alijs legibus ſimilitudinem aucupatur. Exemplum proponit orator P. Malleoli: qui matrem occidiſſe dicitur: cumque in carcerem detruſus, ac ultimo ſupplicio afficiendus eſſet, allatis in carcerem tabulis teſtamentum fecit. quos ipſe uoluit hæredes inſtituit. eo necato, hæreditatem adeunt agnati, teſtamento contra dicunt. quæritur utrum facere teſtamentum potuerit Malleolus, nec'ne. nulla lex extat, quæ matricidæ faciendi teſtamenti poteſtatem adimat. ſed ex ratiocinatione, aliarumq; legum ſimilitudine ad huiuſmodi iudicationem ueniendum eſt, an ei fuerit, aut non fuerit teſtandi facultas. Martianus, ut in primo commentario diximus, & Fortunatianus, alijque poſteriores hanc controuerſiam quinque modis fieri dicunt, à ſimili, à conſequentibus, à contrario, à maiori ad minus, à minori ad maius. hic autem, & ex alijs locis colligi argumenta uidentur. ¶ Quidam iudicatus eſt parentem necaſſe] aut de incerto matricida loquitur, aut Malleolum intelligit. cuius nomen auctor ad Herennium expreſſit in primo rhet. L. quoque Florus ex Liuio libro 68. ſcriptum reliquit P. Malleolum matre interempta primum omnium culleo inſutum in mare præcipitatum fuiſſe. ¶ Solea lignea pedibus inducta ſunt] ne pedibus terram contingeret, quaſi indignus. ¶ Os autem obuolutum eſt folliculo] lupino: unde perſpici poteſt quanta fuerit legis, aut moris non dicam ſeueritas, ſed conſilium, quæ non bouis, aut equi corium ad parricidarum ſupplicium permitteret. ſed lupi propter ſimilitudinem beſtiarũ omnium immaniſſimi, atque truculentiſſimi.*

tiſſimi. ¶ *Dum culeus, in quem coniectus*] *Cicero in oratione pro Sex. Roſcio Am. cauſſam aſſignat, quare parricidæ culeo inſuti in proximum profluentem deijcerentur.* ¶ *Locos autem in hoc genere*] *locos ratiocinationis aggreditur, atque illos quidem præcipuos, quibus cauſſa tractari poſſit.* ¶ *Primum eius ſcripti*] *iam ſæpius admonuimus, id ab oratoribus fieri debere, ut cum commendatione uel ſcripta, uel hominum exempla inducantur.*

¶ *Deinde eius rei*] *ex collatione ad ſimilitudinem rerum oſtendendã.* ¶ *Poſtea admirationem*] *ex abſurdo cum admiratione, & percunctatione.* ¶ *Deinde iccirco*] *à cauſſa.* ¶ *Poſtea multis in legibus*] *ab exemplo aliarum legum.* ¶ *Deinde equitas*] *ab æquitate, iuriſq; partibus: quæ ex iuridiciali petenda eſt.* ¶ *Contra autem qui dicet*] *aduerſarij locos proponit. in quibus hoc commune præceptum datur, infirmandam eſſe ſcripti, & facti ſimilitudinem, oſtendendumq; omnia eſſe uarijs modis diſſimilia. loco, tempore, natura, ui, & alijs, quæ ſunt in contextu.* ¶ *Deinde quid res cũ re differat*] *à differentia, & ſimilitudine rerum.* ¶ *Loci communes*] *ex coniecturis potiſſimum locos huius cauſſæ communes tractandos eſſe docet.* ¶ *Et neminem poſſe*] *ab impoſſibili.*

¶ *Contra ratiocinationem*] *aduerſarius coniecturam infirmabit: quã nihil firmi, aut certi habere, ſed in diuinatione potiſſimum uerſari dicet. & recte coniecturam eſſe diuinationem ait: nam à coniectu, Fabio auctore, dicta eſt. unde coniectores ſomniorum interpretes uocantur.*

DEFINITIO eſt cum in ſcripto uerbum aliquod eſt poſitũ, cuius de ui quæritur, hoc modo. Lex, Qui in aduerſa tempeſtate nauim reliquerint, omnia amittunto: eorum nauis, & onera ſunto, qui in naui remanſerint. Duo quidam, cum iam in alto nauigarent, & eorum alterius nauis, alterius onus eſset, naufragum quendam natantem, & manus ad ſe tendentem animaduerterunt: miſericordia commoti, nauim ad eum applicauerunt, hominem ad ſe ſuſtulerunt. Poſtea aliquanto, ipſos quoque tempeſtas uehementius iactare cœpit, uſque adeo ut dominus nauis, cum idem gubernator eſset, in ſcapham confugeret, & inde funiculo, qui à puppi religatus ſcapham annexam trahebat, naui, quoad poſſet, moderaretur: ille autem cuius merces erant, in gladium in naui ibidem incumberet. Hic ille naufragus ad gubernaculum acceſsit, & naui, quoad potuit, eſt opitulatus. Sedatis autem fluctibus, & tempeſtate iam commutata, nauis in portum prouehitur. Ille autem, qui in gladium incubuerat, leuiter ſaucius facile eſt ex uulnere recreatus. Nauim

uim cum onere horum trium ſuam quiſque eſſe dicit. Hic omnes ſcripto ad cauſſam accedunt, & ex nominis ui naſcitur controuerſia. Nam & relinquere nauem, & remanere in naui, denique nauis ipſa quid ſit, definitionibus quæritur: iiſdem autem ex locis omnibus, quibus definitiua conſtitutio tractabitur. Nunc expoſitis iis argumentationibus, quæ in iudiciale cauſſarum genus accommodantur, deinceps in deliberatiuum genus, & demonſtratiuum argumentandi locos, & præcepta dabimus: non quo non in aliqua conſtitutione omnis ſemper cauſſa uerſetur, ſed quia proprii tantum harum cauſſarum quidam loci ſunt non à conſtitutione ſeparati, ſed ad fines horum generum accommodati. Nam placet in iudiciali genere finem eſſe æquitatem, hoc eſt, partem quandam honeſtatis. In deliberatiuo autem Ariſtoteli placet utilitatem, nobis & honeſtatem, & utilitatem, in demonſtratiuo autem, honeſtatem. Quare in hoc quoque genere cauſſæ quædam argumentationes communiter, ac ſimiles tractabuntur: quædam ſeparatius ad finem, quò referri omnem rationem oportet, adiungentur. Atque uniuſcuiuſque conſtitutionis exemplum ſupponere non grauaremur, niſi illud uideremus, quemadmodum res obſcuræ, dicendo fierent apertiores, ſic res apertas obſcuriores fieri oratione. Nunc ad deliberationis præcepta pergamus.

¶DEFINITIO *eſt, cum in ſcripto uerbum aliquod eſt poſitum*] *poſtrema eſt legitima diſceptatio, quam definitionem appellat. Quintiliano finitio nominatur. Græci ὁριστικὴν στάσιν uocant. Digladiantur inter ſe rhetores cum ueteres, tum poſteriores, utrum definitio inter legitimas controuerſias haberi poſſit. Cicero, & auctor ad Herennium Ciceronem ſecutus legitimam eſſe uult. non illam quidem rationalem, communemq́; definitionem, ſed qua uerbum aliquod (ut Victorinus ait) in lege poſitum definit. Fabius uerò Quintilianus libro tertio ex multorum opinionibus finitionem, tranſlationem, etiam ratiocinationem de legitimis ſtatibus, ſeu controuerſiis excluſam fuiſſe memorat. at ipſe tamen inde illam minime excludere uidetur. cum iis uerbis ſubdit. hos ex illis tribus, quos rationales uocant, coniectura, finitione, qualitate naſci: & quæſtionem ſcripti, ac uoluntatis qualitate, aut coniectura contineri: & ſyllogiſmum eſſe maxime qualitatis, & legis contrariæ: & ambiguum ſemper coniectura explicari: finitionem uero utriq; generi, quodq́; rerum, quodq́; ſcripti cõtemplatione conſtat, communem eſſe. Trapezuntius fortiſs. argumentis contendit finitionem rationalem eſſe, non legitimam quæſtionem. Cicero quoque ipſe in partit.*

& in Topicis definitionem excludit, cum trium tantùm ſcripti controuerſiarum mentionem faciat. ambigui, diſcrepantiæ ſcripti, & uoluntatis, contrariarum legum. argumenta mihi quoque non deeſſent, quibus probare, & refellere poſſem, definitionem in legitimis quæſtionibus contineri. ſed dum iſta conſidero, mihi in mentem uenit, me non præcepta rhetorices tradere, ſed commentarium ſcribere, neque diſceptatoris, ſed interpretis officio fungi. ſequamur igitur hoc in loco Ciceronis, qualiscunque ſit, opinionem. qui plura ſcire uelit, adeat Zaſium in 2. rhet. ad Heren. & TrapeZuntium in 2. libro rhet. ¶ Qui in aduerſa tempeſtate nauim reliquerint omnia amittunto] idem ferè exemplum auctor ad Herenn. ſub ſcripto, & ſententia collocauit: ſed doctiſs. hominum iudicio malè. Nam perſpicuum eſt ægrotum nauim minime conſeruaſſe, neque domino dandam eſſe, ſed iure ad fiſcum deuolui. huic igitur loco melius, aptiusq́; quadrare uidetur. ¶ Nũc expoſitis ijs argumentationibus] μετάβασις eſt, qua ſibi uiam ſternit ad præcepta deliberatiui generis. ¶ Non quo non in aliqua] hic apertè ſignificare uidetur, ne in demonſtratiuo quidem genere conſtitutioni locum deeſſe, cum dicat, omnem cauſſam in aliqua ſemper conſtitutione uerſari. quod tamen (ut antea oſtendimus) non omnes probant eruditi. & profectò, ſi ſtatus eſt, uel conſtitutio, circa quam duo delitigant, vt ſentit Hermogenes; uel prima repulſio aduerſantis, uti TrapeZuntio accutiſs. ingenij uiro uidetur; nulla unquam ad genus demonſtratiuum conſtitutio pertinebit. Martianus, qui de rhet. facultate breuiter quidem, ſed non inſulſè perſcripſit, non facile dictu eſſe putat, quemadmodum in demonſtratiuo genere ſtatus emergat: propterea quia non ſtatim laudem uituperatio ſequitur, ut quiſquis laubabilis nõ eſt, uituperatione dignus habeatur. optima profectò ratio, qua luce meridiana clarius oſtenditur, demonſtratiuum genus ſtatum non habere. at ſi laudator, uituperatorq́; conſtituatur, & uituperatori accuſatoris intentionem, laudatori uerò defenſoris partes adiungantur, demonſtratiui generis, vt ille ait, ſtatus utique apparebit. ¶ Nam placet in iudiciali genere] locus eſt ex Ariſt. ſumptus libro de arte rhet. primo. niſi quòd præter Ariſtotelis ſententiam deliberatiuo generi honeſtatem adiungit. at in part. orat. utilitatis tantum, ſicuti Ariſtoteles, mentionem facit. ¶ Quare in hoc quoque genere cauſſæ] ex ijſdemmet locis in omnes communiter cauſſas argumenta ſumuntur. at in unaquaque cauſſa propter finem ſeparatim argumenta tractantur. Nam cum omnia referantur ad finem, nec ulla cauſſa ſit abſque fine; cuiuſque cauſſæ argumenta ſunt tractanda, quæ ad ipſius finem pertinere uideantur. exempli gratia in iudiciali controuerſia ijs utendum eſt argumentis, quæ æquitatem; in conſultatione, quæ utilitatem; in exornatione, ſeu demonſtratione

ſtratione, quæ honeſtatem reſpiciant.

De genere deliberatiuo.

RERVM expetendarum tria genera ſunt. Par autem numerus uitandarum ex contraria parte. Nam eſt quiddam, quod ſua ui nos alliciat ad ſeſe, non emolumento captans aliquo, ſed trahens ſua dignitate: quod genus, uirtus, ſcientia, ueritas eſt. Aliud autem non propter ſuam uim, & naturam, ſed propter fructum, atque utilitatem petendum: quod pecunia eſt. Eſt porrò quiddam ex horum partibus iunctum, quod & ſua ui, & dignitate nos inductos ducit, & præ ſe gerit quandam utilitatem, quò magis expetatur, ut amicitia, bona exiſtimatio. Atque ex his horum contraria facile tacentibus nobis intelligentur. Sed ut expeditius ratio tradatur, ea, quæ poſuimus, breui nominabuntur. Nam in primo genere quæ ſunt, honeſta appellabuntur. Quæ autem in ſecundo, utilia. Hæc autem tertia, quia partem honeſtatis, & uirtutis continent, & quia maior eſt uis honeſtatis, iunctæ res omnino ex duplici genere intelligentur: ſed in meliorem partem uocabuli conferantur, & honeſta nominentur. Ex his illud conficitur, ut appetendarum rerum partes ſint, honeſtas, & utilitas, uitandarum turpitudo, & inutilitas. His igitur duabus rebus res duæ grandes ſunt attributæ, neceſsitudo, & affectio: quarum altera ex ui, altera ex re, & perſonis conſideratur. De utraque poſt apertius perſcribemus. Nunc honeſtatis rationes primum explicemus. Quod autem totum, aut aliqua ex parte propter ſe petitur, honeſtum nominabimus. Quare cum eius duæ partes ſint, quarum altera ſimplex, altera iuncta ſit; ſimplicem prius conſideremus. Eſt igitur in eo genere omnes res una ui, atque uno nomine amplexa Virtus. Nam Virtus eſt animi habitus naturæ modo rationi conſentaneus. Quamobrem omnibus eius partibus cognitis, tota uis erit ſimplicis honeſtatis conſiderata. Habet igitur partes quatuor: prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam. Prudentia eſt rerum bonarum, & malarum, & utrarũque ſcientia. Partes eius, memoria, intelligentia, prouidentia. Memoria eſt, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt. Intelligentia eſt, per quam ea perſpicit, quæ ſunt. Prouidentia eſt, per quam futurum aliquid uidetur, ante quàm factum ſit. Iuſtitia eſt habitus animi

mi communi utilitate conſeruata, ſuam cuique tribuens dignitatem. Eius initium eſt ab natura profectum: deinde quædam in conſuetudinem ex utilitatis ratione uenerunt: poſtea res & ab natura profectas, & ab conſuetudine probatas, legum metus, & religio ſanxit. Natura ius eſt, quod non opinio genuit, ſed quædam innata uis inſeruit, ut religionem, pietatem, gratiam, uindicationem, obſeruantiam, ueritatem. Religio eſt, quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ (quam diuinam uocant) curam, cæremoniamque affert. Pietas, per quam ſanguine coniunctis, patriæque beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus. Gratia, in qua amicitiarum, & officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi uoluntas continetur. Vindicatio eſt, per quam uis, & iniuria, & omnino omne, quod obfuturum eſt, defendendo, aut ulciſcendo propulſatur. Obſeruantia eſt, per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam, & honore dignantur. Veritas eſt, per quam immutata ea, quæ ſunt, aut ante fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur. Conſuetudine ius eſt, quod aut leuiter à natura tractum aluit, & maius fecit uſus, ut religionem: aut ſi quid eorum, quæ ante diximus, ab natura profectum, maius factum propter conſuetudinem uidemus, aut quod in morem uetuſtas uulgi approbatione perduxit, quod genus, pactum, par, iudicatum. Pactum eſt, quod inter aliquos conuenit. Par, quod in omnes æquabile eſt. Iudicatum, de quo alicuius, aut aliquorum iam ſententiis conſtitutum eſt. Lege ius eſt, quod in eo ſcripto, quod populo expoſitum eſt, ut obſeruet, continetur. Fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſsio. Eius partes, magnificentia, fidentia, patientia, perſeuerantia. Magnificentia eſt rerum magnarum, & excelſarum cum animi ampla quadam, & ſplendida propoſitione agitatio, atque adminiſtratio. Fidentia eſt, per quam magnis, & honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiduciæ certa cum ſpe collocauit. Patientia eſt honeſtatis, aut utilitatis cauſſa rerum arduarum, ac difficilium uoluntaria, ac diuturna perpeſsio. Perſeuerantia eſt in ratione bene conſiderata ſtabilis, & perpetua permanſio. Temperantia eſt rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio. Eius partes ſunt, continentia, clementia, modeſtia. Continentia eſt, per quam cupiditas conſilii gubernatione regitur. Clementia, per quam animi temere in odium

alicuius

alicuius inuectionis concitati, comitate retinentur. Modeſtia, per quam pudor honeſtus, claram, & ſtabilem comparat auctoritatem. Atque hæc omnia propter ſe ſolum, ut nihil adiungatur emolumenti, petenda ſunt. Quod ut demonſtretur, neque ad hoc noſtrum inſtitutum pertinet, & à breuitate præcipiendi remotum eſt. Propter ſe autem uitanda ſunt, non ea modo, quæ his contraria ſunt, ut fortitudini ignauia, & iuſtitiæ iniuſtitia, uerumetiam illa, quæ propinqua uidentur & finitima eſſe, abſunt autem longiſsime, quod genus, fidentiæ contrarium eſt de fidentia, & ea re uitium eſt. Audacia non contrarium, ſed appoſitum eſt, ac propinquum, & tamen uitium eſt. Sic unicuique uirtuti finitimum uitium reperietur, aut certo iam nomine appellatum: ut audacia, quæ fidentiæ, pertinacia, quæ perſeuerantiæ finitima eſt: ſuperſtitio, quæ religioni propinqua eſt, aut ſine ullo certo nomine. Quæ omnia item uti contraria rerum bonarum in rebus uitandis reponemus.

RERUM *expetendarum tria ſunt genera*] *Hactenus de genere iudiciali, eiusq́; partibus dictum eſt. iam uerò ſequitur, ut de reliquis duobus deliberatiuo, & demonſtratiuo dicendum ſit. in quorum præceptionibus tradendis alios alia uia, rationeq́; præcipiendi uſos fuiſſe uideo. aliter enim Ariſt. aliter auctor ad Herenn. præcepta tradit, aliter Cicero, alio modo Fabius. quin etiam Cicero ipſe in omnibus rhetoricorum libris non eodem ſemper ordine utitur, nec idem ferè ubique ſentit. eadem quoque eſt rhetorum poſteriorum ratio. ſed quis ordo, quæ'ue locorum diſpoſitio ſit huius generis in hoc libro, antequam longius progrediar, breui oratione mihi deſcribenda eſſe uidetur. Deliberatiui generis finem iam antea duplicem nobis orator propoſuit: honeſtatem, utilitatem. ergo appetendarum rerum partes ſunt utilitas, & honeſtas: uitandarum uerò, quæ iis contraria ſunt, turpitudo, inutilitas. iis res duas coniungit, neceſſitudinem, & affectionem. de quibus, explicatis utriuſque honeſtatis partibus, agit. Honeſtas igitur, ſiue honeſtum duplex eſt, altera ſimplex, altera coniuncta. Simplex multis partibus conſtat: quæ nomine uirtutis omnes comprehenduntur. prudentia, iuſtitia, fortitudo, temperantia. Prudentiæ partes ſunt, memoria, intelligentia, prouidentia. Iuſtitia triplici ratione conſideratur: natura, conſuetudine, lege. Ex natura religio, pietas, gratitudo, quam gratiam uocat, uindicatio, obſeruantia, ueritasq́; proficiſcitur. Conſuetudo pactum, par, iudicatum habet. Lex ea continet, quæ populo iam expoſita fuerunt, ut obſeruaret. id eſt totum ius ſcriptum. Fortitudo in partes quatuor diſtributa eſt: magnificentiam, fidentiam, patientiam, perſeuerantiam. Temperantia*

perantia tribus partibus conſtat: cõtinentia, clemẽtia, modeſtia. hæc ſunt, quæ ſub ſimplici honeſto continentur. quæ ut ex ſe, & propter ſe expetuntur. Quæ uerò ex iis non ſolum contraria ſunt, uerum etiam quæ, cum uitioſa ſint, uirtutis tamen aliquam ſpeciem habent, ac uirtutem ipſam mentiuntur, ut audacia, ut pertinacia, ſuperſtitio, atque alia huiuſmodi multa. Alteram uerò honeſtatis partem, quam iccirco coniunctam appellat, quia cum utilitate cuniungitur, in quatuor partes diſtribuit, gloriam, dignitatem, amplitudinem, amicitiam; quibus rebus duo fiunt quaſi utilitatis capita, incolumitas ciuium, & potentia. ad incolumitatem ea referuntur, quæ aut in corpore ciuitatis poſita ſunt, aut in extrariis rebus: ut agri, portus, pecunia, claſſes, nautæ, milites, ſocii, idq; genus alia. Potentiæ uerò ſubiiciuntur ea, quæ & potentem, & incolumem ciuitatem reddere poſſunt. ut exornatio, amplitudoq; ipſius ciuitatis, pecuniæ magnitudo, amicitiarum, ſocietatumq; multitudo. ex iis facilia, difficiliaq; factu conſiderantur. atq; hæc ad honeſtatem, utilitatemq; pertinere uidentur. Sequitur neceſſitas, & affectio; quæ cum honeſtate, & utilitate coniunguntur. neceſſitas alia ſimplex, & abſoluta, quæ neque mutari, neque leniri poteſt, ut neceſſe eſt Caſſilinum in Annibalis poteſtatem uenire: alia adiuncta, quæ exceptionem habet. vt neceſſe eſt Caſſilienſes ſeſe dedere Annibali, niſi malint fame perire. Quæ quidem exceptio tribus modis conſideratur, honeſtate, incolumitate, commoditate. Affectio autem eſt, ſub qua res illæ collocantur, quæ non ex ſua natura, ſed ex temporum uiciſſitudine, & ex conſilio conſiderantur. Contingit enim aliquando, vt facta, conſiliaq; mutentur pro rerum, temporumq; uarietate: vt non talia, qualia ante habita ſunt, habenda uideantur. Hæc ſunt ferè deliberatiui generis loca: ex quibus Cicero argumenta adſuadendum, diſſuadendumq; promi poſſe exiſtimat: quæ vt facilius, planiusq; intelligi, ac in promptu haberi, memoriæq; commendari poſſint, ſequentem figuram adſcribendam putaui: quæ omnia ſuo ordine loca demonſtrabit.

Honeſtas.

- *Prudentia.*
  - *Memoria,*
  - *Intelligentia,*
  - *Prouidentia.*
- *Iuſtitia.*
  - *Natura.*
    - *Religio,*
    - *Pietas,*
    - *Gratia,*
    - *Vindicatio,*
    - *Obſeruantia,*
    - *Veritas.*
  - *Conſuetudine.*
    - *Factum,*
    - *Par,*
    - *Iudicatum.*
  - *Lege. totum ius ſcriptum.*
- *Fortitudo.*
  - *Fidentia,*
  - *Patientia,*
  - *Perſeuerantia.*
- *Temperantia.*
  - *Continentia,*
  - *Modeſtia,*
  - *Clementia.*
- *Quæ uirtutes mentiuntur.*
  - *Audacia,*
  - *Pertinacia,*
  - *Superſtitio.*

Vtilitas honeſta.

- *Gloria,*
- *Dignitas,*
- *Amplitudo,*
- *Amicitia.*
- *Incolumitas.*
  - *Agri,*
  - *Portus,*
  - *Pecunia,*
  - *Claſſes,*
  - *Nauta,*
  - *Milites,*
  - *Socij.*
- *Potentia.*
  - *Exornatio,*
  - *Amplitudo,*
  - *Pecunia magnitudo,*
  - *Amicitia,*
  - *Societates.*
- *Neceſſitudo*
  - *Simplex,*
  - *Adiuncta.*
    - *Honeſtas,*
    - *Incolumitas,*
    - *Commoditas.*
- *Affectio*
  - *Ex re, & perſonis conſideratur, eaq́; recipit, quæ conſilio, & tempore commutantur.*

¶ *Nam uirtus eſt animi habitus naturæ modo rationi conſentaneus*] *hæc uirtutis definitio ab Ariſtotelis, Platonisq́; definitione non diſſentit: quamuis ipſi aliquanto longiores exiſtant. Cicero hac breui definitione tantum uirtutis officium attigiſſe uidetur. Ariſtoteles uerò & officij modum obiecto complexus eſt. Sic enim uirtutem definit in 2. Eth.* ἐστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαι-

 ρετικὴ

ρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς ὡρισμένῃ λόγῳ, καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε. ¶ Modo rationi conſentaneus] *id eſt, qui inclinat ad agendum. ¶ Habet igitur partes quatuor, prudentiam*] *ex honeſto uirtutes proficiſci ipſe quoque Cicero in officijs teſtatum reliquit: quarum ſunt hæc quaſi capita, & fontes, unde reliquæ manant: prudentia, iuſtitia, fortitudo, modeſtia, Utrum uerò prudentia inter uirtutes morales locum habeat, ſunt qui ambigunt, ſunt qui negent. & profectò morales uirtutes ſunt habitus uoluntatis: illarumq; finis eſt agere. prudentia uerò (ut inquit Ariſt. in eth.) habitus eſt intellectus; eiusq; finis eſt intelligere ad agendum. ſed non procul abeſt Ciceronis ſententia à ſententia Ariſtotelis: indeq; uidetur orta diſſenſio: Quia quem ad modum morales uirtutes non ſunt abſque intelligentia; ita prudentia non eſt abſque actione, aut certe parit actionem. Non tamen morales uirtutes, quatenus intelligunt, ſunt uirtutes, ſed quatenus agunt. nec prudentia quatenus agit actiones, prudentia eſt, ſed quatenus iudicat, & intelligit. atqui Cicero in partitionibus orat. uirtutes ita diſtinguit, ut quaſdam ſcientia, quaſdam uerò actionibus cerni memoret. Sic enim ait. Eſt igitur uis uirtutis duplex. aut enim ſcientia cernitur uirtus, aut actione. Nam quæ prudentia, quæ calliditas, quæque grauiſſimo nomine ſapientia appellatur, hæc ſcientia pollet una; quæ uerò moderandis cupiditatibus, regendisq; animi motibus laudatur, eius eſt munus in agendo: cui temperantiæ nomen eſt. quam ob rem dicendum eſt, prudentiam, ſiue ſcientia, ſiue actione conſideretur, (nam parit actionem) uirtutem eſſe. ex qua multa, quæ cum ad ſuaſionem, diſſuaſionemque, tum etiam ad laudationem, uituperationemq; faciunt, colliguntur. ¶ Eius partes magnificentia*] *aliter in partit. fortitudinem partitur. ibi enim duo capita facit, fortitudinem, patientiam, quas magnitudini animi, quam Græci μεγαλοψυχίαν uocant, ſubiecit. in rebus autem, inquit, incommodis eſt idem duplex. Nam quæ uenientibus malis obſtat, fortitudo: quæ, quod iam adeſt, tolerat, & perfert, patientia nominatur. quæ autem hæc uno genere complectitur, magnitudo animi dicitur. ¶ Sic unicuique uirtuti finitimum uitium reperietur*] *colligit uitia quædam, quæ uirtutes mentiuntur: de quibus iiſdem ferè uerbis in partit. quoque meminit.*

AC de eo quidem genere honeſtatis, quod omni ex parte propter ſe petitur, ſatis dictum eſt. Nunc de eo, in quo utilitas quoque adiungitur, quod tamen honeſtum uocamus, dicendum uidetur. Sunt igitur, multa, quæ nos cum dignitate, tum quoque fructu ſuo ducunt ad ſe: quo in genere eſt gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Gloria eſt frequens de aliquo fama cum laude. Dignitas alicuius honeſta, & cultu, & honore, & uerecundia

cundia digna auctoritas. Amplitudo, potentiæ, aut maieſtatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia. Amicitia uoluntas erga aliquem rerum bonarum illius ipſius cauſſa, quem diligit, cum eius pari uoluntate. Hic, quia de ciuilibus cauſis loquimur, fructus ad amicitiam adiungimus, ut eorum quoque cauſſa petenda uideatur: ne forte qui nos de omni amicitia dicere exiſtimant, reprehendere incipiant: quanquam ſunt qui propter utilitatem modo petendam putant amicitiam, ſunt qui propter ſe ſolum, ſunt qui propter ſe, & utilitatem: quorum quid uerisſime conſtituatur, alius locus erit conſiderandus. Nunc hoc ſic ad uſum oratorium relinquatur, utranque propter rem amicitiam eſſe expetendam. Amicitiarum autem ratio, quoniam partim ſunt religionibus iunctæ, partim non ſunt; & quia partim ueteres ſunt, partim nouæ, partim ab illorum, partim ab noſtro beneficio profectæ, partim utiliores, partim minus utiles, ex cauſſarum dignitatibus, ex temporum opportunitatibus, ex officiis, ex regionibus, ex uetuſtatibus habebitur. Vtilitas autem aut in corpore poſita eſt, aut in extrariis rebus quarum tamen rerum multò maxima pars ad corporis commodum reuertitur, ut in rep. quædam ſunt, quæ (ut ſic dicam) ad corpus pertinent ciuitatis, ut agri, portus, pecunia, claſſes, nautæ, milites, ſocii: quibus rebus incolumitatem, ac libertatem retinent ciuitates. Alia uero, quæ iam quiddam magis amplum, & minus neceſſarium conficiunt, ut urbis egregia exornatio, atque amplitudo, ut quædam excellens pecuniæ magnitudo, amicitiarum, ac ſocietatum multitudo. Quibus rebus nõ illud ſolum conficitur, ut ſaluæ, & incolumes, uerumetiam ut amplæ, atque potentes ſint ciuitates. Quare utilitatis duæ partes uidentur eſſe incolumitas, & potentia. Incolumitas eſt ſalutis tuta, atque integra conſeruatio. Potentia eſt ad ſua conſeruanda, & alterius obtinenda, idonearum rerum facultas: atque in iis omnibus, quæ ante dicta ſunt, quid difficulter fieri, & quid facile fieri posſit, oportet conſiderare. Facile fieri id dicimus, quod ſine magno, aut ſine ullo labore, ſumptu, moleſtia, quã breuisſimo tempore confici poteſt. Difficile autem fieri, quod quanquam laboris, ſumptus, moleſtiæ, longinquitatis indiget, atque aut omnes, aut plurimas, aut maximas cauſſas habet difficultatis; tamen his ſuſceptis difficultatibus compleri, atque ad exitum perduci poteſt. Quoniam ergo de honeſtate, & de utili-

tate diximus; nunc reſtat, ut de iis rebus, quas his attributas eſſe dicebamus, neceſsitudine, & affectione perſcribamus. Puto igitur eſſe hanc neceſsitudinem, cui nulla ui reſiſti poteſt, quæ neque mutari, neque leniri poteſt. Atque, ut apertius hoc ſit, exemplis licet uim rei, qualis, & quanta ſit, cognoſcamus. Vri poſſe flamma ligneam materiam neceſſe eſt. Corpus mortale aliquo tempore interire neceſſe eſt: atque ita neceſſe, ut uis poſtulat ea, quam modo deſcribebamus. neceſsitudinis; cui nulla ui reſiſti poteſt, quæ neque mutari, neque leniri poteſt. Huiuſmodi neceſsitudines, cum in dicendi rationes incident, recte neceſſitudines appellabuntur. Sin aliquæ res incident difficiles in illa ſuperiori; poſsit'ne fieri, quæſtione conſiderabimus. Atque etiam hoc mihi uideor uidere, eſſe quaſdam cum adiunctione neceſsitudines, quaſdam ſimplices, & abſolutas. Nam aliter dicere ſolemus, Neceſſe eſt Caſsilinenſes ſe dedere Annibali: aliter autem, Neceſſe eſt Caſsilinum uenire in Annibalis poteſtatem. illic in ſuperiore adiunctio eſt hæc, niſi malint fame perire: ſi enim id malunt, non eſt neceſſe. Hoc inferius non item, propterea quòd ſiue uelint Caſsilinenſes ſe dedere, ſiue famem perpeti, atque ita perire, neceſſe eſt Caſsilinum uenire in Annibalis poteſtatem. Quid igitur perficere poteſt hæc neceſsitudinis diſtributio? propè dicam, plurimum: cum is locus neceſsitudinis uidebitur incurrere. Nam cum ſimplex erit neceſsitudo; nihil erit, quòd multa dicamus: cum eam nulla ratione lenire poſsimus. Cum autem ita neceſſe erit, ut aliquid effugere, aut adipiſci uelimus; tum adiunctio illa quid habeat utilitatis, aut quid honeſtatis, erit conſiderandum. Nam ſi uelis attendere, ita tamen, ut id quæras, quod conueniat ad uſum ciuitatis; reperias nullã eſſe rem, quam facere neceſſe ſit, niſi propter aliquam cauſſam, quam adiunctionem nominamus. Pariter autem inuenias eſſe multas res neceſsitudinis; ad quas ſimilis adiunctio non accidit. Quod genus, ut homines mortales neceſſe eſt interire, ſine adiunctione: ut cibo utantur, non neceſſe eſt, niſi cum illa exceptione, extra quam, ſi nolint fame perire. Ergo, ut dixi, illud, quod adiungitur, ſemper cuiuſmodi ſit, erit conſiderandum. Nam omni tempore id pertinebit, ut aut ad honeſtatem hoc modo exponenda neceſsitudo ſit, Neceſſe eſt hoc faciamus, ſi honeſte uolumus uiuere; aut ad incolumitatem, hoc modo, Neceſſe eſt, ſi incolumes uolumus eſſe; aut ad commoditatem, hoc

modo

modo. Neceſſe eſt, ſi ſine incommodo uolumus uiuere. Ac ſumma quidem neceſsitudo uidetur eſſe honeſtatis, huic proxima incolumitatis, tertia, ac leuiſsima commoditatis: quæ cum his nunquam poterit duabus contendere. Haſce autem inter ſe ſæpe neceſſe eſt comparari, ut quanquam præſtet honeſtas incolumitati, tamen utri potiſsimum conſulendum ſit, deliberetur. Cuius rei certum quiddam præſcriptum uidetur in perpetuum dari poſſe. Nam qua in re fieri poterit, ut cum incolumitati conſuluerimus, quod ſit in præſentia de honeſtate delibatum, uirtute aliquando, & induſtria recuperetur; incolumitatis ratio uidebitur habenda: cum autem id non poterit, honeſtatis. Ita in eiuſmodi quoque re, cum incolumitati uidebimur conſulere, uere, poterimus dicere, nos honeſtatis rationem habere, quoniam ſine incolumitate eam nullo tempore poſſumus adipiſci. Qua in re uel concedere alteri, uel ad conditionem alterius deſcendere, & in præſentia quieſcere, atque aliud tempus expectare oportebit. Incommoditatis uerò ratione, modo illud attendatur, digna'ne cauſſa uideatur ea, quæ ad utilitatem pertinebit, quare aut de magnificentia, aut de honeſtate quiddam derogetur. Atque in hoc loco mihi caput illud uidetur eſſe, ut quæramus quid ſit illud, quod ſi adipiſci, aut effugere uelimus, aliqua res nobis ſit neceſſaria, hoc eſt, quæ ſit adiunctio, ut proinde, uti quæque res erit, laboremus, & grauiſsimam quanque cauſſam uehementiſsime neceſſariam iudicemus. Affectio eſt quædam ex tempore, aut ex negotiorum euentu, aut adminiſtratione, aut ſtudio hominum commutatio rerum, ut non tales, quales ante habitæ ſint, aut plerunque haberi ſoleant, habendæ uideantur eſſe: ut ad hoſtes tranſire turpe uidetur eſſe, at non illo animo, quo Vlyſſes tranſiit: & pecuniam in mare deiicere inutile, at non eo conſilio, quo Ariſtippus fecit. Sunt igitur res quædam ex tempore, & ex conſilio, non ex ſua natura conſiderandæ, quibus in omnibus quid tempora petant, aut quid perſonis dignum ſit, conſiderandum eſt: & non quid, ſed quo quidque animo, quicum, quo tempore, quandiu fiat, attendendum eſt. His ex partibus ad ſententiam dicẽdum, locos ſumi oportere arbitramur. Laudes autem, & uituperationes ex his locis ſumentur, qui loci perſonis ſunt attributi, de quibus ante dictum eſt. Sin diſtributius tractare quis uolet, partiatur in animum, & corpus, & extrarias res licebit. Animi eſt uirtus, cuius de partibus paulo ante

te dictum eſt. Corporis ualetudo, dignitas, uires, uelocitas. Extrariæ, honos, pecunia, affinitas, genus, amici, patria, potentia, & cetera, quæ ſimili eſſe in genere intelligentur. At que in his id, quod in omnia ualet, ualere oportebit: contraria quoque, & quæ, & qualia ſint, intelligentur. Videre autem in laudando, & in uituperando oportebit, non tam quæ in corpore, aut in extrariis rebus habuerit is, de quo agetur, quàm quo pacto his rebus uſus ſit. Nam fortunam quidem & laudare ſtultitia, & uituperare ſuperbia eſt. Animi autem & laus honeſta, & uituperatio uehemens eſt. Nunc quoniam omne in cauſſæ genus argumentandi ratio tradita eſt, de inuentione prima, ac maxima parte rhetoricæ ſatis dictum uidetur. Quare quoniam & una pars ad exitum hunc ab ſuperiore libro producta eſt, hic liber non parum continet litterarum, quæ reſtant, in reliquis dicemus.

¶ Ac de eo quidem] κατὰ μετάβασιν à ſimplici honeſtatis genere ad coniunctam cum utilitate honeſtatem tranſit. ¶ Ne forte qui nos de omni amicitia dicere exiſtimant] alludit ad tria illa amicitiæ genera, utile, delectabile, honeſtum, quæ Ariſtoteles in oct. & in nono eth. recenſet. & ex Platone colligi poſſunt in Lyſide. & in libris de legibus.

¶ Atque in ijs omnibus, quæ ante dicta ſunt, quid difficulter fieri] in partit. orat. primum ſuaſori, aut diſſuaſori uidendum eſſe docet, quid aut poſſit fieri, aut non poſſit, & quid aut neceſſe ſit, aut non neceſſe. quem ordinem ex Ariſt. ad uerbum ferè in primo de arte rhet. ſumpſiſſe uidetur. & paulo infra ſubdit eodemmet libro. Cum autem quæritur quid fieri poſſit, uidendum etiam eſt, quàm facile poſſit. nam quæ perdifficilia ſunt, perinde habenda ſæpe ſunt, ac ſi effici non poſſint. ¶ Quoniam ergo de honeſtate] altera μετάβασις ab honeſtatis, utilitatisque partibus ad neceſſitatis, quam ipſe neceſſitudinem uocat, affectionisque partes tranſit.

¶ Neceſſe eſt Caſſilinenſes ſe dedere Annibali] alludit ad hiſtoriam. nam Caſſilinum oppidum Campaniæ cum ab Annibale obſideretur, milites eò inopiæ peruenerunt, ut mures, & lora, detractaſque ſcutis pelles, ubi feruida molliſſent aqua, mandere conarentur. Liuius lib. 3. de 2. bell. pun.

¶ Affectio eſt] affectionem definit, quam antea ex re, & perſonis conſiderari admonuit. ¶ At non illo animo, quo Ulyſſes tranſijt] Ulyſſes ſub habitu mendici Troiam ingreſſus, diligenter omnia explorauit: id quod ex Euripide in Hecuba ſatis liquet ex ipſius Hecubæ perſona, cum ait.

» οἶσθ' ἡνίκ' ἦλθες Ἰλίου κατάσκοπος.

» Δυσχλαινίᾳ τ' ἄμορφος, ὀμμάτων τ' ἄπο
» φόνου σταλαγμοὶ σὴν κατέσταζον γένυν;
» *Noſti quando ueniſti Ilij explorator*
» *Laceris ueſtibus, & informis, & ab oculis*
» *Mortis ſtillæ tuas imbuebant genas?*

huc fortaſſe alluſit Virgilius in 2. Æn. eo uerſu

» *aut ulla putatis.*
» *Dona carere dolis Danaum? ſic notus Vlyſſes.*

¶ *Et pecuniam in mare deijcere inutile eſt, at non eo conſilio, quo Ariſtippus fecit*] *Bion apud Laertium in Ariſtippo ſcriptum reliquit Ariſtippum cum aliquando nauigaſſet, didiciſſetq́ nauem, qua uehebatur, eſſe pyraticam, acceptum aurum numeraſſe: deinde quaſi imprudenti, & inuito lapſum è manibus proieciſſe in mare, ingemuiſſeq́ grauiter. ſunt qui hæc illum addidiſſe memorent. melius eſt, vt hæc ab Ariſtippo, quàm Ariſtippus propter iſta pereat. hoc igitur conſilio aurum proiecit, vt uitam ſeruaret.*

¶ *His ex partibus ad ſententiam dicendam*] *argumentorum locos ad ſententiam dicendam tantum expoſuit. quo autem modo partes orationis in hoc genere tractari debeant, ne uerbum quidem fecit. quam ob rem conſulendus eſt Ariſt. in rhet. & Cicero in partit. orat. ſed vt ipſe aliquid obiter admoneam, principium breue, aut nullum eſſe debet. nulla, niſi forte incidat, erit narratio. eſt enim de futuro deliberatio: præterita uerò narramus. tota oratio ſimplex, & grauis, ſententijsq́ ornatior eſſe debet, quàm uerbis.*

De genere demonſtratiuo.

¶ *Laudes autem, & uituperationes*] *Alibi dictum eſt à me nihil in arte dicendi tractari poſſe, quod non ex perſonis, negotioq́ attributis ſumendum ſit. uerum, vt aliquid ſeparatius de genere demonſtratiuo orator præcipere uideatur, totum negotium partitur in tria, in ea, quæ ſunt in animo, quæ ſunt in corpore, & quæ ſunt extra corpus, quæ modo externa, quandoq; extranea uocat. ex ijs rebus argumenta promi poſſunt ad laudem, uituperationemq́ copioſiſſima. Si quis uerò ordinem, rationemq́ ſcribendæ orationis in genere demonſtratiuo requirat, adeat Ariſtotelem in rhet. & Cic. in partit. & in Orat. & auctorem ad Herenn. in 3. libro rhet. Menander quoque Græcus auctor, qui duos libros de genere demonſtratiuo eleganter, & copioſe perſcripſit, multa ad hanc rem adiumenta ſubminiſtrabit. Sed inter alios Barth. Caualcantius de uaria exordiendi*

di ratione in cauſſis demonſtratiuis non minus eleganter, quàm copioſe tractauit. Hæc habui, quæ ſuper ijs de Inuentione libris in præſentia ſcriberem.

F I N I S.

R E G E S T V M.

a b c A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
A A B B C C D D E E F F G G H H I I.

Omnes ſunt quaterniones.

Venetijs, apud Bologninum Zalterium. 1563.